INSTITVTIONVM MEDICINAE PRACTICAE

QVAS

AVDITORIBVS SVIS PRAELEGEBAT

IO. BAPT. BVRSERIVS

DE KANILFELD,

VOLVMEN PRIMVM. PARS PRIMA.

DE FEBRIBVS.

PRAEMITTITVR COMMENTARIOLVM

DE

INFLAMMATIONE.



AFERNÁ ... TUDOMÁNYEGYETEM ... KÖNYVTÁRA POOR IMRE KÖNYVTÁRA

EDITIO NOVA.

LIPSIAE,

SVMTIBVS CASPARI FRITSCH,

MDCCLXXXVII.



BIBLIOPOLA LIPSIENSIS
LECTORI SALVTEM.

Quorundam medicorum consilio ductus, operae pretium me facturum esse putaui, si has medicinae practicae institutiones, magno applausu vbique receptas, in Germania nostra magis diuulgarem illasque recudere eum in finem curarem, quo tirones medicae artis sibi facilius eas parare possent. Quod quidem inprimis praestantia huius operis tum perspicuitate maxime se commendantis, tum sermonis elegantia et vbertate conspicui non tam suadere quam potius postulare videbatur. At facti fere poenituit, quum tertio ad nos misso volumine, ex praefatione Typographi Mediolanensis certiores fieremus, Auctorem harum institutionum nimis maturo fato ereptum esse. Ex abscessu dexteri renis, et vesicae quaquauersum scirrhis scatentium, adsitarumque partium vitiis, quibus iampridem laborabat, celerrima tabe confectus interiit XII. Kal. Ianuar. labentis anni MDCCLXXXV. vix primum et sexagesimum annum agens. Tridenti in Cenomanis nobili loco natum eum FELIX PERGERVS *primum ad medicinae studium allexit, eiusdemque imbuit rudimentis. Patauium inde profectus in illustri Lyceo Auditor fuit: mox Bononiae, in qua tum medicinae Proceres florebant* LAGHIVS, AZZOGVIDIVS, LAVRENTIVS, BECCARIVS, *aliique, totum se scientiae naturae, et medicinae addixit; tantumque profecit, vt laudatus* BARTHOLOM. BECCARIVS, *qui eum alta mente, et optima voluntate praeditum nouerat, magnam de illo conceptam exspectationem habuerit. Quam porro nedum adaequasse, sed longe admodum vicisse in posterum comprobauit euentus. Idque centies* BECCARIVS *ipse testatus est,*

posteaquam eodem cohortante apud Fauentinos in Aemilia medicinam facere aggressus, eo in munere tam praeclare se gessit, vt a Fauentinis non modo, quibuscum XX. ferme annos coniunctissime vixit, amplissimis stipendiis, ac ciuitate donatus sit; verum etiam in honore sit habitus a pluribus spectatissimis S. R. E. principibus, quos inter meminisse sat erit BARNIVM, CRESCENTIVM, SERRAM *Ferrariensis ditionis,* BOLOGNETTVM, *vtrumque* ODDIVM, STVPPANIVM, BORROMEVM *Aemiliae, vt appellant, de Latere Legatos; vtque ceteros silentio praeteream, Rom. Pontifices Max.* CLEMENTEM *XIII., et XIV., quorum alter eum laudibus, et priuilegiis exornauit, alter vero in Ferrariensi Athenaeo recens instaurato, scutatis septingentis constitutis, medicinae professorem designauit. Incredibile dictu est, quanta ad eum frequentia aegri vndique aduentantes, veluti ad oraculum adirent, et ni coram, saltem per epistolas e finitimis, dissitisque prouinciis opem aliquam implorarent, et quot eum etiam magni nominis medici consulerent. Crebris autem medicis lucubrationibus, librisque editis maiorem in dies sibi nominis celebritatem comparauerat; quando* CAROLVS FIRMIANVS, M. THERESIAE AVG. *in Gallia Austriaca Transpadana Legatus, Ticinensis academiae studia e squalore, in quo iamdiu iacuerant, restituere cogitans (dignissima eius virtutis cogitatio!); confestim* BVRSERIVM *Fauentia Ticinum honestis conditionibus conductum vocauit, eique chymiae, primum ibi inductae, tradendae, medicinae, vt aiunt, practicae e suggestu explanandae, simulque in nosocomio clinices Tironum commodo primo itidem exercendae prouinciam demandatam voluit. Quo successu, et quanta animi contentione tot iniuncta sibi grauissima munia fuerit exsequutus, sane nemo vnus ignorat. Ista etenim ante*

omnium

omnium oculos contigerunt, et viuunt adhuc teſtes locupletiſſimi, non ii tantum, quibus arcanos medicinae fontes aperuit, quique e longinquis regionibus confluebant, vt eum audirent, quam ipſimet eius in diſciplinis tradendis Sodales clariſſimi, qui eum mirifice coluerunt ob ſingularem doctrinam, honeſtatem morum, animi candorem, ſuauitatemque ſermonis. Teſtes item medici Ticinenſes, a quibus ſponte in eorum Collegium honoris cauſſa eſt cooptatus; teſtes vniuerſa Ciuitas et Prouincia; teſtes denique omnium ampliſſimi hactenus ab eo editae de febribus, et morbis doctiſſimae Inſtitutiones. Decennio, quo huic publice docendi muneri praefuit, tertium adlectus eſt omnium conſenſu moderandi Gymnaſii Rector, ad cuius incrementum, et gloriam non minus contulit ſtudii, quam vigilantiae ad diſcipulos in officio prudentiſſime continendos. Hinc plurimum gratiae iniit apud omnes, et praeſertim ab Inſubrica Praefecturâ, atque a ſupremis rei litterariae curatoribus. Ad cuius laudes amplificandas acceſſit tandem, quod Auguſtiſſima M. THERESIA *illius fidei, probataeque virtuti concredita voluerit duo cara capita,* FERDINANDVM *nempe F., et* M. BEATRICEM ATESTIAM, *par coniugum rariſſimi exempli. Quare Mediolanum diuertens putauit in lucro eſſe; ab illo ſibi iucundiſſimo muſarum domicilio diſcedere (vbi magnum ſui reliquit deſiderium), vt valetudinis optimorum Principum tuendae honorifica munia obeunda ſuſciperet. Neque profecto de vlla alia re magis anxius deinceps fuit, quam de eorum incolumitate, et ſalute. Et quamuis ne minima in eo quidem deſideraretur diligentia, quandoque tamen ſubverebatur, ne ſibi deeſſe videretur. Ideo nec vigiliis, neque vllis, qui ad optatum hunc finem conducerent, laboribus pepercit; etiamſi parum firma vteretur valetudine.*

Officii sui adimplendi solicitudo tum maxime enituit, quum REGIAM SOBOLEM *ab eo seruatam amantissimi* PARENTES *gratulati sunt, idque honorificentissimis verbis, gratique erga eum animi significationibus saepius testati sunt. Septennium in aula traduxit suis heris apprime carus, summis et infimis acceptus. Adst mors, quam nemo euadit, ipsum quoque inuida de medio tulit, qui tot ei palmas praeripuerat. Eius funus obortis lacrymis, quibus nihil sane splendidius, ac laudabilius memoriae illius accidere poterat, verae indolis regiae Principes ipsi paullo ante commemorati sunt prosecuti. Iacturam tanti viri nemo non sensit in Ciuitate; etenim doctrinae laude, qua plurimum valuit, haud amplius excelluit, quam oris, sermonisque comitate, atque vrbanitatis officiis, ita vt ad deuinciendos sibi omnium animos factus vere a natura videretur. Dolorem leuare in communi luctu vnice potest, quod tertii voluminis editor spem nobis fecit, ea, quae in promtu sunt Cl. Auctoris, de morbis pectoris, et imi ventris volumina nobiscum communicandi. Primo fortasse intuitu, vt Typographus Mediolanensis refert, non ita elaborata, et perfecta eadem Lectori videbuntur, vt ad amussim respondeant superioribus libris, quos viuens Auctor, dum adhuc sub praelo essent, nouis identidem animaduersionibus locupletare solebat; verum nisi ea omnia, quae secum forte animo reputauerat Auctor, exhibuerint, optimis certe doctrinis, et praeceptis eadem referta erunt, eumdemque lucidum ordinem exhibebunt, vt quilibet ex iis veros fructus colligere facile queat.*

Lipsiae nundinis autumnalibus A. MDCCLXXXVI.

LECTORI.

Non temere, nec inconsulto Medicina diducta est in *Theoreticam*, et *Practicam*, quarum prior ea omnia, quae praescirì debent, opportunissime docet, totiusque disciplinae veluti fundamenta iacit; altera vniuersam prope artem complectitur, et quodammodo aedificii ipsius molem exstruit, et complet. Etenim Theoretica penitus tota versatur in anatome, physiologia, pathologia, semeiotica, hygiene, et therapeutice generali tradenda, atque explicanda, non omissa medicamentorum omnium, quae e tribus Naturae regnis promuntur, ordinata, diligentique recensione. Quia vero prima artis rudimenta ipsa pertractat, et Tironibus, antequam ad Practicam euehantur, in quauis bene constituta studiorum vniuersitate exponi solet, *Institutionum* etiam *Medicarum* nomen apud plerosque obtinuit. Haec praecedat, vt patet, necesse omnino est; sequatur vero altera. Quis enim morbum, eius causas, effectusque

mente assequi poterit, aut opportunis adiumentis corpus integrum seruare, aut labefactatum restituere, de quibus omnibus in Practica proprie agitur, nisi fabricam, et constructionem hominis viuentis, et sani, facultates, vires, actiones, functionesque naturales prius cognouerit; nisi salubria, et insalubria distinxerit, et demum, quibus signis secunda, atque aduersa valetudo internoscatur, quibusque auxiliis vtraque egeat, prope didicerit? His enim rite praecognitis, planior, certiorque patet aditus ad vtiliorem, potioremque Medicinae partem, quae Practica audit, quaeque singulorum morborum historiam, et naturam ob oculos ponit, multiplicem eorum originem expendit, signa peculiaria, et propria cuiusque cum diagnostica, tum prognostica commemorat, singulares elicit, quas vocant, indicationes, et quae vnicuique conuenientior curatio sit, ratione, atque experientia duce perquirit, et prudenter decernit, vt sic duplici officio tuendae scilicet, et restituendae valetudinis, quoad fieri potest, accuratissime satis fiat. Haec dein ad aegrotos ipsos translata, quando suam iis adhibet opem, clinica tum appellatur, cui tres aliae quasi administrae subseruiunt, Diaetetice nimirum, Chirurgice, et Pharmaceutice, prout victu, aut manu, aut medicamentis vtendum ei est. Ex duabus itaque illis Medicinae partibus cum posteriorem tradere mihi constitutum sit, exordiar a Febribus, communissimo videlicet morbi genere, et maxime obuio, quod non modo per se homines saepissime corripit, verum cum aliis etiam malis

bene

bene multis consociari consueuit. Rem equidem magnam, et perdifficilem mihi sumo, fortasse inconsiderate nimis, nec satis prospiciens, *nostri quid valeant humeri, quid ferre recusent;* cum in tota hac Medicinae Practicae ampliſſima prouincia nulla ferme alia res exstet, quae plane aut obscurior, aut implicatior ista sit; quod iam ab eo tempore, quo primum adhuc adolescens medicinam exercere coepi, non modo sensi, sed ex vsu etiam ipso comprobaui. Nam quo plures auctores, qui de febribus scripserant, consulebam, eo maioribus, densioribusque tenebris pene inuoluebar; adeo discordes, pugnantesque in statuendis plerumque earum notis, cauſſis, et curationibus mihi videbantur. Nec deerant praeterea, qui omnes, easque permultas febres, quales reapse existunt, ad pauca quaedam genera contrahere nitebantur, dum contra alii ad multo plura extendebant, multifariam eas diuidentes, et subdiuidentes, ita vt non leue negotium tot partitionibus mihi facesserent. Nam si primos sequi volebam, illud maxime obstabat, quod experientia iam compereram, paucis omnino generibus febres omnes, quas Clinicis in dies videre contingit, comprehendi non posse, cum reuera non paucae mihi occurrerent, quas, etsi natura, et symptomatibus discretae essent, confundi vna oporteret, si huiusmodi diuisionibus ex solo arbitratu profectis standum fuisset. Quare consequebatur, vt ad alteros me conuerterem, eorumque amplecterer partes; sed, ne quid praetermittam, subuerebar tamen, ne non diuisiones ab iis excogitatae, et traditae plu-

res essent, quam naturae consonum foret, aut plus subtilitatis, quam veri haberent. Hinc vehementer ambigebam, quo mihi consistendum esset. Accidebat etiam non raro, vt vno, eodemque nomine descriptas inuenirem febres, quae inter se collatae, comparataeque ita discreparent, quam quae maxime; et contra vnam, ipsissimamque febrim, vt ex descriptione, symptomatibusque liquebat, diuersis saepe, et variis nominibus a scriptoribus insignitam. Haec, atque alia eiusmodi profecto faciebant, vt quotidie novae mihi caussae essent, quo minus e dubiis, incertisque huiusmodi vadis emergere possem. Non tamen hic animo cecidi. Spem enim omnem, quae mihi supererat, in eo locaui, et posui, vt libros omnes de febribus agentes, qui subinde a doctissimis viris ederentur, quotquot possem, vndique conquirerem, legerem, et perlegerem; et quibus in rebus consentirent, quibusque nequaquam, assidue adnotarem, caussasque perueſtigarem, cur, vbi discordes videbantur, in contrarias iuissent sententias. Continuato ad annos aliquot improbo, pene dixerim, huiusmodi labore, mecum deinde constitui singula aliorum de febribus cogitata, et commenta ad lydium quasi lapidem experientiae reuocare, atque expendere, vt quaenam earum propius vero accederent, quaenam ab eodem longius aberrarent, luculenter appareret. Quidquid igitur multorum annorum studio, meditatione, atque vsu mihi constitit, aut rectius his de rebus visum est, id omne, qualecumque demum

demum fit, hoc volumine comprehenditur, in Tironum, dicerem, commodum, nisi arrogantius id dictum existimarem. Neque pluribus verbis vtar, vt, quid ego in eo praestiterim, significem. Cuicumque liberum esto iudicare, postquam totum legerit. Cur enim aliis id non liceat, quod mihi licere vbique arbitratus sum? Non patiar tamen, pauca quaedam, quibus apud lectores de non nullis me purgem, desiderari, ne prorsus mei oblitus videar. Itaque nolim mihi vitio vertatur, quod praecipuas febrium diuisiones, et differentias a veteribus mutuatus sim, etsi non ab omnibus hodie probentur; nam si ab illis medicinae proceribus procul discessissem, mihi sane a natura ipsa, quam illi proximius sequuti sunt, desciscere visus essem. Quod ad nomina attinet, ea plerumque retinui, quae iamdiu vsu recepta sunt, atque in ore plerorumque medicorum a multis iam seculis versantur; nec nouis locum dedi, nisi vti synonymis, aut ad nouas res, nouosue morbos indicandos necessariis, et quidem eo consilio, vt quae inter nos, et maiores illos coniunctio, et affinitas intercedere debet, nominum mutatione nequaquam dissolueretur. Synonyma autem vbique, quando aliqua febris nominibus variis nuncupari visa est, adiicere optimum duxi, ne diuersa denominatio auctores legentibus errandi causa esset: sed in eorum delectu, et recensione malui meo, quam aliorum iudicio vti, quia saepenumero perspexi, aut perfunctorie, aut perperam a plerisque quaesita, et posita. Potuissem, fateor,

fateor, quaedam febrium genera missa facere, tamquam ad aliquod aliud genus specierum instar facile reuocanda, sed satius mihi visum est aliquid consuetudini dare, quam nimio genera reformandi studio molestiam tironibus, aut difficultatem augere. Quoties tamen sine vllo eorum taedio, aut vlla rerum perturbatione licuit sub vnum veluti caput febres aliquas, quasi eiusdem stipitis ramos, redigere, libentissime id quidem feci, aut saltem, quo modo, et quando fieri posset, subindicaui. Nullius porro me sectae tradidi in potestatem, nec vnquam valde solicitus fui, doctrinae, aut dogmata vnde essent, sed quaenam essent, et qua probabilitate fulcirentur. Cumque discipulorum praesertim institutio, atque exercitatio curanda mihi fuerit, nemo, vt spero, mirabitur, me quandoque paullo minutius quaedam persecutum esse, quae theoreticis studiis perfunctos non ignorare oporteret; nam etsi eos, antequam ad medicinam practicam aggrediantur, egregie illis institutos, et praemunitos (quod legibus prudentissime cautum est) et velim, et reputem; tamen non nulla esse veri, et doctrinae quasi semina sum ratus, quae iterato, in mentem reuocari, atque altius animo defigi nunquam inutile videatur. Fortasse quibusdam ipse videbor plus temporis, verborumque, quam par erat, in aetiologiis exponendis, aut diiudicandis quaestionibus impendisse, aut paullo liberius, quam deceat, in sententiis ferendis me gessisse, sed aliquid dandum, concedendumque est loco, tempori, et consuetudini, et

prae-

praelegentis profeſſorio muneri, a quo, quid ſentiat ipſe, quid ſtatuat, quid iudicet, auditores iure prope ſuo non modo petunt, ſed etiam efflagitant: quamquam id raro, et parce factum a nobis ſit, et tum ſolum, cum res obſcurae, et difficilis indaginis ſe ſe obtulerunt, de quibus exercitationis cauſſa aliquando diſceptare nec inutile, nec iniucundum adoleſcentibus exiſtimauimus, vt ſcilicet, qua ratione, et ordine incedendum, quibuſque argumentationibus vtendum ſit ad cauſſas ab effectibus deducendas, diuinandaſque, aut nodos quaeſtionum ſoluendos, exemplo aliquo edoceantur. Medicamenta vbique quam plurima in ſingulis curationibus tam ſimplicia, quam compoſita commemorauimus, ne in ſumma auxiliorum, quibus hodie medendi ars abundat, vbertate egeni atque inopes videremur, aut neceſſariis adiumentis, ſiue armis deſtituti, quibus hoſtes transfoderentur. Monitos tamen tirones velim, ne ſibi perſuadeant, me in illis enumerandis, et proponendis aliquanto longiorem fuiſſe, vt cuncta ſemper, aut promiſcue adhiberi debeant, quaſi ex eorum numero ego eſſem, qui ita aegros remediorum copia, et frequentia aſſidue onerant, vt nullam pene ipſis, nec naturae quietem relinquant. Hanc enim pharmacorum cuiuſque generis ſiue profuſionem, ſiue abuſum ſemper reprobare, et vitare conſueui, paucis, ſed lectiſſimis contentus, naturaeque viribus maxime confiſus. Scio equidem aeque vitioſum eſſe tam penuria auxiliorum, vbi in primis cum morbo decertandum valide eſt, laborare, quam

nimia

nimia eorum copia, atque exceſſu delinquere, quaſi natura, cui maior curationum pars debetur, nihil per ſe efficere poſſet; quorum vitiorum alterutrum perſaepe in iuuenes medicos cadit. Quamobrem cum veri, et peritiſſimi medici ab empiricis, et circulatoribus diſtinguantur, morborum, et cauſſarum diagnoſi et pro earum varietate, indicationumque ratione modo iſto, modo illo remedii genere indigeant, opportuneque vti norint, ideo praeſtantiora, tironibus in promtu eſſe volui, quae vel ab auctoribus probatiſſimis ad quamlibet febrim, et ſingula eiuſdem ſymptomata propoſita ſunt, aut a me opportuniora reputantur. Sic quiſque initio morbi, eiuſque cauſſarum examine poterit ex multis pauca quaedam ſeligere in ſuos vſus, aut ab omnibus temperare, atque abſtinere, et quodammodo conquieſcere, vbi vitae vires morbo ſubigendo pares eſſe deprehenderit. Formulas, ſiue compoſitiones medicamentorum, quod alias multi faciunt, non addidi multis de cauſſis, ſed praecipue, ne Iuuenes medicinae ſtudioſi plus operae formulis exſcribendis, et memoriae mandandis adhibeant, quam cognoſcendis morbis, eruendiſque ſingularibus indicationibus, ſine quibus empiricorum more, quod turpiſſimum, et ſummopere noxium iudico, medicinam facerent. Verum enim, rationalemque medicum oportet indicationibus mature, et ſcite praefinitis ſimplicia medicamenta prudenter accommodare, aut, ſi compoſitis opus ei ſit, talia coniungere, et commiſcere, quae non ſolum peculiari morbo, eiuſque

que cauſſis, verum etiam aetati, temperamento, ſexui, regioni, anni tempori, aliiſque circumſtantiis conueniant; neque iſtud difficillimum erit ipſis, ſi medicamentorum naturas, et vires, atque formulas conſcribendi, formandique praecepta, quae omnia in therapeutice generali, aut pharmaceutice tradi ſolent, aut certe deberent, probe memoria teneant. Quod ſi exemplis aliorum velint etiam inſtrui, atque adiuuari, aut ſuas formulas ad eorum exempla conficere, non deerunt apud doctiſſimos ſcriptores tam veteres, quam recentiores, qui de hiſce rebus praecepta tulerunt, aut ſuis operibus proprias formulas adiunxerunt, elegantiſſimae compoſitiones, quas conſulant, atque imitentur. Nonnullas tamen ex aliorum libris deſumtas interdum, fateor, protuli, adiecique, at tum praecipue, cum mentio alicuius medicamenti vniuerſim laudati facta a nobis eſt, ne tirones eas aliunde magno incommodo ſibi conquirere cogantur. Stilum, ſi quaeras, planum, facilem, perſpicuum vbique praetuli ſublimi, diſerto, et figurato, quem ſemper ab adoleſcentium inſtitutione alieniſſimum putaui. Hinc ſententiarum ornamenta, quae ad aures tantummodo oblectandas facta videntur, oratoribus ſine inuidia prorſus reliqui; quoniam plerumque, vbi artes, et diſciplinae expetuntur, *ornari res ipſa negat, contenta doceri.* Illud vero dumtaxat cordi mihi fuit, vt barbara illa vetus, et communis loquendi licentia, quae in ſcholaſticis diſceptationibus olim locum habebat, quoad a nobis fieri potuit, exularet. Non tamen a vocibus quibuſ-

dam,

dam, aut dicendi formulis, quae vniuerſim iam probantur, aut artis ipſius propriae ſunt, etſi minus latinis abſtinui, nec a nouis omnino, quamvis barbaris vnquam abhorrui, cum de rebus novis, aut recens inuentis loqui neceſſe fuit. Nolui enim, vt purioris ſermonis ſtudioſiſſimus viderer, illos imitari, qui, ne Latii fines tranſcendant, plerumque obſcuri admodum fiunt, aut verborum ambagibus ſic euagantur, vt auditoribus ſtomachum moueant. Haec habebam, quae benevolum lectorem admonerem. Vnum ſupereſt, vt ſtudia noſtra, quaecunque fuerint, aequi, obſecro, bonique faciat, et conſulat.

INDEX.

	Pag.
De Inflammatione Commentariolum.	1
De Febre generatim.	75
De febrium diviſione et differentiis.	122

Pars prima.

De febribus intermittentibus.	141
Quotidiana intermittens.	210
Tertiana intermittens.	221
Quartana intermittens.	252

Pars altera.

De febribus continuis continentibus.	269
Ephemera.	272
Ephemera maligna.	280
Synochus ſimplex ſeu Synocha.	305
Synochus putris Veterum.	324
Febris lenta neruoſa, maligna paſſim dicta	342
Febris hectica.	381

Pars tertia.

De febribus continuis remittentibus.	393
Febres quotidianae continuae.	397
Febris quotidiana continua Veterum.	397
Febris catarrhalis.	407
Febris lactea puerperarum.	426

Febris

Pag.

Febris gastrica acuta. 440

Tertiana continua et Causus. 484

Febres remittentes, quae modo Quotidianae, modo Tertianae typum seruant. 499

Febris puerperalis Neotericorum. 519

Quartana continua siue Tetartophya. 582

Pars quarta.

De Febribus continuis compositis siue proportionatis. 587

Semitertiana siue Hemitritaeus. 589

Proportionata ex Synocho et intermittente. 593

Appendix ad febres remittentes, quae modo quotidianae, modo tertianae typum seruant. 598

Febris colliquatiua primaria siue essentialis. ibid.

DE INFLAMMATIONE COMMENTARIOLVM.

I. Non paucos equidem fore praeuideo, qui, cum primum ex iis, quae praefatus sum, non obscure compererint, nemini vnquam licere ad Medicinae Practicae disciplinam se applicare, nisi prius in *Institutionibus medicis* multum operae, et studii collocauerit, continuo dicturi sint, supervacaneum omnino, si non inutilem, dum de Inflammatione differere instituo, a me suscipi laborem; quod in ea Institutionum parte, cui nomen Pathologia est, vt aliorum morborum, et symptomatum, sic Inflammationis etiam natura, causae, effectus, et differentiae jam satis et exponi, et describi soleant.

II. Quae res etsi a me neque ignorari, neque vllo negari modo queat: illi tamen animaduertant velim, de his quidem cunctis Pathologos agere consueuisse, sed breui adeo, pressoque sermone, vt non modo multa, quae ceteroquin sunt Clinico scitu necessaria, silentio praetereant, sed etiam vniuersam curationis rationem omittant. Neque vitio id vertendum Pathologiae, ipsi profecto intelligent, si ea suos intra limites se continere debeat, et nihil sibi arroget, quod ad Medicinam Practicam aequissimo jure*) tantum pertineat.

III. Ne

*) Pathologia proprie dicta differt non parum a Medicina Practica, siue Praxi, vt ajunt, Medica. Nam *Praxis medica* tam a BOERHAAVIO (*De cogn. et curand. morb. Prole-*

III. Ne igitur Tirones, quorum cauſſa haec ſcribo, audito Inflammationis verbo, cujus ſaepe in febribus, aliiſque morbis pertractandis mentio mihi facienda eſt, nouitate quaſi perculſi haereant, non ſatis gnari, quam late ea pateat, quantum diſcriminis afferat, quorſum inclinet, quos exitus habeat, et qua demum ratione imminens praecaveri, aut praeſens tolli poſſit; non modo vtile, ſed neceſſarium duxi, antequam ad febrium recenſionem deſcendam, generatim de *Inflammatione*, quemadmodum Medicum Practicum decet, aliquanto plenius, fuſiuſque diſputare. Sic enim nulla illis occaſio, qua confundantur, ſupererit; mihi vero nulla cauſſa, cur deinceps hac ſuper re moleſtiſſimis repetitionibus conterere tempus debeam.

IV. Itaque eo ipſo ſeruato ordine, quo ſinguli morbi a Clinicis explicantur, initium faciam a nomine, et natura inflammationis; prolatiſque breviter tam veterum, quam recentium ſcriptorum praecipuis de ea cogitationibus, conſiſtam in illa ſententia, quae mihi probabilior videbitur. Hinc euolutis, quantum per me licet, ejus effectis, indicatiſque cauſſis remotioribus, et antecedentibus, vtpote minus controuerſis, ad multiplices differentias

gom. §. 2.), quam ab HAENIO ejus diſcipulo (*Proleg. Praelect. Haën. in Herm. Boerhaav. Patholog. pag.* 7. §. 2. *Viem.* 1779.) eſt *ea Diſciplinae Medicae pars, quae docet morbum in ipſo aegroto praeſentem detegere, curareque detectum.* Contra Pathologia etiam peculiaris, et ne illa quidem diffuſior, ampliorque FERNELII, ſeptem nimirum libris comprehenſa, quanquam ſingularium morborum perſequatur naturam, nullum tamen verbum facit de eorumdem curatione. Non igitur ſatis aſſequor, cur non nulli Boerhaaviani hodie Pathologiam cum Praxi Medica vnam, eamdemque rem putent, atque habeant.

tias conſtituendas progrediar; nec praetermittam, prout res poſtulabit, ſignificare, quos exitus ſiue bonos, ſiue malos habeat, quibuſque notis omnia internoſci poſſint. Poſtremo indicationes quas vocant, adjiciam, quarum ductu curatio inſtitui, atque inſtrumenta ad id apta opportune, et rite adhiberi queant.

V. Quando aliqua corporis pars praeter naturam intenſius calet, rubet, tenditur, tumet, dolet, et moleſta quadam pulſatione intus quaſi pertunditur, ea tum *inflammari*, ſiue incendi dicitur; quod ſimilia ferme patiatur iis, quae ab igne gignuntur. Quare, vbi omnia haec, aut pleraque conueniunt, morbum plane efficiunt, quem *Inflammationem* noſtri, Graeci vero Φλεγμονὴν *) vocant. Cujus cauſſam proximam obſcuram admodum, et paene reconditam eſſe, argumento non leui erit vel ipſa inter ſcriptores opinionum diſſenſio. *Phlegmone.*

VI. Atque vt ab antiquiſſimis exordiar Medicinae Proceribus, pauca omnino apud HIPPOCRATEM inuenio, quae ad inflammationem, ejuſque geneſin reſpiciant. Locus autem, in quo paullo clarius, ſi vllibi vnquam, de inflammationis ortu, et ratione loquitur, eſt in libro *de Capitis vulneribus a)*, vbi ait: *partes vlcus ambientes inflammantur, ac intumeſcunt propter ſanguinis influxionem.* Diſcipuli vero ejus ab inſtitutore ſuo paullulum recedentes, quaſi *ſanguinis influxionem*, quam ille aſſumſerat, obliti eſſent, aut non ſatis eam eſſe crederent, inflammationem gigni docuere, *ſi fluxio multa, et acris* aliquam partem inuaſerit, *manſeritque acris, et glutinoſa b)*, itemque, ſi *pituitoſa et multa, ac*

 lenta

*) Φλεγμονὴ ducitur a verbo φλεγμαίνειν, id eſt *inflammari.*
a) N. 18. ed. Marinell. b) Libr. de glandul. n. 5.

lenta etiam *fuerit fluxio c*). Denique de iis, quae ruptam venam intra pectus, si febris superuenerit, aut peccatum in potu, aut venere aliquo modo fuerit, subsequuntur, alibi *d*) differentes, aliam explicandae inflammationis rationem iniuerunt, quae est hujusmodi: *Caro sauciata subreficcatur, et subcalescit, et humiditatem in se ipsam a vicinis tum venis, tum carnibus trahit. Vbi autem attraxerit, intumescit, et inflammatur, et dolorem exhibet etc.* Ex quibus plane liquere arbitror, non modo sanguinis ipsius, verum etiam cujusque humoris acris, et glutinosi, aut pituitosi, et lenti copiosiorem influxum, imo attractionem quoque humiditatis e vicinis partibus caussam inflammationis priscis illis temporibus habitam fuisse.

VII. Sed alia omnino fuit opinio ERASISTRATO cum antiquitate, quoniam certe vixit Seleuci Nicanoris aeuo, tum medicinae scientia percelebri. Is inflammationem oriri existimauit, motumque per eam cieri, qualis in febre est, quando *sanguis in eas venas, quae spiritui accommodatae sunt*, transfunderetur *e*). Spiritus autem contineri olim credebatur in iis venis, quas nos arterias vocamus. Cum enim hae in cadaueribus plerumque vacuae deprehendantur, pronum fuit eas spiritui continendo dicatas existimare; et si quando sanguine scatere inuentae sunt, protinus conclusum est, sanguinem in alienas vias irruisse, ideoque inflammationem excitasse, qualem Boerhaaviani hodie *per errorem loci* fieri dicerent.

VIII.

c) *Ib. n.* 6. *d*) *Lib.* I. *de morb. n.* II.

e) C. CELS. *de Medicin. l.* I. *in praefat. p.* 5. *ed. Cominian.*

VIII. Poſt hos GALENVS *f*), ORIBASIVS *g*), AETIVS *h*), PAVLVS AEGINETA *i*), et cum his reliqui principes Galenicorum *l*), inflammationem paullo altius rimati, eam conſtituendam duxerunt in ſanguine calidiore copioſius ad aliquam partem confluente, et vaſa ita opplente, vt roris inſtar guttatim ex iis exſudet, atque hinc in vacua ſpatia vehementer illapſus omnia loca, quae in circumpoſita carne ſunt, occupet, vrgeatque. Imo non nemo addidit *m*), morbum inualeſcere, et incrementa accipere, quando *id, quod eſt in loco affecto, incipit putreſcere, caloremque praeter naturam inuehit.* Hinc facile ſibi perſuadebant, aſſequi poſſe,

 vnde

f) *Method. med. l. X. cap. VI.* vbi ita ſcriptum reliquit; „cujuſmodi autem ſit phlegmones affectus, tum in libro „de inaequali intemperie, tum vero in eo, qui de tumori„bus praeter naturam eſt inſcriptus, docuimus. Ad„monuiſſe tamen et nunc te non ſit inutile. Cum ſanguis „calidus copioſior in aliquam animalis partem procubuit, „majora ejus vaſa protinus extenduntur, vtpote abundan„tiae continendae non ſufficientia, ab his deinceps, quae „minora ſunt. Mox vbi nec in iis ſatis continetur, ex„ſudat foras in ea ampſa ſpatia, quae inter vaſa ſunt, ſic „vt etiam omnia, quae in compoſita carne habentur, loca „occupet. Atque haec quidem eſt phlegmones affectio.

Et *lib. XIV. cap. 2. vbi* ita ſubdit: „cum ſanguis co„pioſius in aliquam partem procubuit, ſic vt ab ejus par„ticulae vaſis nequeat contineri, exilitque aliquid inſtar „roris ex ipſis vaſis in ea muſculorum ſpatia, quae ſimilari„bus corporibus, ex quibus componuntur, interueniunt, „vtique tumor ex plenitudine oritur; cui ſuccedit cutis „tenſio, et in alta carne cum pulſu dolor, et tangenti „renixus quidam, et rubor, et calor, ipſa nimirum cute „ea, quae ſubjecta ſibi caro patitur, ſentiente. Similis „jam dicto et in viſceribus affectus etc. Et *ad Glaucon. l. 2. cap. 1.*

g) *Synopſ. l. VIII. c. 24. h*) *Tetrabibl. IV. ſerm. 2. c. 31. i*) *De re med. l. IV. c. 17. l*) FERNEL. *Pathol. l. VII. cap. 2.* RIVER. *Prax. med. l. 1. cap. XI.* SENNERT. *Med. Pract. l. V. P. I. cap. V. et reliqui. m*) ORIBAS. *l. c.*

vnde calor, rubor, dolor, tumor, aliaque phaenomena orirentur. Illud tamen, ni fallor, non ſatis intellexerunt, quam ob rem ſanguis in affectum locum vberius influeret; vel ſi intellexerint, non ſatis perſpicue, et diſtincte ab iis propoſitum, deſcriptumque fuiſſe, dixerim.

IX. Praeterea cum animaduertiſſent, inflammationem modo repente, et cito, modo ſenſim, et lente enaſci: alterum *per fluxionem*, alterum *per congeſtionem* fieri reputarunt. Deinde prout ſanguis vel purus, vel ſincerus, vel aliis admixtus humoribus eſſet, varias etiam inflammationis differentias conſtituerunt. Ideo a ſanguine puro *phlegmonen exquiſitam*, ab eodem cum bile, aut pituita, aut melancholia conjuncto *phlegmonen eryſipelatodem*, *oedematodem*, *aut ſcirrhodem* dimanare rati ſunt: contra vero, ſi bilis, aut pituita, aut melancholia ſanguinem, ſiue cruorem proprie dictum excederet, eoque modo, quem expoſuimus, inflammationem faceret, *eryſipelas*, vel *oedema*, vel *ſcirrhum phlegmonodia*, ſiue *inflammatoria*, non phlegmonen, procreari.

X. At ſuccedente Chymicorum ſecta, WILLISIVS *n*), qui, cum illa inclareſceret, floruit, aliter explicationem inflammationis aggreſſus eſt. Si tamen ejus opinio recte perpendatur, continuo apparet, eum vix, ac ne vix quidem a GALENICORVM documentis diſſentire. Ipſe enim ſanguinem aſſumit *febriliter* ita *efferueſcentem*, vt aegre ob *Orgaſmus.* ὀργασμὸν partis alicujus minora vaſcula trajiciat, imo in iis haerens obſtructionem primo, deinde aggeſtus, atque e vaſis effuſus phlegmonen pariat. Monet autem, duo requiri ad efficiendam inflammationem, ſanguinis nempe feruorem, et vaſorum minorum obſtructionem vna concurrentem; ſi alter-

vtrum

n) *Pharmacop. Ration. P. 2. ſect. 1. cap. VIII.*

vtrum deficiat, neutrum sufficere ad eam inducendam, idque opportunis, accommodatisque exemplis illustrat.

XI. A Galenicis paullo longius discessit WILLISII aequalis, eidemque sectae addictus SYLVIVS DE LE BOE, qui etsi sanguinem non solum in vasis capillaribus, verum etiam cum GALENO in adjacentium partium spatiis inclusum stagnantemque, aut etiam extra proprias vias effusum ponat; *sponte* tamen, et *mox* eum *excandescere et caloris sensum molestum in parte sensili*, et proinde inflammationem ciere autumat, *quatenus ex ipso sanguine in vasis suis valde distentis, partibusue quibusuis aliis subsistente, hoc est, stagnante mox incipiunt euanescere partes spirituosae, magisque volatiles, ac subtiles tum acidas, tum salinas* (alkalinas nimirum) *temperare solitae; vnde vtraeque acriores factae acrius in se mutuo insurgunt, efferuescentiamque ob partes sanguinis oleosas praesentes* (vtpote phlogisto scatentes) *calidam excitant o)*. Hinc patet, *stasin* sanguinis, ejusque feruorem a SYLVIO quidem exigi, vt inflammatio fiat, sed simul exposci, vt *stasis* antecedat, non vero subsequatur; contra profecto quam GALENICIS, et WILLISIO ipsi visum est. Propius tamen ad Galenicos accedit, quando ab efferuescente sanguine calorem, atque inflammationem proficisci contendit: nam illi, dum ab eo calidiore inflammationem, et ab eodem deinde stagnante, et putrescente caloris augmentum repetunt, non re, sed verbis, atque explicationis modo a SYLVIO discrepare videntur.

XII. Nunc vero nullo modo reticendum est, quid de inflammatione senserit ETTMVLLERVS, ratione temporis, et celebritate doctrinae priori-

o) *Prax. Med. L. 2. cap. 40. §. XIV. et XV.*

bus illis proximus, et chymica ſcientia aeque conſpicuus. Etenim duas de ejus natura ſententias diuerſis, vt arbitror, temporibus protulit, vtraſque dignas, quae a nobis paullo accuratius, diffuſiusque referantur. In priore calor auctus, veluti praecipuus inflammationis effectus, proponitur: ſed vt ejuſmodi caloris incrementum quale ſit, vndeque excitetur, comprehendi poſſit; diſquirit primo, vndenam ſit calor naturalis corporis viui, et animati, eumque eſſe affirmat ab *acido volatili ſpirituoſo temperato*, dum exiſtit in ſuo *ſtatu naturali, ſeu oleoſo, et concitatiori motu* agit in *compar ſuum Alcali*. Ex mutua igitur eorum inter ſe actione ſtatuit calorem naturalem profluere. At intenſioris illius caloris, qui praeter naturam in inflammationibus euoluitur, aliam omnino rationem eſſe. Spiritui enim *influo*, aut *inſito* vehementius in motum actis, ſiue ambobus veluti congredientibus acceptum refert. Atque vt rem clarius proponat, exemplo vtitur vulgatiſſimo, quod ab HELMONTIO mutuatur. *Ponamus*, inquit, *ſpinam digito infixam, cujus occaſione excitatur dolor; hinc aeſtus, rubor, et denique ſequitur tumor. Spina non eſt calida: igitur ne ſuperuenientis intemperiei ejus cauſſa efficiens formalis, ſed ſaltem occaſionalis, et ratione laeſionis tantum intemperiem calidam poſt ſe trahit; ratione doloris concitatius mouendo ſpiritum influum ad partem affectam tam per neruos, quam per vaſa; ex cuius cum inſito* (ſpiritu) *motu concitatiori, et quaſi colliſione tam aciditas antea occulta, fit manifeſta, quam calor ante temperatus, fit intenſior, et praeternaturalis. Talem autem ſpinam in omni calore aucto, et inflammatione partium deprehendimus: talis ſpina eſt, e. g., in grumo lactis in mammis congulati; talis ſpina eſt acidum iſtud in pleuritide, quod pungit pleuram, et pulmonum alteram partem affligit, cujus vellicationis*

licationis occasione inflammatio, et suppuratio earum partium superuenit. Talis spina est in ictu apum etc. in puluiſculo in oculos illapſo, in acido varioloſo ophthalmiam excitante, atque in multis aliis ejusmodi *p*).

XIII. Quare non dubitat decernere, *sanguinis coaceruationem* in tumore phlegmonode accipiendam eſſe, vt *Symptoma superueniens*, non vt *cauſſam ardoris*. Nam, inquit, *propter dolorem stringuntur fibrae, arctantur venae, impeditur reditus humorum, vnde stagnatio, et sic tandem superuenit tumor sanguineus, et inflammatio. Hinc euulsa spina cessat omnis inflammatio, et dolor.* Et paullo poſt ſubjicit: *ergo cauſſa tumoris non est sanguis, sed irritatio dolorosa, seu spina, quae in cauſſa interna semper est acidum partibus corporis extra ventriculum hostile, et quod in spiritu insito motum concitatiorem facit, quo ipso spiritus ante temperati, fiunt intemperati, et aciditas antea quoque temperata, fit intemperata, et manifesta.*

XIV. Quam igitur alii ſanguinis congeſtionem, aut ſtaſin, vaſorumque obſtructionem, veluti proximam inflammationis cauſſam habent, ERTMVLLERVS in ſua hac prima de inflammationis origine, et natura diſquiſitione, tamquam effectum cauſſae inflammationis, atque adeo inflammationi ſupervenientem tantummodo conſiderandam eſſe cenſet. Cauſſam vero omnem, et, vti ajunt, proximam in *ſpina infixa*, id eſt, in acri quodam principio, quod ſenſibilitatem alicujus partis afficiat, ſitam eſſe ſtatuit. Nam excitato doloris ſenſu, *ſpiritus influus*, nempe, vt ego interpretor, nerveus, atque ipſemet ſanguis vndique illuc allicitur,

p) *Inſt. Med. Therap. ſect.* III. *oper. omn.* T. I. P. I. *p.* 413.

et confluit. Sed simul *spiritus insitus*, siue vt sermone vtar hodiernis auribus magis accommodato, *vis irritabilitatis* vasorum, fibrarumque omnium *elasticitas* ad motum, actionemque adiguntur. Ex mutuo ejusmodi nisu, et renisu, siue conflictu, et *collisione* calor, aestusque consequitur. Praeterea neruis dolore affectis, et fibris muscularibus vehementer irritatis spasmi, siue contractiones insolitae, et tonicae in parte laborante oriuntur, quibus sanguinis cursus, et praesertim reditus per venas non modo difficilior redditur, verum etiam interdum penitus intercipitur. Hinc ejus mora, congestio, tumor, tensio, ruborque partis inflammatae facile deducuntur. Atque haec est summa, vt mihi videtur, primae cl. auctoris de inflammatione sententiae.

XV. Nunc ad alteram progredior. In hac vero, contra ac supra censuit, omnino opinatur, tumores, *qui vocantur inflammationes*, a congestione, et coaceruatione sanguinis *in vasis capillaribus venosis, et partium spatiolis* haerentis, ibique mox excandescentis, et *molestum doloris sensum in parte quadam* sensili excitantis esse *q*) deriuandos. Congeri autem, et coaceruari sanguinem ex eo putat, quod sanguinis plus influat per arterias, quam per venas recipi, reuehique possit. *Caussa* igitur, *materialis proxima* inflammationis hoc loco ab eodem dicitur *sanguis collectus, et stagnans in parte quadam ob impeditum suum ex arteriis in venas refluxum ita, vt plus influat, quam refluere valeat per venas.* Quot modis porro refluxus iste per venas retardari, inhiberique soleat, diligentissime ipse inquirit, et explanat. Deinde ad praecipua, et propria inflammationis

q) *Oper. med. T. 2. P. 1. Colleg. Practic. sect. XVIII. p. 595.*

mationis phaenomena, calorem videlicet, ruborem, tumorem, et dolorem se conuertit, eaque sic explicare conatur: *Cum sanguis, qui dat inflammationem, sit materia rubra spirituosa, et calida, ergo calefaciet partes, et pars necessario exinde rubet; quia vero plus influit sanguinis, quam refluit, dum ita stagnat, et in parte haeret, necessario pars intumescit, et cum a tumore distendantur partes fibrosae, et hinc necessario excitabitur dolor, et consequenter inflammatio.* Demum in suppurationem, siue abscessum inflammationem verti tum dicit, cum stagnans sanguis corruptionem subeat; quemadmodum paullatim id fieri consueuit. Quod si *in parte inflammata nihil omnino refluere queat, adeoque reciprocus spiritus influi fiat motus, a quo sustentetur insitus, necessario* superuenire *tandem gangraenam, dum sanguis spiritu vitali influo priuatus corrumpitur, et putrescit, indeque pars suppresso spiritu insito, emoritur*, acute, et subtiliter pro sui temporis physiologicis doctrinis commentatur.

XVI. Inter haec SYDENHAMIVS *r*), qui rarissime theoreticis aliorum speculationibus vtitur, sed suas sibi ipse confingit aetiologias, prout assidua obseruatio, et magister vsus ei indicare videntur, peculiarem humorum diathesim in inflammationibus sibi visus est reperisse, cum eam in ipsa sanguinis accensione, effrenique feruore consistere passim tradat. Neque sollicitus est, motusne in aliqua parte, aut pluribus retardetur, an augeatur. Sanguine tamen sic inflammato, atque efferuescente, motuque febrili circumquaque acto, quasdam ejus partes accensas, aut praecalidas putat modo ad cerebrum, modo ad pleuram, modo ad pulmonem, modo ad exteriora, et cutim transferri, ibique

r) Speciatim *sect.* II. *cap.* 2. *pag.* 122. *et sect. VI. cap.* 3. *pag.* 305. *oper. ed. Patav.*

que deponi, et ſic phrenitidem, pleuritidem, peripneumoniam, atque eryſipelas enaſci. Quod quidem etſi non raro eueniat in febribus acutis, et quandoque etiam euenire poſſe non negem in ſingularibus quibuſdam inflammationibus, quae ſine vllo morbo antecedente oriuntur; tamen ſi rem penitius intueamur, non eamdem in omnibus originis rationem eſſe, comperiemus. Nam ſaepe nulla eas antecedit inflammatoria diatheſis ſanguinis, ſed tantummodo conſequitur.

XVII. Iam vero quaerendum eſt, quid illi, qui omnia ad mechanicas, hydraulicaſque leges exigere ſolent, excogitarint. In his BELLINIVS *ſ*) primas propemodum tenens, vbi inflammationis meminit, auctum quidem ſanguinis calorem cum veteribus aſſumit, ſed vna eum eodem capillarium vaſorum obſtructionem conjungit. Haec autem obſtructio tanti facta eſt a PITCARNIO *t*), vt non aliunde inflammationem, quam a ſanguine in *arteriis capillaribus* ſtagnante, atque haerente manare crediderit. FRIDERICVS vero HOFFMANNVS ejuſmodi obſtructionem non modo in arteriis rubris agnouit, verum ab his ad laterales ſeroſas, et lymphaticas arterias, imo ad venas etiam produxit. Nam inflammationem ipſe definiuit *u*) *ſtaſim non tam in tubulis arterioſis, et venoſis, qui ſanguinem ordinario vehunt, quam potius in lateralibus, qui ob anguſtiam diametri non rubicundos ſanguinis globulos, ſed tantum tenuem lymphaticum humorem ſecundum naturam admittunt.*

XVIII.

ſ) *De Febrib. Propoſit. XXI. pag.* 237. *De morb. pector. de Peripn. p.* 403. et alibi paſſim.

t) *Element. med. Phyſic. mathemat. lib.* 2. *cap. IX. et XIV.* *u*) *Medicin. ſyſtemat. T. IV. P.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 3. §. *V.*

XVIII. Hinc non arduum ei videtur mente aſſequi, cur *rubore* pars inflammata ſuffundatur. Neque difficilius intellectu reputat, quam ob rem *ardor*, et *flammae* ſenſus in ea percipiatur. Nam *partim*, inquit, *affluens jugiter ſanguis per canales ſemiobſtructos, vel conſtrictos, majori celeritate fertur, partim etiam libero tranſitu excluſus, ad ramos ampliores regurgitat, ibique crebriorem diaſtolen facit, ac ſyſtolen; vnde magna accidit partium ſulphurearum attritio mutua, et calor maximus, qui eo ſenſibilior, quo magis exquiſito ſenſu pars eſt, in qua malum conſiſtit.* Dolorem demum tribuit *preſſioni* neruorum, quam hi patiuntur a *minimis* aeque, ac a *majoribus vaſis nimium diſtentis;* lentorem vero, et craſſitiem ſanguinis, quo vaſa obſtruuntur, aut minimorum vaſculorum ſpaſticam conſtrictionem, qua tranſitus humoribus denegatur, vti cauſſam accipit, cur *liber et aequabilis ſanguinis curſus per minima arteriarum, et venarum intercipiatur, iſque in exiliora aquoſi tenuis humoris receptacula praeter naturam impingatur.* Quibus in rebus quid veri, quid falſi deprehenderint viri medica ſcientia praeſtantiſſimi, infra patebit.

XIX. Hinc tamen vniuerſim illud profluxit, et potiſſimum apud reliquos mechanicis diſciplinis addictos obtinuit, vt crederent, cauſſam cujuſque inflammationis proximam eſſe arteriolarum rubrarum, aut rubris propiorum obſtructionem, vtcunque natam, ſiue a mole, aut lentore ſanguineorum globulorum auctis, ſiue ab imminuta canalium capacitate, et diametro: atque ab hujuſmodi obſtructione neceſſario ſanguinis motum, impetumque increſcere in obſtructa, tanto videlicet vehementiorem, quanto majus ſeſe eidem objiciat obſtaculum ſuperandum; augerique ſimul in vaſis liberis ejuſdem velocitatem, ideoque ad cor etiam reditum,

reditum, quo in celeriores, validioresque systoles adigatur; indeque praecipua inflammationis phaenomena, calorem puta, dolorem, tumorem, febrimque facile explicari, intelligique posse.

XX. Hanc ipsam inflammationis explicationem probauit etiam, amplexusque est Cl. HERMANNVS BOERHAAVIVS, a ceteris nihil, aut parum discedens *x*). Quae enim habet de inflammatione *per errorem loci*, et de seriebus decrescentium vasculorum, in quae aut globulus sanguineus, aut serosus, aut quicunque alius mole majori, quam vasis amplitudo capere naturaliter possit, irrepserit, ita hypothetica videntur, atque anatomiae, et physiologiae veriori magnam partem contraria, vt, postquam HALLERVS *z*), SENACIVS *z**), CALDANIVS *y*), et AZZOGVIDIVS *yy*), quibuscum vetus me necessitudo conjunxit, in ea animaduersiones suas ediderunt, pluribus non opus sit, vt refellantur. Ceterum sensit vir summus, quantis premeretur difficultatibus, si vellet a sola arteriolarum obstructione inflammationem deducere. Videbat enim nec inde peculiaria inflammationis symptomata oriri, nec intelligi posse, nec a simplici eam obstructione satis bene distingui. Quas ob res addidit obstructioni attritum, quo se commode tueretur; et inflammationem dixit esse *cruoris rubri arteriosi in minimis canalibus stagnantis attritum a motu reliqui cruoris moti, et per febrim fortius acti.*

XXI. Verum non animaduertit perspicacissimus alioquin naturae scrutator, minimas arterias rubras, quas

x) *Aphorism. de cognosc. et curand. morb.* §. 370. 371. *z*) *Element. Physiolog. T. 2. l. VI. sect. 2.* §. *XIV. ed. venet. p.* 176. *z**) *Del cuore T. 2. nel supplim. cap. VIII. p.* 342. *et segq. y*) *Institut. Pathолog. cap. IX. n.* 112. *yy*) *Institut. medic. vol. 2.* §. 511. *et segq.*

quas perfecte vbique conicas, et conuergentes assumsit, tales nequaquam esse, cum magna ex parte cylindricae anatomicis examinibus inuentae sint, nec idcirco in earum finibus ob angustiorem diametrum globulos sanguineos, vbi semel in eos penetrauerint, substituros, inhaesurosque esse, vti falso sibi persuaserat. Neque aperte significauit, aut significare potuit, qua ratione *attritus* in stagnante sanguine fieret a *motu reliqui cruoris*, cum nullam indicet caussam, qua cruor a tergo impellatur in vas obstructum, neque ad id satis valeat cordis impellens vis, vt capta in viuis animalibus experimenta ostendunt; neque ipsa febris, quam in auxilium hic vocat, supplementum vllum suppeditare possit, quia saepe ipsa ab inflammatione abesse visa est. Haec tamen Boerhaaviana inflammationis illustratio, quam fuse in *aphorismis de cognoscendis, et curandis morbis* persecutus est *a*), ita plerisque sui temporis Medicis placuit, vt non alia in publicis scholis majori cum plausu excepta, et multos annos exculta fuerit.

XXII. At primus, qui contra eam caput extulerit, fuit certe IO. GORTERIVS, BOERHAAVII ipsius olim auditor, fama deinde excellentis medici clarus, et multorum voluminum scriptor illustris. Is phaenomena inflammationis diligentius excutiens, cognouit primum, pulsationem arteriarum, in quibus antea vel nulla, vel certe multo minor percipiebatur, sensibilem in inflammatione, majoremque reddi, idque, vt plane manifestum est, contingere non posse, nisi aucta arteriarum actione. *Hanc autem b) pulsationem fieri non posse ex vno, alteroue ramo arteriae* obstructo, ostendere conatus est

a) §. 372. *vsque ad* §. 386. *b*) *Chirurg. Repurgat. lib.* III. *cap.* 3. *et Compend. Med. Tract.* 47.

eſt experimentis hydraulicis, *ex quibus*, inquit, *conſtat, liquorem fluentem per canalem ramoſum a trunco per ramos, vt ſit in arteriis ab obſtructo vno ramo, vel orificio, quod non plus, quam centeſimam partem liquoris tranſmittit, in reliquis ramis, vel orificiis velocitatem non vltra centeſimam partem augere, atque non plus vrgere in hoc orificium clauſum, quam in reliqua latera omnium ramorum, et trunci, quae exigua mutatio percipi non poteſt, vt fieret in minimae partis inflammatae obſtructione. Imo experimentis anatomicis* demonſtrari, *ſi comprimatur ramuſculus minor arteriae, ſanguinem antea per apertum ramum fluentem deriuari per anaſtomoſes, quae inter minimas arterias ſunt copioſiſſimae,* compertumque eſſe, *ex obſtructo, vel compreſſo ramo paruae arteriae partem non rubere vel tumere, ſed ſequi ſanguinem ſuam viam per alias anaſtomoſes.*

XXIII. Quapropter induci ipſe non potuit, vt crederet *pulſationem, et inflammationem fieri ab obſtructione arteriarum.* Neque valde permotus eſt objectatione, quod *ligata arteria major pulſet vehementius ſuper ligaturam; nam inflammationis obſtructio,* vt recte reſpondet, conſtituitur in *arteriis minimis,* non in truncis earum, in quibus experimentum habet quidem alium, quam in ramulis, euentum. In his enim, cum longiſſime a corde, ejuſque impulſu abſint, et multis anaſtomoſibus inter ſe communicent, ſanguis ſi obſtaculum offendat, poſt leues quaſdam, vt ita dicam, oſcillationes refluit verſus truncum, et per alios ramos apertos, et liberos ſuum iter proſequitur, vaſculo, in quo obſtructio eſt, tamquam pleno, et ſolido derelicto. Contra in illis ob vehementem proximi cordis impulſum, copiamque majorem ſanguinis ab eo projecti, quam in paucos, et laterales ramos diuertere poſſit, neceſſe eſt, vt *ligata arteria major pulſet vehemen-*

vehementius ſupra ligaturam, id quod nemo non facile largietur. Quo enim ſe recipiat, diuergatque tanta ſanguinis copia magna vi proiecta, in truncis maioribus locus eſt nullus. Calorem porro adurentem, qui inflammationem ſequitur, procul dubio euincere putat, *motum vitalem auctum* in peculiari loco, *eſſe inflammationis cauſſam*, *cum* contra *obſtructio ex ſua natura inferat frigus*. Nam *motus vitalis in nobis* videtur ei eſſe *naturalis caloris cauſſa*. Hinc a Praeceptoris opinione deſciſcens inflammationis cuiuſque *particularis ab interna cauſſa natae proximam cauſſam* profitetur eſſe *motum vitalem validiorem in quodam ramo arteriae, quo vrgetur ſanguis ruber in arterias lymphaticas, ſanguiſque compingitur reliquus in lentorem*: generalem vero inflammationem, ſiue febrem *inflammatoriam*, quae *ardens* dici ſolet, exſuſcitari, cum non in vno ramo, ſed in vniuerſo arteriarum ſyſtemate fiat concitatior.

XXIV. Ex his igitur colligit, omnia ea, quae ad motum maiorem compellunt arterias, inflammationem pro maiore, vel minore locorum ſpatio cum *generalem*, tum *particularem* inferre poſſe; exempliſque adductis, quae apud ipſum legi merentur, rem illuſtrare voluit. Ergo GORTERII ſententia inflammatio ea eſt ſanguinis rubri in arterias lymphaticas, ſiue ſeroſas violenta introductio, quam efficit motus vitalis alicuius arteriae, aut alicuius eius rami validior, et concitatior. Per motum autem vitalem hic intelligit actionem illam tantummodo, quam, dum viuit animal, edunt vaſa arterioſa alternatim ſe contrahendo, et dilatando, vt ſanguinis circuitum, vitamque ipſam ſuſtineant. Cum hoc *motu vitali validiore* GORTERII magnam habet affinitatem *auctus tonicus vaſorum motus*, quem ad inflammationem efficiendam neceſſarium

praedicant STAHLIANI *c*), praeter notiſſimam illam animae vim, ſiue prouidentiam, qua volunt principium vitale, ſiue cordis actionem incitari, atque adeo ſanguinis motum augeri, et in obſtructos canales dirigi, exercerique.

XXV. At contra HOFFMANNVM, reliquoſque omnes, qui, poſita arteriolarum rubrarum obſtructione, docent, celeriorem per vaſa ſemiobſtructa, aut coarctata, aut per reliqua aperta, et libera ſanguinis motum euadere, atque in obſtructos canales ſanguinem a trunco decurrentem vehementius impingi; multo acrius, et confidentius inuehitur SAVVAGESIVS *d*), contendens mechanicis, hydrauliciſque legibus omnino repugnare, celeritatem, aut mouentes vires pro aucta obſtaculorum poteſtate intendi, vt vulgo credebatur. Etenim apud quoſque hydraulicarum rerum peritiſſimos certiſſimum, inquit, theorema eſt, ſi media ramorum ex aliquo ſingulari tubo prodeuntium pars obſtruatur, velocitatem, qua liquor in trunco excurrebat, dimidio minorem reddi, niſi vis impellens ita augeatur, vt quadrupla euadat; ac, ſi duae tertiae ramorum partes occludantur, vis eadem ad octuplum, aut nonuplum augeatur oportere, vt liquor ea celeritate, qua antea pollebat, omnino moueatur. Non ergo ex obſtructione minimorum canalium celeritas in reliquis liberis, aut vis mouens in truncis increſcit, vt paſſim ſibi finxerant non pauci medicorum mechanicis diſciplinis non ſatis inſtituti. Neque quis obiiciat, vaſa obſtructa *elaſtica* eſſe, ideoque quo magis diſtenduntur, eo validius ſe ſe reſtituere: nam tunicae eorum, etiamſi vera,

c) STAHL. *de Inflam. Patholog.* et JVNCKER *Tab. XX.*

d) *Diſſert. ſur l'inflammation* §. 43. 44. et *Noſolog. method. claſſ. III. N.* 31. *ad* 102.

vera, et perfecta *elaſtra* eſſent, et eiuſmodi humorum infarctu diſtraherentur, vrgerenturque, non tamen poſſent ſe ſe reſtituere, quamdiu ſtagnans, aggeſtuſque humor in eaſdem vim faceret. Quod ſi humor recederet, minuſque vrgeret, non tamen ſe ſe *reſtituerent*, niſi tantum, quantum fuiſſent *diſtentae*; neque poſſent, quod ſummum eſt, contento liquori, niſi eam celeritatem impertire, quam ab eo accepiſſent. Id autem nequaquam ſufficeret ad augendam celeritatem humorum fluentium, vt petebatur. Atqui in quauis grauiore inflammatione ſanguinis motum, celeritatemque (quando cum febre eſt) augeri, intendique, non modo ex vna omnium obſeruatione conſtat, verum etiam vltro fatetur ipſemet SAVVAGESIVS. Quare vt aliquam aucti huiuſce motus cauſſam adducat, quoniam neque ab hydraulicis legibus, neque ab elaſticitate deriuandus erat, ad animae confugit poteſtatem, *cuius voluntate, et iuſſu cum* STAHLIANIS, putat, cor ad ſe ſe vehementius mouendum impelli, ſicque aucto humorum motu eniti, vt oppoſita obſtacula ſuperentur, et tollantur.

XXVI. Haec a SAVVAGESIO ſubtiliter diſputata quanquam vero proxima ſint, conſentiantque prorſus cum *obſeruationibus*, quae a *cl. viris in viuis* animalibus habitae fuerunt; non tamen eiuſmodi nobis videntur, quae cogere eum debuiſſent ad amplectendam STAHLIANORVM ſententiam, de anima ſcilicet omnium, et praecipue cordis, motuum effectrice, quo commodius auctum ſanguinis ad partem inflammatam appulſum tueretur. Debuerunt potius eum ad ſuſpicandum compellere obſtructionem, cui inflammatio tribuebatur, commentitiam eſſe, vtpote phaenomenis inflammationis praeſtandis ineptam, vel rectius interdum pro inflammationis effectu habendam, vel ſi quando

cauſſae proximae loco eſſe poſſit, aliquid aliud obſtructioni adiungi, quod motum vitalem in ea parte, quae obſtructione laborat, concitatiorem faciat. Haec vnice conſequi videbantur, recte cogitanti, neque opus ei erat ad STAHLII deflectere opinionem, quae non ſolum apud cordatos viros iam euiluit, verum etiam vel vno HALLERI experimento *), vt figmentum, et somnium exploditur facile.

XXVII. Sed poſita etiam obſtructione, vt cauſſa inflammationis, quamuis ex ea augmentum motus concipi non poſſet, non tamen iſto animae adiumento eguiſſet doctiſſimus SAVVAGESIVS, ſi praeter *elaſticitatem*, quam quidem per ſe augendo motui non ſatis valere nouerat, vim illam vaſis inſitam, quam *vitalem* alii appellant, alii *organicam*, animalium potiſſimum propriam, quamque veriſimillimum eſt ab *irritabilitate* fibrarum *Halleriana*, aut a neruorum *ſenſibilitate*, aut ab vtriſque ſimul iunctis proficiſci, ſi, inquam, huiuſmodi illam vim, vt par erat, aeſtimaſſet. Nam hac aliqua in parte excitata, valentiuſque agente, quod facile vſu venit, arteriae crebrius, fortiuſque alternatim ſubſilientes ſanguinis motum ibidem intendunt, incitantque manifeſtiſſime, quin cordis actio ne hilum quidem increuerit, aut increſcat. Teſtantur id clinici, qui ſine vlla motus cordis mutatione ſaepiſſime in aliqua parte arteriarum micatus ſic auctos repererunt, vt febrem topicam imitari viderentur: imo experientia

*) Experimentum eſt huiuſmodi. In Rana, cui caput amputatum, et medulla ſpinalis exciſa ſit, ſi aorta vinculo intercipiatur, aut cor ipſum cum vaſis ligatum de pectore euellatur, perinde cor contra obſtaculum nititur, etiamſi animae conſilium, aut imperium tunc nullum ſupereſſe poſſit. Vid. HALLER. *Elem. Phyſiol.* l. IV. p. 322. *not. K. p.* 323. *not. r. Item T. 2. l. VI. ſect. 2. §. XIV.*

rientia edocti assueuerant, varium in diuersis corporis partibus esse posse sanguinis motum, atque adeo velocitatem, frequentiamque pulsus in morbis pro partium affectarum ratione *a*) variari. Concitatior in primis arteriarum motus deprehendi solet nedum in partibus inflammatione correptis, verum in proximis etiam, in artubus arthritide, aut podagra, aut quouis alio doloris genere laborantibus, in capite hemicrania, aut cephalalgia affecto, in latere pleuritide excruciato, et sic porro. Id autem adeo certum est, vt in ipsis animalibus viuis sectioni anatomicae subiectis cerni possit. In his enim Cl. HALLERVS *b*) saepe vidit sanguinem in aliqua parte lentissime fluere, imo etiam omnino subsistere, et conquiescere, dum in alia veloci cursu agebatur.

XXVIII. Demum non video, qua ratione excusari Cl. auctor possit, quod inconsulto, et temere nimis sperauerit, per motum cordis auctum omnem difficultatem* sublatum iri. Hoc enim fieri potest, vt sanguis maiori vi, et velocitate per vniuersum quidem corpus proiiciatur; non vero, vt peculiariter in obstructas arterias, quasi mente valeret, validius suam vim exerceat, nitaturque obstacula

a) BORDEVX *Recherch. sur les pouls p.* 313. *et seq.* PECHLIN *observ.* 2. *L.* 5. HOFFMANN. *Medicin. system. T.* 1. *p.* 115. ALBERTIN. *Comment. Acad. Bonon. T.* 1. *p.* 387. etc.

b) *Second. Mémoir. sur le mouvement du sang, experienc.* 90.

* STAHLIANORVM de animae in tuenda restituendaque valetudine officio fictitia paene omnia sunt. HEISTERVS in *Dissert. de Medicin. Mechanic. praestantia* multa contra eos disputauit. Idem fecere alii bene multi. Contra vero SAVVAGESIVM extat Epistola JOSEPHI ANTONII PVIATI ad filium, qua illius de caussa inflammationis, et febrium sententia refellitur. Vid. *Raccolta d'Opuscoli del P. Calogera T.* 50.

remouere. Rationis lumine caret tum cordis, tum ſanguinis motus. Obſtant hydraulicae leges, quas ne animae quidem liceret pro arbitrio ſubuertere, aut immutare. Quid vbi nulla febris, id eſt, vt rectius loquar, nulla cordis, et arteriarum aucta velocitas, excepta parte inflammata, inflammationem conſequitur, vt ſaepe a Clinicis obſeruatum? An tum anima cordis adauget motum? Num forte oblita ſui muneris eſt? Quaero tandem, cur anima eodem auxilii genere non vtitur in ceteris vaſorum, et viſcerum obſtructionibus? cauſſa eadem, idemque finis nonne eamdem ab anima opem efflagitarent? At vereor, num inflammationi, ſiue vaſorum obſtructioni remedio ſemper eſſet auctus huiuſmodi cordis, et ſanguinis motus, ita vt eo ſolo praeſidio vitae incolumitati anima proſpicere tentaret. Ego certe nollem, vt mihi ſic anima ſemper proſpiceret.

XXIX. Atque hae ſunt praecipuae, celebriores-que Medicorum de inflammationis natura commentationes, a quibus reliquae, ſi quae aliae memoratu dignae exiſtunt, profectae eſſe videntur. Quapropter non eſt, cur in his ſingillatim referendis ad nauſeam vſque, faſtidiumque progrediar. Miſſas quoque faciam nuperiorum quorumdam noviſſimas et ſingulares de eadem re cogitationes, eorum in primis, qui vt noui aliquid proferant, ingenio nimium ſuo indulgentes inflammationem in neſcio qua oleoſae ſanguinis partis, aut adipis ipſius * fermentatione, vel in tenuitate maiori, quam

* Si quis cupiat ſcire, quae aduerſus huiuſmodi opinionem dici poſſunt, legat duo Opuſcula, alterum *Anonymi* mihi amiciſſimi, quod extat in *Diario Medico* PETRI ORTESCHII Tom. IV. N. LXV., alterum FRANCISCI PANCIATICHI Medici Foroliuienſis, ad me perſcriptum, quod Foroliuii

quam ſoleat natura eſſe, concreſcibilis, et fibroſae ſanguinis partis **, vel in maiori ignei principii copia, vel in *phlogiſti* euolutione, vel in diatheſi inflammatoria locandam, ponendamque volunt; cum non minoribus implicatae *difficultatibus* prope videantur. Ab earum autem examine temperandum maxime ducimus, ne doctiſſimis auctoribus, a quibus editae, et propugnatae ſunt, bellum indicere credamur, et propterea, quid vnaquaeque valeat, tempori decernendum relinquimus.

XXX. Ceterum etſi pleraeque *iſtarum opinionum* inter ſe quodammodo pugnare videantur, ſibique propemodum aduerſentur: ſi quis tamen eas pacato, aequoque animo perpendere velit, comperiet facile, alias non exigua affinitate conuenire; alias verbis magis, quam re ipſa diſcrepare; alias etiam, quae primo intuitu minus fortaſſe probandae videntur, non prorſus, aut certe non longiſſime a veri ſimilitudine diſſidere. Ex iis quoque, quae aut a nobis in aliquarum expoſitione dicta ſunt, aut ex anatome, et phyſiologia comperta habentur, expeditiſſimum erit cuicunque hiſce

Foroliuii anno 1771. prodiit hoc titulo: *Confutazione d'una lettera etc.*

** HEWSON, quem ſecutus eſt etiam CALLISENIVS, opinatur imminutam in inflammationibus eſſe *ſanguinis concreſcibilitatem*. Praecipuum argumentum, quo ambo hi vtuntur, eſt *cruſtae inflammatoriae*, qua ſanguis miſſus contegi ſolet, tardior, et lentior, quam craſſamenti rubri, coagulatio. Eam enim a *lympha* coagulabili *valde attenuata*, adeoque ſerius inſpiſſanda formari aiunt. Quae contra afferri poſſunt, infra, vbi de diatheſi inflammatoria agemus, indicabuntur. Hic ſolum ſatis nobis eſt admonere, inflammationes pleraſque ſanguinis miſſione curari. Quis autem aliquid boni, vbi imminuta ſit ſanguinis concreſcibilitas, ſiue cohaerendi vis, a ſanguinis miſſionibus ſibi polliceatur?

disciplinis vel leuiter imbuto dispicere, quid in qualibet offendatur, aut reprehendi, aut desiderari queat, quid approbari, et retineri debeat. Itaque relicta aliis longiori huiusmodi disquisitione, quod supereſt, quodque ab initio recepi, potius ipse persoluam, ea inflammationis proposita explicatione, quam magis rationi, et naturae legibus consentaneam existimauero.

XXXI. Conuenit plane inter omnes, partem inflammatione correptam, quando ea oculis patet, rubere praeter morem, calere, intumescere, dolere, et pulsatione quadam intus pertundi. Hinc euidentissime colligere est, sanguinem late sumtum in illam vberius, vehementiusque influere, quemadmodum iam ab HIPPOCRATE primum, eiusque discipulis (§. VI.), deinde a GALENO, eiusque assectis (§. VIII.) bene multis et cognitum est, et traditum. At, si quantum per arterias adfertur, tantum per venas reueheretur; tum veri simillimum crederem, nullam profecto inflammationem fore. Nam copiosiorem, vehementioremque sanguinis in omnes corporis partes proiectionem, quae in quacunque febre acutiore fit, nulla necessario singularis alicuius partis inflammatio consequitur, quamdiu videlicet a venis tantumdem recipitur, quantum aduehitur ab arteriis. Ergo vt pars aliqua inflammetur, tumeat, caleat, doleatque, alterutrum sequi necesse est, nempe vel sanguinem ab arteriis aduectum non totum in venas recipi, quod pluribus ex caussis accidere potest, vel ita in eam impelli, vt orificia vasorum lateralium, vel meatus, quos poros inorganicos vocant, vrgeat, dilatet, et sibi in aliena loca viam faciat. Vtroque autem modo sanguis influens, vasa minima mirifice replet, distenditque, imo quae singulos rubros globulos admittere solita esse creduntur, iam plures simul recipiunt,

recipiunt, ampliantur, et rubore, qui antea inconſpicuus erat, quodam inſigniori ſe ſe oculis obiiciunt, et patefaciunt. Neque infrequens ſane eſt, ſanguinem ex huiusmodi vaſculis rubris vnum alioquin globulum ferentibus per exhalantes canaliculos aeque, ac per reſeratos tunicarum inorganicos poros in proxima telae cellulosae ſpatiola adigi, et depluere*, quod GALENVS olim (§. VIII. not. f.), hodieque cum multis aliis HALLERVS c) cadauerum ſectionibus innixus, luculenter docuerunt; nec fortaſſe a natura alienum omnino eſt, eum in *ſeroſas arterias*, ſi quae tamen ſunt, quae ab arteriolis globulum vnum ferentibus, ideoque non rubentibus differant, intrudi, ibi haerere, accumulari, et proxima quaeque loca premere, ſicuti HOFFMANNO (§. XVII.) et GORTERIO (§. XXIII.) viſum eſt.

XXXII. A dilatatis, repletiſque minimis vaſculis, atque ab effuſo interdum in aliena loca ſanguine vt facile rubor, tenſio, et tumor partis proficiſcitur,

* Celluloſum textum oppletum, dilatatumque in inflammatis partibus oſtendunt ipſae cadauerum ſectiones. Id etiam confirmatur attenta obſeruatione membranarum, quae magnam aliquam inflammationem paſſae ſunt; nam hae plerumque multo craſſiores, duriores, plenioreſque, quam naturalis earum conſtitutio ferat, remanent, dilatatis nimirum, turgentibuſque adhuc cellularis telae loculis. Quando autem ſanguinem dico in celluloſa ſpatia effundi, non eius rubram tantum partem intelligo, ſed reliquas etiam eius partes, ex quibus ipſe coaleſcit, ſerum nempe, et lympham. Imo probabile omnino eſt, interdum tenuem eius partem, quam fibroſam, aut concreſcibilem vocant, ni ſolam, potiſſimam certe emitti, atque exſudare. Id comprobare videntur concretiones illae albidae, aut ex albo flaueſcentes, quae membranarum inſtar inueniri ſolent circa viſcera inflammationem paſſa. Ad rem faciunt quae habet Cel. PALLVCIVS in *Arte Nuova ecc. pag.* 94. 95.

c) *Opuſc. Pathолog. Obſerv. XIV.*

ſic a velociori, vberiorique ſanguinis appulſu maior arteriarum pulſatio, quam ex conſuetudine, dependet. Quod ad calorem, ardoremque ſpectat, qui inflammationem comitatur, ſcio equidem, quoniam Phyſiologi eius cauſſam in corpore animali nondum bene ſe noſſe fatentur, difficilis eum eſſe explicationis *. Non tamen valde abeſſe a vero videretur qui dixerit, a ſanguinis rubri copia, accumulatione, et motu aucto, aut a partium eius, vaſorum continentium mutua, intimaque colliſione, ſiue attritu, aut ab ignei principii, aut, ſi mauis, phlogiſti euolutione, et motu, quod eodem ferme recidit, eum excitari **. Dum vero haec fiunt, neruea filamenta diſtrahan-

* Vid. HAEN. *rat. med. P.* 2. *cap.* 10. *p.* 124. *et P.* 3. *cap.* 3. *p.* 129. vbi extant multa, quae animaduerſione digniſſima videntur.

** QVESNAEVS ſtatum naturalem ignei elementi in frigore ponendum arbitrabatur, neque illud calere per ſe ipſum, niſi quibuſdam cauſſis in motum calorificum ageretur. Reuera ſola eius praeſentia, aut copia non ciet calorem, vt Phyſicis iam notum eſt. Duplicem praeterea in corpore humano calorem agnoſcebat, *naturalem* nempe, et calorem ex *acrimonia*, ſiue ad ſenſum. Ille ab igneo elemento in motum calorificum acto, hic ab acribus rebus in nos agentibus, et ſenſum caloris excitantibus gigni videtur. *Traité des fievr. T.* 1. *chap.* 3. *artic.* 1. §. *IV. V. p.* 112. Similem caloris humani diſtinctionem habet etiam GORTERIVS, et, ni fallor, ſatis recte. Notatu quoque dignum eſt, interdum magnum calorem motui aucto circulationis ſuccedere; interdum ingentem calorem cum moderato arteriarum micatu coniungi. Non ergo in ratione directa motus, ſaltem progreſſiui, increſcit calor, ſed corporis fortaſſe moti, et motus ipſius varietas differentiam facit. Eſt quoque caloris genus quoddam, quod Thermometro non deprehenditur, ſed ſenſui ſolum innoteſcit, quale illud eſt, quod ab acrimonia appellauimus. Huiuſmodi ſane eſt calor ille moleſtus, quo excruciamur ob impeditam perſpirationem, aut quem, ſimul ac in aërem phlogiſticatum ingredimur, ſenſu percipimus, dum interea thermo-

distrahantur, diuellanturque, necesse est. Hinc dolor multiplex ***, punctionisque, vel alius cuiusvis molestiae sensus pro vario inflammationis genere, et gradu, pro varia humoris indole, loci natura, sensibilitatis ratione saepe diuersus exoritur. Dolor demum, vbi vehemens est, diuque trahitur, spasmum excitat, qui vasorum repletioni contra nitenti adiunctus cauſſam probabiliter continet pulsus duri, et vibrantis, quem crebro inflammationis comitem esse, medici norunt.

XXXIII. Vt vero copiosior, velociorque sanguinis arterioſi fiat in aliquam partem influxus, nequaquam necesse est, quemadmodum supra demonstrauimus, cum SAVVAGESIO ad auctam cordis vim confugere; neque haec, etiamsi augeretur, illico inflammationem efficeret. Nam, si haec satis esset ad inflammationem excitandam, omnis simplex obstructio, superueniente vndecunque febre, id est, aucto cordis, et arteriarum motu, vt plerumque in febre euenit, inflammationis naturam acquireret, et vera inflammatio euaderet, quod tamen generatim falsissimum est. Neque pariter satis est, per venas retardari sanguinis reditum, vti ETTMVELLERI fuit opinio: nam id quidem congestionem, obstructionisque quoddam genus praestaret, non vero inflammationem. Haec siquidem non tantum copiam, sed impetum influentis sanguinis videtur expoſcere: qui impetus esse nequaquam potest, vbi venae non satis celeriter deplentur. Retardato per venas reditu, quasi obex sanguini

thermometro vix vllum discrimen inter hunc, et atmosphaericum inuenitur.

*** Dolor modo inflammationis effectus est, modo cauſſa. Heic, vti effectus, consideratur; infra (§. XXXV.) vti cauſſa.

guini influenti opponitur, ideoque etiam in arteriis, quibuſcum venae communicant, remora aliqua naſcatur, neceſſe eſt; niſi aliunde per arterias ſanguinis curſus incitetur.

XXXIV. Quaenam vero erit cauſſa, ex qua ſanguinis curſus per arterias in aliquam partem vberius, velociuſque aduocetur? Si coniecturis vti hic licet, ex hydraulicis illud praemonendum cenſeo, fluida eo ferri copioſius, et facilius, quo minorem inueniunt *reſiſtentiam*. Imminuitur autem reſiſtendi vis in arteriis multis quidem de cauſſis, ſed praecipue, ſi arteriarum lumina ampliantur, aut citius ſolito, in dato temporis ſpatio, quem illae continent, humorem emittunt, expelluntque. Sed ſcire conuenit, non omnem earum dilatationem, aut celerem earumdem euacuationem, etſi multum ſanguinis vtraque alliciat, inflammationem efficere poſſe. Repleri enim vaſa plus ſolito, ſanguiſque in iis congeri poteſt, vnde locus rubeat, atque intumeſcat, quin tamen dolor, et calor, atque alia inflammationis phaenomena accedant. Id in rubore chronico oculorum ab *adnatae* vaſorum laxitate orto, aut ab ophthalmia grauiore relicto manifeſtum eſt; in quo vaſa certe maiori ſanguinis copia admiſſa turgent, rubentque; at nullus ſiue dolor, ſiue calor cum eiuſmodi vitio coniungitur. Replentur quoque largiori ſanguinis vnda vaſa cutanea per cucurbitulas, balneum, fomentum, calorem, ſolis radios, ita vt cutis intenſiſſime rubeat, et tumeat, imo quandoque etiam nigricet; nec tamen inflammatio haec eſt. Rubet quoque fricata paullo aſperius cutis, fricatione nimirum accelerato ſanguinis curſu, imminutaque ad eum, qui influxurus eſt, reſiſtentia, quin ipſa inflammetur. Requiritur ergo quidpiam aliud praeter vberiorem ſanguinis in vaſa influxum, et coacerua-

ceruationem, vt inflammationis ſymptomata oriantur.

XXXV. Id ipſum animaduerterat ETTMVELLERVS (§. XII. XIII.), cum ſanguinem eo impetu in partem aliquam irruere vellet, qui dolorem, et calorem inferat; hoc eſt, qui ab irritatione quadam aut excitaretur, aut irritationem ipſe faceret, ſi congeſtio inflammationis nomen promeritura eſſet. Opinioni eius ſuffragatur experientia. Rubet, et calet, vti ſupra dictum eſt, perfricata cutis, nec tamen adhuc inflammatio eam tenet. At, ſi fricatio rudius, diutiuſque producatur, iam dolet etiam, et tumet, et vere tum inflammatur. Si ſabuli granulum, aut quodcunque corpuſculum, quod irritare poſſit, intra oculum, et palpebras ſe ſe intruſerit, paullo poſt oculus dolet, rubet, illacrymat, calet, demum tumet, et inflammatur. Educto ſtimulo dolorifico, vniuerſa ceſſat inflammatio. Puncto, vel quacunque alia ratione laceſſito nervulo; mox dolor *, rubor, calor, tumor partis affectae ſe exſerunt; hoc eſt, inflammatio ſe prodit. Exemplum habes in ſpina illa Ettmuelleriana digito infixa, aut in paronychiis acus punctionem ſubſequentibus. Idem accidit ex acri quolibet cuti applicito, ibique diu detento: rubor enim, calor, tumor, dolorque illinc conſequitur. Ergo ſtimulo, irritamento, vellicatione opus eſt praeter ſanguinis vberiorem influxum, vt inflammatio fiat.

XXXVI. Reuera corpus animatum, et viuens ita a Natura confictum, conſtructumque eſt, vt, ſi alicubi quodpiam ſtimuli genus applicetur, eo ſtatim vberior, citatiorque ſanguis irruat, et confertim

* Duplex dolor in inflammationibus eſt, alius vti eius effectus, quod ſupra (XXXII.) adnotaui, alius vti cauſſa. De hoc poſteriore hic ſermo eſt.

fertim accumulatus neruos tendat, ſenſibilitatem augeat, et calorem, ruborem, dolorem, tumoremque pariat. Idque adeo certum, conſtansque eſt, vt neminem latere queat. Illud potius obſcurum, ignotumque hactenus eſt, qua nempe ratione tam varia, et mira praeſtet. Qui enim neruorum, aut fibrarum, quibus vaſa inſtruuntur, actione excitata ſtimulum agere dixerunt; hi profecto, vt ego iudico, nihil, quod quaeſtioni faciat ſatis, dixerunt. Reſtat adhuc ſepulta, atque obuoluta tenebris arcana vis ſtimuli. WINTERLIVS *d*) aliquanto longius progredi tentauit, conquiſitiſque vndique rationum momentis non paucis ſuadere allaborauit, arterias, irritatis per ſtimulum aliquem neruei ſurculis, qui ad eas feruntur, aut in earum tunicis perreptant, laxari, dilatarique ſic, vt ſanguis in eas minus reſiſtentes copioſe, et velociter confluat. WINTERLII opinioni quanquam paene ſingulari, et non ſatis firmis argumentis comprobatae adhaeſit nuper CALLISENIVS *e*), nec doctrinae inſolentia, nec aliorum prope omnium Phyſiologorum reprehenſione deterritus *.

XXXVII. At qui *irritabilitatem Hallerianam* ſequuntur, cum fibras irritatione vellicatas contrahi nouerint, adduci haud poſſunt, vt credant, ſtimulo arterias dilatari. Sunt enimuero arteriae, ſaltem maiores, fibris vbique muſcularibus praeditae, atque

d) *Diſſert. De Inflammatione.* Winterlianam hypotheſim neruoſe confutauit RICKERVS in peculiari Diſſertatione pro *Boerhaaviana Doctrina;* quamquam non pari robore ſuam cauſſam tueatur. Diſſertatio exſtat in *Faſciculo IV. Opuſcul. et Diſſertat. etc.* FRANCISCI XAVERII DE WASSERBERG p. 212. *e*) *Inſtitut. Chirurg. Modern.* §. 197.

* Hactenus fibra muſcularis per irritationem contrahi viſa eſt. Contrarium in arteriis fieri, nondum demonſtratum vere ab vllo eſt.

atque idcirco irritabilibus. Nihilque vetat, quo minus per analogiam etiam in minimis eae ponantur. Siquidem conſtat ex obſeruationibus SENACII *f*); HALLERI *g*), aliorumque *h*) arterias etiam minimas irritabilitate donari, atque ad ſtimuli vim contractiles eſſe, vti cor. Natura vero irritabilitatem ea lege cordi, arteriiſque inſeruiſſe videtur, vt ſtimulo accedente contraherentur quidem, ſed paullo poſt laxarentur, ſiue, quod idem eſt, ſyſtole, et diaſtole ſibi alternatim ſuccederent. Id fere perpetuum eſt in iis partibus, quae vitalibus functionibus inſeruiunt, nec voluntatis imperio ſubiiciuntur. Cor igitur irritatum, ſiue ceſſet, ſiue perſtet irritatio, huic naturae legi obtemperare cogitur; nec minus eidem obtemperant arteriae perpetua ſyſtoles, et diaſtoles alternatione*. At illud ſciri oportet,

f) *Trattat. della ſtruttura del cuore T. 3. l. 3. cap. 2. p. 240. et ſeq. ediz. di Breſcia.* *g*) *Element. Phyſiolog. T. 1. lib. 2. Sect. 1. §. 13.* *h*) *Vid.* BALDINGER *Differt. de arteriar. et venar. vi irritabili* 1766. In arteria aorta abdominali, in cruralibus, in venae cauae caudice ſummam irritabilitatem deprehendit VICQ D'AZYR, *Mém. de la Soc. Roy. de Méd. vol.* 1. *p.* 343. Similia iam multo prius expertus eſt Medicus Romanus non inceleber, MAXIMVS. Id vero confirmatum eſt a cl. viris PETRO MOSCATI (*Oſſervazioni ed Eſperienz. ſul ſang. fluid., e rappreſ., ſopra l'azione delle arter. etc. Milan.* 1783.) *et* BASSIANO CARMINATI (*Riſultati di ſperienz. e oſſerv. ſu i vaſi ſanguigni, e ſul ſangu. etc. Pavia* 1783.) nuperrime editis, quibus euidentiſſime demonſtratur arterias propria, inſitaque vi ſubſilire; ideoque irritabilitate praeditas eſſe.

* Similem *antagoniſmum* in vniuerſa fere oeconomia animali obſeruat Cl. METZGERVS. Vid. eius Aduerſar. Medic. N. III. P. 1. *De Antagoniſmo naturae ſolenni Diatribe.* Nec de alterna hac *contractionis*, et *relaxationis* ſucceſſione dubitare licet, tum etiam, cum ſtimulus nondum ceſſauerit. Exemplo id patet luculentiſſimo ſternutamenti. Quamdiu vis irritans pituitariae membranae inhaeret,

oportet, celerius, validius, et crebrius tam cor, quam arterias alterne contrahi, quo viuidius ſtimuli vis agit, aut maior eſt in vtriſque irritabilitas.

XXXVIII. Itaque liceat animo concipere arterias aliquas minores inſolito, et peculiari quodam ſtimulo affectas; ſiue ſtimulus iſte proxime earum fibras muſculares, ſiue neruos tantum, qui ad eas pertinent, ſiue vtraſque partes ** (nam haud facile id definiri poteſt) afficiat, neceſſario ſequitur, vt illae validius, velociuſque contrahantur, et laxentur; atque ideo citius ſolito, et frequentius dato tempore depleantur. Si vero citius ſolito deplentur, et vacuae fiunt, minus etiam reſiſtentiae influxuro ſanguini opponant, neceſſe eſt. Ergo copioſior, celeriorque in eas erit, quam in reliquas partes,

haeret, dilatatur quam maxime thorax, fitque ampliſſima inſpiratio; mox vero laxatis muſculis intercoſtalibus, et diaphragmate, ſubita, et vehemens ſubſequitur thoracis depreſſio, atque exſpiratio. Hae ſibi mutuo valide, et celeriter ſuccedunt, quamdiu pituitaria membrana irritari pergit. Alia huiuſce rei exempla videri poſſunt apud Cl. DE LA ROCHE, *Analyſ. des fonctions du ſyſtem. nerveux T. 1. p. 261. 262. 263.*

** Cl. SENACIVS (*Du coeur T. 2. p. 169.*) tantum virium neruis tribuit, vt ab horum actione maximam partem arteriarum motum pendere perſuaſum ſibi habeat. Neque prorſus id negat HALLERVS (*Element. Phyſiolog. T. 2. p. 206. 202. 252. et oper. min. T. 1. p. 223. et alibi*), eamdemque ſuſtinuit ſententiam MORGAGNIVS (*De ſed. et cauſ. morb. Epiſt. 24. n. 20 et 23.*). Oſtendunt huiusmodi nervorum vim pulſus languidiores, aut deficientes in membris paralyticis, et gangraena inferiorum artuum a laeſa ſpinali medulla etc. His addi debet TISSOTIVS, *Tract. de' Nerv. T. 1. P. 2. artic. 6. §. 226. et ſeqq.* Neque diſſentire ab iis videtur COMPARETVS, qui (*Occurſ. medic. etc. §. III. n. 47. et ſeqq.*) neuros quamplurimos non modo arteriis circumdari, verum etiam cum earum fibris complicari, et commiſceri intime vidit.

partes, ſanguinis influxus. Ergo ſtimuli ope planum, expeditumque illud conficitur, quod in inflammatione explicatu videbatur difficillimum.

XXXIX. Hic porro ſtimulus ſi peculiarem partem, nec valde cum aliis conſentientem irritet, nec ipſe vehemens ſit, nec diu perſeueret, eam quidem inflammat, non tamen febrim mouet. Rarum enim non eſt, inflammationem ſine febre i) exiſtere. At vbi ſtimulus, ſiue irritans principium, partes exquiſito ſenſu praeditas, facileque conſentientes diu, aut vehementer exagitat, facile ad alias quoque cum proximas, tum diſſitas neruorum conſenſione, quod veroſimilius videtur, vel vaſorum communicatione ita ſuam vim, quin e loco dimoveatur, producit, vt cor ipſum ad crebriores, validioreſque contractiones ſollicitetur, et febris oriatur frequentiſſima inflammationis aut comes, aut pediſſequa. Interdum tamen iſtiuſmodi ſtimulus non tantum parti alicui peculiari inſidet, verum etiam cum vniuerſo ſanguine communicatus, aut per totum pene corpus diffuſus omnia vaſa, et cor praeſertim afficit. Tunc, licet inflammationis locus neque ſenſu exquiſitiori polleat, neque admodum acriter irritetur, vt conſenſione partium febrim accerſere per ſe queat, cum febre tamen coniungitur: ſed tum febris non ab ipſa inflammatione particulari, eiuſue effectis oritur. Nam ea a diffuſiori inflammationis fomite, aut a plurium cauſſarum, quae ex ſe febri excitandae valent, coniunctione excitari videtur, aut etiam aliunde genita inflammationem ipſam antecedit, et comitatur; imo, inflammatione ipſa particulari etſi diſcuſſa, omnino non definit. Verum tunc inflammatio nec

i) Vid. VAN SWIETEN §. 371. *in Boerhaav.*

nec ſola et pura, nec primaria, nec particularis fortaſſe, aut certe non ſimplex erit, de qua hic potiſſimum verba fiunt.

XL. Nec abſurdum crediderim, aucto totius ſanguinis motu ſedem, in qua inflammatio, ſiue vehementior, vberiorque humorum appulſus eſt, aliquomodo fortius impeti, vrgerique, atque hinc aliquod doloris, ruboris, tumoris, caloriſque in ea fieri incrementum; quin imo ita excruciari, et tendi, vt demum ſpaſmus eam occupet, alternosque arteriolarum micatus, quos naturae legibus reſpondere ſupra poſuimus, pertinax tonica contractio ſine relaxatione excipiat. Cumque velocior ſanguinis circuitus attritum augeat, tenuiſſima diſſipet, ſecretionibus minime faueat, cerebrum quatiat, pulmones praegrauet; nil mirum erit, ſi calor inde ingens; cutis, linguae, et faucium ſiccitas; ſitis; vrina rubra, et pauca; conſuetarum excretionum omnium inopia; ſanguinis lentor, maiorque eius ad cohaerendum procliuitas; cephalalgia; peruigilium; mentis emotio; anxietas; reſpiratio anheloſa, aliaque motus aucti ſymptomata cito * ſuperueniunt.

XLI. Stimulo igitur, vti expoſui, inflammatio excitatur. At multa ſunt ſtimulorum genera, quorum tamen quaedam dumtaxat eidem gignendae idonea eſſe videntur; neque haec cuncta ad acrium, et

* Specimen huiuſce pathologiae iam anno 1771. die 4. Quinctilis, publice propugnauit GENESIVS ROSSI, tunc auditor meus, vt conſtat ex opuſculo, quod ita inſcribitur: *Diſputatio Academica ex Clinice de praecipuarum partium inflammationibus habita a* GENESIO ROSSI *Mediolanenſi in Aula maiore Almi Collegii Ghiſleriorum etc. Praeſide* IO. BAPTISTA BVRSERIO *Clinices etc. P. Profeſſore, data cuilibet oppugnandi facultate. Ticini Regii ex Typographia Haered. Ghidini Impreſſ. Curiae Archiepiſc. Epiſc.*

et cauſticorum ordinem pertinent, neque omnia, quae acria vere ſunt, ad id apta inueniuntur. Nam quaedam acritatis expertia ferme reputantur, dum tamen aliquibus noſtri corporis partibus admota ſtimulorum effecta praeſtant. Huius generis ſunt aër atmoſphaericus, aqua tepens, ſanguis ipſe, et fortaſſe ſuccus nerueus, ſi magnis viris credimus; quae nullum quidem moleſtiae ſenſum reliquis partibus inferunt, ſed cordis irritabilitatem ita percellunt, vt, quando etiam torpeſceret, illico ipſa reviuiſcat. Quaedam alia manifeſtam acritatem prae ſe gerunt, et quandoque tantam, vt exurere videantur. Haec tamen arteriarum, aut cordis, aut cuiuſque fibrae muſcularis irritabilem vim deſtruunt potius, atque extinguunt, quam excitant: talia autem ſunt Acidum Vitriolicum, Nitroſum, Butyrum antimonii, Lapis infernalis **), aliaque id genus. Quaedam item, etſi acritate non careant, quibuſdam tamen partibus parcunt, dum alias irritant, et laedunt. Exemplum habemus in croco metallorum, et cantharidibus. Ille oculis nullam ferme inferre vim dicitur, ſed ventriculi fibras ita pungit, atque extimulat, vt vomitum moueat; hae contra ventriculo fere parcunt; renes vero et veſicam vrinariam adeo laceſſunt, vt inflammationis phaenomena in iis ſaepe enaſcantur. Hoc ipſum multa alia oſtendunt. In primis vero illud compertiſſimum eſt, a Tartaro emetico in venas infuſo ventriculum dumtaxat affici, vomitumque *a*) cieri; ab extracto Pulſatillae nigrae ore ſumto

 oculos

**) Acerrima haec, et cauſtica ſpaſmum fortaſſe primo tonicum fibris inducere, mox eaſdem adurere, et deſtruere etiam videntur.

a) LORRY *Mémoir. de la Soc. Roy. de Médec. vol.* 2 *pag.* 162.

oculos potiſſimum laceſſi, inflammarique *b*), et demum tantam cum eiſdem oculis affinitatem habere ſolanum furioſum, ſiue *Belladonnam*, vt eius dilutum, et puluis intrinſecus datus iridem ita corruget, vt penitus eam obliterare videatur *c*).

XLII. Hinc ſingula ſtimulorum genera, a quibus inflammatio procreari poteſt, definire arduum ſane eſt; cum certis ex obſeruationibus cuncta non innotuerint. Itaque non nulla tantum attingam, de quibus fere conuenit inter Clinicos. A LANCISIO, et GORTERIO arteriae intus muco quodam mitiſſimo obliniri creduntur, ne praeterfluens ſanguis eas laedat. Si is vere exiſtat (quod alii negant) acrimoniamque contraxerit, atque alicubi vaſorum tunicis adhaereſcat, irritationemque faciat, eo certe in loco irritabilitas concitabitur, atque idcirco arteriae ibidem validius, velociuſque micabunt. Is pariter ſi alicubi deficiat ſic, vt arteriarum interior facies nuda ſit, et irritabilior, ſenſibiliorque euadat, ſanguis praeterlabens ſtimuli vice ibi fungetur, atque adeo motum earum ſyſtalticum intendet, accelerabitque. Hoc ipſum praeſtabitur a quocunque alio humore, qui proxime arterias, aut neruos ad eas quocunque modo ſpectantes, aut cum eiſdem communicantes pungere, aut vellicare praua ſua qualitate poſſit. Huc pertinent acritates ſanguinis variae tam ſpontaneae, quam aduentitiae; phlogiſti copia, aut ſubita eius alicubi euolutio; impedita eius diſſipatio; aura frigorifera admiſſa; acre epidemicum inſpiratum, et fortaſſe *diatheſis* ipſius ſangui-

b) STÖRCK, *De vſu med. Pulſatill. nigricant.* Vindob. 1771. et SPALOWSKI, *Diſſert. de cicut. etc. p.* 20.

c) TISSOT, *de' Nerv. e loro malattie T.* I. *part.* 2. *artic.* 6. *p.* 31. *ed. venet.*

ſanguinis, vt dicitur, *inflammatoria*, vndecunque ea ſit.

XLIII. Ac, quoniam de diatheſi inflammatoria ſanguinis ſermo incidit, non erit ab inſtituto noſtro alienum in eius naturae inueſtigatione aliquantiſper verſari. Quando igitur ſanguis e vena eductus in denſam, tenacemque maſſam cogitur, et quadam veluti cuticula alba, dura, compacta tegitur, protinus nedum medici, verum etiam adſtantes omnes, eo quod plerumque id in inflammationibus apparet, clamitant, ſanguinem inflammatoria diatheſi peccare; habentque plerique pro certo, quemadmodum ſaepe egomet ipſe audiui, ſanguinem ita craſſum, denſum, et cohaerentem in vaſis eſſe, dum adhuc calens in circuitum agitur, vt in minimis arteriolis rubris, quas perfecte conicas, ſiue conuergentes putant, haerere, et conſiſtere cogatur; quod a vero plurimum abeſſe videtur. Nam etſi ſanguis, poſtquam refrixerit, craſſus, tenax, coactuſque ſpectetur, tamen ridiculum hercle foret, ſi quis cogitaret, talem etiam exſiſtere intra vaſa, dum vitali motu pellitur, decurrit, calet, et fluit. Deinde certum omnino eſt, non ſemper, vbi inflammatio eſt, in ſanguine detracto huiuſmodi corium, ſiue coagulum *a*) offendi; neque, vbi diatheſis iſta in ſanguine ſe prodit, ſemper inflammatio cum ea copulatur. Saepe in ſanis, et bene valentibus, ſaepe in arthriticis, ſcorbuticis, aut lue venerea infectis, in intermittentibus febribus, in colico dolore, in rheumatiſmo, in podagra, in febre maligna, in hydrophobia, in foeminis chloroticis, aut vtero gerentibus huiuſmodi diatheſis deprehenditur

a) HAEN *Rat. medend. P.* I. *cap. IV. p.* 74. *n.* 6. BOERH. *Prax. med. T.* I. *p.* 265. SWIETEN. *T. III. p.* 169. *T.* I. *p.* 177. PISONIS *ſpicileg. curat. p.* 122. *etc.*

henditur *b*), quin vlla inflammatione laborent *). Cum igitur cuticula ista, seu crusta phlogistica, firma, et tenax, qua sanguis interdum obducitur, modo cum inflammatione coniungatur, modo sine inflammatione vlla inueniatur, vere diathesis inflammatoria sanguinis nec dici, nec haberi potest, nisi alia phaenomena, inflammationis magis propria vna concurrerint.

XLIV. Itaque ad omnem auertendum errorem sapientiores Clinici considerare solent duo genera lentoris in ipso sanguine frigefacto; alterum videlicet *calidum*, siue *inflammatorium;* alterum *frigidum*, vt vocant, siue *spontaneum*, siue *mucosum*. Illud ab aucta, validaque solidarum partium actione, hoc ab imminuta, et languente pendere existimant. In illo sanguis valde firmus, tenax, diuisioni resistens, et fortasse magis phlogisto scatens, ideoque acer etiam, atque irritans; in hoc potius laxus, viscidus, iners, mucosus, plerumque acritatis praesertim *calidae*, siue igneae expers esse perhibetur. Quamquam non dissimulandum est, in hoc quoque genere interdum crustam illam polypodem, et firmissimam, de qua supra disseruimus, obseruari, cui tamen quae subest insula, siue crassamentum, plerumque parcior, mollior, laxior, et multo fero inna-

b) Vid. HALLER. *Physiol. T. 2. lib. V. sect. 3. pag. 87.* In sanis hominibus inflammatoriam sanguinis diathesim inuenit etiam BALLONIVS, *epid. l. 2. p. 235.*

*) Sanguis equorum, cum etiam optime valent, e vena detractus, simul ac refrixit, crustam huiusmodi, lardi similem exhibet. Eritne inflammationis, aut inflammatoriae diatheseos indicium? Nequaquam; nam peculiaris, naturalisque est illius sanguinis crasis, et constitutio. Non tamen inficior, in equis etiam, quando aliqua inflammatione tenentur, crustam illam crassiorem firmioremque reperiri.

innatans esse consueuit. Rursus scire interest, prioris generis diathesim modo praecedere inflammationi, modo, imo plerumque, superuenire. Quando praecedit, acritatemque aliquam coniunctam habet, sic vt stimuli vice alicubi fungatur, pro caussa inflammationis, si qua eam subsequitur, haberi tum poterit: quando vero eidem succedit, iam patet, tum eiusdem effectum, non caussam esse. Quod clarius fiet exemplo. Digitus homini saniss imo grauiter contundatur. Mox ei vena secetur, vt, quoad fieri potest, inflammationis metus antevertatur. Sanguis sic primum eductus nec iusto densior, nec iusto firmior, nec vllum vel leue crustae inflammatoriae indicium praebet. Sed intumescente nihilominus postea, et acriter dolente digito, inflammationemque subeunte, sanguis iterum mittatur. Is tum in densam, tenacem, firmamque massam concrescit, et desuper crusta illa crassa, fibrosa, dura, et corio simili obducitur. Idem omnino contingit in pleuritide, aut alia quacunque inflammatione repente oborta: nam sanguis, qui primum, et mox, antequam morbus inualescat, detrahitur, vix, et ne vix quidem a naturali crasi deflectit; qui vero secundo, vel tertio * emittitur, diathesim plerumque phlogisticam nactus est, crustamque illam corii instar ostendit. En diathesim inflammatoriam, inflammationis effectum, nequaquam caussam.

* Haec fere omnium Clinicorum obseruatio est. Sed Cl. HAENIVS (*Rat. med. P.* I. *cap. VI. p.* 74.) prae ceteris rem eamdem confirmat, inquiens: *Nonnunquam sanguis initio febris acutae, aut etiam topicae inflammationis, missus crusta caret: habetque eamdem aut in altera, aut in tertia, aut in quarta venae sectione. Imo*, addit, *in morbis maxime inflammatoriis in nullo sanguine, quotiescunque misso, aliquoties crusta vlla est.*

XLV. Quo autem modo ſanguis per inflammationem ſic permutetur, ambiguum plane, incertumque *b*) adhuc eſt, quanquam in id magni, et perdocti viri *c*) diligentiſſime incubuerint. Qui ſerum ſanguinis ab aucto per febrem calore condenſari, et cogi cum QVESNAEO tradiderunt, vt inde cruſtam inflammatoriam deducerent, ignoraſſe prorſus videntur, nunquam in viuente corpore tantum caloris excitari poſſe, quantum ad ſerum coagulandum opus *) eſt. Qui vero a vehemente cordis

b) HALLER (*Elem. Phyſiol. T. 2. lib. V. ſect. 3. p. 87.*) *Multa quidem*, inquit, *in hac cruſta paradoxa ſunt, quorum cauſſas nondum recte tenemus.* HAENIVS, (*Rat. medend. cap. 2. p. 21.*) expoſitis cauſſis, quae *eiuſmodi in nobis* materiam gignunt: *vtinam*, inquit, *ſimul conſtaret, qua arcana lege dictae cauſſae hanc materiam producant!* Et MICH. SARCONE (*Iſtor. ragion. dell' Epid. ſofferta in Napol. nel 1764. Part. 2. p. 370. not. 1.*) fatetur, ſe in ſumma de cruſtae inflammatoriae geneſi ignoratione verſari.

c) Vid. HALLER *l. c. p. 85.* vbi citantur quam plurimi, qui in id inquiſiuerunt. Nec ab eorum numero excludi volo HEWSONIVM recentiſſimum ſcriptorem, cuius neque experimentis, neque argumentationibus quidquam permoueor.

*) Calor, qui ad coagulandum ſerum requiritur, eſt grad. 148. *Thermom. Fahrenheit.* (HALLER, l. c. pag. 80.) ad quem nunquam peruenit in febribus acutiſſimis. Vix enim in pleuritide ad grad. 102. 104. obſeruante CLEGHORNIO attingit. Cl. XAVERIVS MANETTI, cuius ſingulari amore, et amicitia iamdiu pro ſua in me humanitate perfruor, in notis ad *Differt.* SAVVAGESII a ſe anno 1764. editas p. 79. Reaumuriano vſus Thermometro, haec habet: *il più alto calor febbrile, inclusive nelle febri acutiſſime, non oltrepaſſando il grado quarantesimo del Termometro del Sig. Reaumur, e trovandoſi ne' pleuritici la cotenna del ſangue aſſai denſa, benchè il calor loro febbrile non ſoglia paſſare il grado 31., manifeſtamente ſi conoſce, che un tal effetto nel corpo umano non dipende dal ſolo diverſo grado di calore, ma che differenti altre cauſe e circoſtanze devono concorrere*

dis actione plerumque illam nasci *d*), aut a motu sanguinis aucto *e*), aut a spasmis, aut convulsione *f*), aliisue caussis vasorum contractionem inferentibus *g*) signi dicunt, caussas quidem indicant, post quas diathesim phlogisticam natam observarunt, non vero rationem explicant, qua illae caussae eam efficiant. Verum quomodocunque id fiat, (nam in huiusmodi quaestione nolo post tot acutissimos inuestigatores operam perdere) illud certum, firmumque est, ex sanguine recens e vena misso, et adhuc calente, si virgula ramosa agitetur, aut lagena aliqua inclusus concutiatur, parari telam quam-

correre a coresta produzione. Il calor delle febbri mantenendosi sempre tra i gradi 28, *o* 30, *ed il grado* 40, *che è quello al quale arrivare possono le più acute, e veementi, sempre lo credo a portata di poter piuttosto produrre un effetto salutifero rendendo il sangue più fluido, etc.* Et infra: *La nostra linfa fuori del corpo umano non si coagula che ad un grado di calore intorno ai gradi* 56. *etc.*

d) HALLER *l. c. p.* 88. *ed. venet.* *e*) BOERHAAV. *de cogn. et curand. morb.* §. 100. *et Instit.* §. 820.

f) SARCONE *Istor. ragionat. dell' epidemia sofferta in Napoli etc. part.* 2. *p.* 370. *not.* 1) inquit: *una delle potenti cagioni della produzione* di detta *crosta gelatinosa, e della sua moltiplicazione è lo spasimo, e la convulsione.*

g) HALLERVS l. c. hasce caussas redigit ad vires vitae, ad morbos, ad calorem vehementem, ad spiritus acidos, ad vini spiritum rectificatissimum, et ibi citat HELVETIVM, PETITVM, QVESNAEVM, et SENACIVM in suae sententiae confirmationem. HAENIVS porro (*Rat. medend. P.* 2. *cap.* 2. *p.* 19. *et seq.*) materiam crustae inflammatoriae generari ait ex frigore calente corpore susceptо; ex motu nimio; ira; vinoso potu in plethoricis; acrimonia venerea, arthritica, rheumatica; miasmate variolоso, scarlatino, morbilloso; victu lauto; otio; vita molli; grauiditate; et peculiari natiua sanguinis in quibusdam diathesi, aut ab ignoto aëris contagio. Ex his putat fluida condensari, solida constringi, et sic exprimi materiam glutinosam, et phlogisticam crustam constituentem.

dam fibrosam, albicantem, tenacem, crustae phlogisticae persimilem, quae a RVYSCHIO, primo inventore, nomen habet. Ergo in ipso sanguine naturaliter constituto inest materia quaedam ad cohaerendum prona, a globulis rubris distincta, fibras, et laminas praebens, ad concrescendum paratissima, atque idcirco *fibrosa*, et *concrescibilis* a plerisque nuncupata. Hinc verisimillimum videtur in hac sanguinis parte fibrosa, et concrescibili naturalem modum excedente, et maiore cruoris proprie dicti quantitate, auctoque globulorum rubrorum mutuo contactu *h*) inflammatoriam eius diathesim contineri; indeque fieri, vt sanguis ad concrescendum, firmiusque cohaerendum, vbi quies accesserit, igneumque principium multum auolarit, proclivior reddatur; non vero eamdem consistere, vt vulgo putatum est, in ipsius sanguinis coagulatione, aut concretione, quae intra vasa, dum calet ipse, et mouetur, nulla esse potest. Haec siquidem aucta partis fibrosae, et concrescibilis copia non modo in sanguine extracto, vt dictum est, se prodit, verum etiam in visceribus ipsis inflammatione occupatis; cum in cadaueribus iam frigefactis glutinosa, alba, aut flaua pellicula obducta inueniantur, parte nimirum fibrosa, et concrescibili, quae in viuo animali adeo fluida est, vt per exhalantia vasa, et per ipsa membranarum interstitia exstillet, effluatque, coaceruata, atque in densam membranam frigore compacta, et concreta. Neque fortasse a vero longe aberit qui diathesim inflammatoriam huiusmodi non solum in excessu glutinosae, et concrescibilis

h) Nobis quodammodo assentitur etiam celeberrimus SWIETENIVS (*in Boerhaav. Comment. T.* 1. §. 75. *p.* 88.) vbi inquit: *naturaliter .... inest sanguini in concretionem procliuitas: quae in morbis acutis inflammatoriis augetur.*

crescibilis partis, et maiori copia cruoris, et ipsius ad cohaerendum proclíuitate reponeret, verum etiam hisce *adiungeret facilem*, et promtam albidi, et coagulabilis *illius* humoris a crassamento rubro *secessionem* *), quamquam haec posthema conditio plerumque ab eiusdem copia, atque excessu profluere videatur. Ceterum multa in causa *esse* possunt, cur hae duae diuersae partes segregentur, et sensim secedant. Id comprobant quodammodo fluida composita, nempe ex variis diuersi generis liquoribus coalescentia, cuiusmodi reapse est sanguis. Ista enim, si motum, calorem-que, quibus in fluore seruantur, amittant, non eodem tempore tota, atque vniuersa concrescunt, sed pars quaedam prius, quaedam posterius. Sic vini pars aquea citius a frigore afficitur, secedit, et cogitur; vinosa vero, et mera tardius, et serius. Sic frigus rubram sanguinis partem citius compingit, *serius albidam*, *fibrosam*, lymphaticam, siue concrescibilem dictam: quae ideo sursum in sanguine extracto, aut quiescente effertur, superiora petit, fluitat diutius, donec et ipsa consistat, et consolidetur. Cur quid simile intra canales vel a frigore, vel a calore, vel a motu, vel a quiete, vel a quacunque alia causa eidem non eueniat? Numquid intima mixtio duarum partium dissimilium aliqua ex causa earum, quae *in nobis existunt*, aut circumstant, peruerti possit, vt altera ab altera seiungatur?

XLVI. Nemo autem istam diathesim sanguinis inflammatoriam, quam exposui, cum ipsa inflammatione confundat. Supra enim (§. XLIII.) animaduersum est,

* *In hanc opinionem inclinare videntur* HAENIVS, *et* SARCONIVS *l. c.*

eſt, non in omni inflammatione, nec ſemper in eadem ſanguinem e vena miſſum phlogiſticum glu. ten prae ſe ferre, in primis ſub inflammationis initium, dum nimirum nondum illud genitum eſt, vel dum rubra ſanguinis pars, vtpote ad concreſcendum promtior, cum albida, et concreſcibili intime permixta ante concreſcit, quam haec ſecedere, furſumque euehi poſſit. Atque id quidem elucet ex ipſomet ſanguine, qui tunc in firmam, tenacemque inſulam coactus, et ſeri ferme expers apparet. At morbo progrediente, ſpatioque per venae ſectiones ſanguini facto, aut calore adaucto, rareſcit cruor ita, vt vbi e vena miſſus fuerit, lentius coeat, interimque ſinat concreſcibilem, fibroſamque partem a ſe ſeiungi; quae lege grauitatis ſpecificae ſuperiora petat, ibi confluat, et demum coaguletur in cruſtam corio plus minus tenaci ſimilem *).

Non

*) Fibroſam hanc, albidamque ſanguinis partem, ex qua cruſta inflammatoria conflatur, leuiorem eſſe craſſamento rubro, nemo vnus negauerit. Ex eo autem, quod tardius cruore ipſo concreſcat, et ſpecifice leuior ſit, complures hodie cum HEWSONIO opinantur, diatheſim inflammatoriam, quae ex ea potiſſimum coaleſcit, *in lympha coagulabili valde attenuata, adeoque leuius inſpiſſata* (*Calliſen Inſtit. Chirurg. mod.* §. CC.) ponendam eſſe; experientiaque demonſtrari, effectum verae inflammationis eſſe *imminutam ſanguinis concreſcibilitatem*. Verum hoc cum dura, et firma ſanguinis rubri e vena extracti compage, et concretione, cumque tenaciori cruſtae phlogiſticae cohaerentia, quam in inflammationibus veris vt plurimum videmus, vix conciliari poteſt. Nam ſi recta, vt efflagitant, eſſet eorum argumentatio, ſequeretur etiam, vt oleum, quod vino, et aqua leuius eſt, tenuitate vinum, et aquam ſuperaret, lentiuſque coagularetur. Quod nequaquam eſt. Si pariter difficilior concretio leuitatis, et raritatis eſſet ſignificatio, nihil profecto exiſteret argento viuo rarius, et leuius, vtpote quod difficillime cogitur, et concreſcit; cum tamen poſt aurum, et *platinam* ſit foſſile omnium ponde-

Non tamen vniuerſa, et tota huiuſmodi concreſcibilis materia ſurſum fertur, et ibi coadunatur; ſed tanta eius copia eſt, vt aliqua portio in ſanguine remaneat, qua globuli ipſius irretiantur**), atque vna ſtricte conferruminentur. Hactenus de diatheſi inflammatoria, quam dicunt ſanguinis. Ab hac enim diſtinguendam eſſe puto diatheſim inflammatoriam proprie, et generatim dictam; vtpote quae non

ponderoſiſſimum. Quapropter maior, vel minor ad concreſcendum procliuitas non a maiori, vel minori pondere, non a tenuitate, aut denſitate, ſed a maiori, vel minori mutua partium attractione videtur potius deriuanda.

**) Peto veniam abs TVRRIO, et HEWSONIO, ſi vetere vtor nomine globuiorum ſanguinis. Quae enim de eorumdem figura ab vtroque dicta ſunt, non ita certa nobis videntur, vt receptam iam doctrinam, nuperiſque noſtrorum iteratis obſeruationibus confirmatam deſeramus. Cl. CALDANIVS, cuius auctoritatem plurimi facio, hac ſuper re a me ſententiam rogatus, reſpondit, repetitis periculis ſe comperiſſe aut globoſam reuera eſſe figuram rubrarum ſanguinis molecularum, aut, ſi talis nequaquam ſit, nihil omnino microſcopicis obſeruationibus eſſe credendum. Quantum autem a vero aberrent microſcopica experimenta, quantumque illudant opticae huiuſmodi imagines, iam cognouerat Cl. SENACIVS, qui praeterea docuit (*della ſtrutt. del cuore T. 2. ſupplim. all' Iſtoria del cuore cap. VIII. §. VII. et VIII.*) quot modis figuram in globulis mutent microſcopia, et ſpeciatim modo foramen in medio, modo monticulum exhibeant, dum tamen nihil aliud quam opticas illuſiones iſtas omnino fuiſſe, perſpicue demonſtrauit. Nec a CALDANII ſententia quidquam differt iudicium Cl. HALLERI, qui in poſtremo etiam opere *de part. corp. human. praecip. fabrica et function.* Tom. 3. p. 97. *ſanguis*, ſic de hac re concludit: *Legi et cum ea fide, quam claris viris* (TVRRIO, et HEWSONIO) *debemus. Neque tamen poſſum de mea ſententia diſcedere, qui numeroſiſſima eiusdem ſemper euentus experimenta fecerim, et conſentientes viros peritiſſimos habeam* FONTANAM, SPALLANZANVM, CAESAREVM POZZI.

non ad fluidas tantum, sed ad solidas etiam partes extenditur. Itaque haec, vt ego quidem arbitror, existere vere nequit, nisi statui illi sanguinis phlogistico solidarum etiam partium vis aucta, concitatiorque motus adiungatur. Sed iam ad inflammationem ipsam, a qua paullulum discessimus, reuertamur.

XLVII. Exposita, quod supra pluribus verbis factum est, inflammationis natura, eiusque ratione, vnusquisque perspiciet, quando minimorum vasorum, quae sanguinem, aut tenuiorem etiam humorem, vt passim putant, vehunt, obstructio, aut cruoris in cellulosum contextum stillicidium, aut effusio inflammationem faciat, quando sit inflammationis effectus. Nam simplex obstructio nullo modo, vt iam ostensum fuit, inflammationi procreandae par est. Alioquin viscera obstructa, ligaturae fortes, thrombi in arteriis alicuius membri amputati, quoniam vasa obstruunt, inflammationis naturam, et effecta prae se ferrent. Ergo tum solum materia obstruens inflammationis caussa erit, cum propria acrimonia offendat, aut ex mora acrimoniam contrahat, vt stimuli instar agere queat. Si vero stimulus quicunque alius inflammationem pepererit, tunc quae subsequetur vasorum obstructio, aut sanguinis effusio, et congestio effectus locum obtinebit. Sic quoque sanguis effusus in cellulosae telae spatiis ecchymosim tantummodo facit, sugillationem, vibices, maculas scorbuticas, et fortasse ipsas peticulas peioris notae. Quod si acritatem acquirat stagnando, inflammationem primum, deinde etiam suppurationem subire ipse poterit. Hinc facile coniicitur, quando lentor sanguinis, aut minuta canalium diameter inflammationi, quando obstructioni dumtaxat caussam praebeant. Stimuli praesentia primam, absentia alteram progignit.

XLVIII.

XLVIII. Posita igitur vberioris, vehementiorisque sanguinis in aliquam partem influxus proxima caussa, nempe irritatione (§. XXXIV. XXXV. XXXVI.); reliquum est, vt remotae etiam caussae enumerentur, et primum quidem illae, quae inflammationi quodammodo viam parant, ideoque προηγούμεναι vocantur. Sunt autem temperamentum sanguineum et biliosum; aetas iuuenilis, et media; plethora; sanguis concrescibili, et fibrosa, vt aiunt, parte diues, vi vitae, et musculorum valide subactus, compressus, elaboratusque, partis aqueae indigus; vel ad acritudinem vergens, vel acer iam factus; principio inflammabili onustus; acrimoniae multiplices; solidarum partium robur, firmitas; elasticitas aucta; irritabilitas, aut sensibilitas ingens; itemque singularis alicuius partis debilitas, laxitas, aut quaecunque alia ad congestiones aptitudo; victus lautus, opiparus; regio frigida, et sicca, aut ventis borealibus obnoxia. His addunt non nulli sanguinem nimis tenuem, minusque cohaerentem; sed nisi ab acritate aliqua singulari talis sit, atque idcirco irritationem alicubi praestare possit, non video, quomodo sola tenuitate inflammationibus accommodatus, aptusque haberi queat.

XLIX. Secundo loco veniunt caussae προκαταρκτικαὶ, quae nimirum occasionem morbo suppeditant. Inter has recensentur subitum frigus *), praesertim calori, aut subitus calor ingenti frigori succe-

*) Frigore pars fibrosa, siue concrescibilis sanguinis pars cogi potest, et coacta haerere, et consistere, et praesertim cum frigore vasa stringuntur et arctantur. Mucosa etiam lymphae pars frigore, et quiete cogitur, quae in hoc tamen a priori illa discrepat, quod ipsa etiam calore multo minori condensetur, et concrescat.

ſuccedens; potus frigidus aeſtuanti corpori i
geſtus, aut frigida lauatio adhibita; motus, curſu
ſaltatio vehemens; liquorum fermentatorum,
rerum calefacientium acriumque abuſus; conſueta
euacuationes interceptae; febris ardens; aëris qua
dam et tempeſtatum conſtitutiones, praeſerti
aquilonares; miaſmata; venena; et medicament
inconſulto, aut vltra modum ſumta; dolores paul
vehementius excruciantes, aut diutius protracti
ligaturae dolorificae; contuſiones; fracturae; lux
tiones; vulnera; punctiones; acria retenta, au
abſorpta, aut applicita.

L. Propria vero inflammationis ſedes videtu
eſſe quaecunque pars, ad quam ſanguinis rubri no
deſideratur appulſus. Arteriolae igitur rubrae,
vaſcula his minora vnum globulum dumtaxat fere
tia, atque adeo pellucida, aut fluentia, quae
laxentur, aut vrgeantur vehementer, globulos pl
res recipere idonea fiunt, et tota celluloſa tela q
latiſſime patet, in cuius interualla per relaxata oſti
vaſorumque poros ſanguis effundi poteſt, inflam
mationi potiſſimum *) ſubiiciuntur. Sed non d
ſun

*) In vaſis quoque ſeroſum, lymphaticumque humore
ferentibus inflammationes fieri ſeroſas, et lymphatic
vulgo dictas, quorumdam ſcriptorum opinio eſt. Sed fal
id nititur doctrina decreſcentium ſerierum tum canalium
tum globulorum ſanguineorum: neque ibi vnquam i
flammationis phaenomena exorientur, niſi vaſa ſanguine
vehentia ſimul afficiantur. Sed, inquies, vaſa minima a
terioſa eſſe non poſſunt inflammationis ſedes, quia, vt e
HALLERO habemus, non ſatis probatum eſt, minimas a
teriolas motu ſyſtoles, et diaſtoles praeditas eſſe. In h
igitur vis ſtimuli locum habere nequit. Verum quanc
dicimus, a ſtimulo motum arteriarum incitari oportere,
inflammatio oriatur, de iis intelligendum arteriis eſt, qu
ſyſtole, et diaſtole non carent; quanquam probabile e
minimas etiam arterias eo non carere, licet non ſa
perſ

sunt, qui venas quoque eidem morbo obnoxias praedicent, saltem secundario *a*). Nec omnino absurdum istud ego crediderim, si venae quoque irritabilitate sua, vt non nulli perhibent, non careant. Quod si vllibi quandoque eueniat, in vena portarum praecipue, quae arteriae fungitur munere, locum habere, credibile est. Argumenta autem, quae ab haemorrhoidibus tumentibus, inflammatis, atque in abscessum abeuntibus ducuntur a quibusdam, vix quidquam ad inflammationem venosam, de qua quaeritur, comprobandam valent. Quis enim non videat, tunc etiam arteriolas minimas, quae venarum tunicis insident, aut circumiacent, contextumue cellulosum inflammatione occupari? At frequentissimam venosam inflammationem, inquies, sectiones anatomicae euincunt. Saepe enim in cadaueribus reperiuntur intestina, praesertim tenuia, mesenterium, pulmones, hepar, cerebrum venis sanguine turgidis exterius quasi picta, et conspersa. En venosas inflammationes, quae cum in viuente homine nulla sui indicia exhibuerint, aut exhibere soleant, *clandestinae* idcirco ab illustri WALTERO nuncupantur. Fateor equidem frequentissime huiusmodi venarum *repletiones* occurrere in cadaueribus eorum, qui malignis, et putridis morbis perierunt; sed iteratis accuratissimis

perspicuo, quia in parte inflammata, quando stimulum patiuntur, eas molestе pulsare, nemo inficiabitur. Cl. etiam TISSOTIVS (*De Nerv. T. I. p. 2. artic. 6. §. 266.*) minimas arterias irritabiles esse, fibrisque muscularibus donari ostendit.

a) PLATNER (*Ernest.*) *supplement. in J. Zach. Platneri Institut. suppl. I. cap. 2. p. 25.* Inter eos, qui venas quoque irritabiles esse credunt, VERSCHVIRIVM citat LA ROCHE, *Analys. des fonct. du syst. nerv. prefac. p. 13. du T. I.*

mis conuictus obseruationibus Cl. LVDWIGIVS *b*) negat, eas veras esse inflammationes. Cognouit enim manifestissime, pro effectis habendas esse dissoluti sanguinis, et virium vitalium deficientium; quam ob caussam sanguis a tergo languide propulsus, in venis prope totus congeritur, easque replet, et praetumidas reddit. Huicque enimuero cogitationi maxime fauent 1. laxitas, et dilatatio venarum se exonerare impotentium; 2. sanguis in iis fluidus, resolutus, nullo modo, aut certe tardissime concrescens; 3. tempus, quo huiusmodi venosae congestiones contingunt, nimirum in summo malignitatis, et putredinis gradu, et paullo ante mortem; 4. pulsus paruus et debilis in hisce morbis deprehensus; 5. nullus dolor, nullaque alia inflammationis phaenomena; 6. demum noxa a sanguinis missione.

LI. Ad has fortasse venosas tantum congestiones referri debent pleraeque illarum inflammationum, quae sub finem febrium acutarum mali moris superuenire dicuntur, quaeque in cadauerum extispiciis circa viscera inueniri, vt diximus, solent. Nam non ignotum est, quantum aegrorum exitium accelerarint illi, qui ab inspectis in cadaueribus falsis huiusmodi inflammationibus permoti, et decepti, vt eas aut praecauerent, aut tollerent, largiter, et iterato in morbis malignis, aut putridis illius generis sanguinem mittere non dubitarunt. Norunt id Clinici exercitatiores, et nunquam monitis desinunt iuniores medicos a perniciosissima hac sanguinis profusione absterrere. QVESNAEVS etiam, qui vasorum hasce repletiones in malignis morbis saepissime conspexit, nequaquam pro inflammationibus

b) *Aduers. medic. Practic. Vol. I. P. I. articul. VII. pag.* 178. *et seq.*

bus accipiendas arbitratur, quia non ad arterias, ſed ad venas ſpectare ei viſae ſunt. Putat enim ſic vaſa ſanguine turgida, et plena in viſceribus demortuorum apparere, non quod inflammatione affecta eſſent, ſed quod venarum truncis ſpaſmo, qui in malignis morbis potiſſimam partem habet, affectis, et contractis, reliqua vaſa omnia ſe deplere nequeant, ideoque retento, accumulatoque ſanguine *a*) turgere debeant. Quocunque autem modo phaenomenon iſtud explicetur ſiue ex mente LVDWIGII, quod vero ſimilius videtur, ſiue ex mente QVESNAEI, quod interdum etiam probabile eſt; hoc ſane experientia perſpectum, comprobatumque eſt, noxiam in vtroque caſu ſanguinis miſſionem deprehendi. Etenim per hanc chirurgiam vel putrida ſanguinis diſſolutio promouetur, et vitales vires ſimul magis, magiſque proſternuntur; vel ſpaſmodicae vaſorum affectiones, imminuta ſanguinis reſiſtentis copia, et cordis propellentis virtute, neceſſario inualeſcunt. Reapſe non raro res aegrotantium in praeceps ruere poſt ſanguinis miſſionem vidi egomet ipſe, imo delirium, motuſque conuulſiuos, ad quos praecauendos ſanguis miſſus erat, confeſtim ſubſequi. Nec longe abſum, vt credam per venae ſectionem ſanguinem attenuari, et diſſolui ita, vt altius in vaſa cerebri, fortaſſe etiam ſeroſa ſi qua ſunt, penetrans, medullareſque fibras vrgens, aut diuellens, delirium, ſoporem, conuulſioneſue non parum acceleret, aut arceſſat.

LII. Vt cuique morbo, ſic inflammationi non deſunt ſuae differentiae. Prima a locorum, quae inflammatione tentantur, varietate permanat. Hinc

 diſtin-

a) *Traité de fievres T. 2. chap. VII. art. 2. pag. 444. 445. et ſeq.*

distingui apte, opportuneque solet in *internam*, et *externam*. Externa ex iis, quae iam exposita fuere, facillime dignoscitur: interna vero paullo abditior est. Certissimas tamen eius notas exhibent calor, et dolor acutus, et pulsans vni, eidemque parti prope affixus, functionem ipsius non leuiter laedens febris vehementior cum pulsu duro coniuncta, itemque sanguis e vena missus quiete, et refrigeratione in massam firmiorem, diuisioni reluctantem, et pauco sero circumdatam concrescens, crusta quadam, de qua supra speciatim, albida, interdum subflaua, saepe ex albo rubente, valde tenaci, et compacta, sebum concretum, aut corium referente desuper obductus. Atqui huiusmodi signa neque semper, neque omnia simul ita concurrunt, vt illico ex his inflammatio patefiat. Opus igitur est magna medici exercitatione, et prudentia, ne laruata, atque obscura morbi natura eum nimis securum, et ne suspicantem quidem deludat. Interdum enim clanculo malum accedit, serpitque; neque vllam, aut tantummodo leuem febrim mouet; neque acutum, et pulsantem dolorem illum, quem paullo ante indicaui, comitem habet, vel si aliquem, obscurissimus is quidem esse consueuit. Monent vero qui artis vsu ceteros antecellunt, tunc doloris acuti loco anxietatem quamdam, aut molestiae cuiusdam inexplicabilis, aut ponderis, et grauitatis sensum in ea parte, quae laborat, percipi, aut tactui insolitam tensionem reniti, et pressam doloris cruciatum excitare. Id praesertim vsuuenit in peripneumoniis malignis, quae ob subitam gangraenam accedentem *gangraenosae* a Medicis recentioribus dicuntur, aut a metastasi oriundis, aut morbos putridos, pestilentesue subsequentibus; itemque in quibusdam ventriculi, intestinorum, mesenteriique inflammationibus, veris nimirum, nec ad venosas

con-

congeſtiones ſpectantibus, ſi tamen profectoribus fides habenda eſt, nec vna pro alia ſaepe accepta ſit. Dolor praeterea aut abeſt, aut obſcurus, et leuis in inflammationibus earum partium, quae ſenſibilitatem aut amiſerunt, aut ſenſu omnino per ſe carent, aut obtuſiori tantummodo donantur, quales ſunt peritonaeum, pleura, mediaſtinum, pericardium, dura, et pia meninx, tendines, cartilagines, aliaeque huiuſmodi, niſi ſimul ita tumeant, vt proximae partes ſenſu acutiori praeditae vna premantur, aut conſentiant, aut qua nerui decurrunt, aut pertranſeunt, inflammatione ſpeciatim occupentur.

LIII. Pulſus ſaepenumero nec durus in his, nec vehemens eſt multis profecto de cauſſis, ſed praecipue tum, cum pars, quam inflammatio tenet, ſanguinis tranſitui magnum obiicit impedimentum, vti pulmo, cor, hepar; aut cum neruorum ſyſtema ita afficitur, vt ſummo ſpaſmo cor, arteriaeque quaſi ſuffocentur, aut reſolutis veluti viribus torpeant: quo in caſu pulſus exilis et varius, et febris, et reliqua ſymptomata ab inflammationis natura maxime diſſidere videntur.

LIV. Diuiditur quoque inflammatio in *benignam*, et *malignam*; in *ſporadicam*, et *epidemicam*, vt plerique alii morbi. *Benigna* ea eſt, quae conſuetis, et propriis ſtipatur phaenomenis, neque vires proſternit, neque clam vitae ſub leuioris morbi ſpecie inſidiatur: *maligna* contra, quae benignitatis ſpeciem induit, quae cum notabili virium lapſu coniungitur, quae non omnia inflammationis ſigna prae ſe fert, atque a venenata plerumque cauſſa dependet, aut a putrida humorum diatheſi fouetur *).

Spora-

*) *Malignam* cognoſci docet nuperrimus ſcriptor, *ſi cauſſa ignota, ſtimulus validus, non vellendus, ignorus; ſi*

bus memoretur, quae quartum et ſummum inflammationis gradum conſtituit.

LVIII. Interdum quoque euenit, vt roſeus quidam rubor in ſumma cute appareat, qui tamen vix eam attollat, et ardoris potius, quam doloris ſenſum inferat, preſſuſque albicet, et quodammodo huc illuc vagetur. Haec inflammationis ſpecies *Eryſipelas.* ἐρυσίπελας nomen habet **). Cauſſa eius paſſim reputatur vel ſanguis tenuior, bilioſus, acerque *a*), vel ſecundum alios ſerum flauum, vitioſum, peculiari acritate praeditum, ad vaſa cutanea alicubi confluens, textumque celluloſum ipſius cutis afficiens.

**) Eryſipelas ducitur ab ἐρύω, et πέλας, vel ἐρυθρὸς, quaſi *vicinitrahat*, aut *vicinirubra*. GAL. *def.* 1.

a) GALENVS (*Method. med. lib. XIV. cap.* 2.) poſtquam *phlegmonen*, vt ſupra, deſcripſit, hunc in modum proſequitur: „Atque hic vnus affectus eſt ſanguineae fluxionis „ſoboles in carnoſa corpora maxime incidens. Secundus „alter bilioſae fluxionis germen eſt, ac circa cutim maxi„me conſiſtens, tum hanc externam, quae omnium par„tium commune eſt tegumentum; tum membranoſam, et „tenuem, quae ſingulis internarum eſt circumdata. Ergo „ſicuti prior affectus etiam cutis aliquid apprehendit, ita „hic quoque aliquid ſubiectae ſibi carnis occupat. Quod ſi „craſſior humor, acriorque ſit, ſummam cuticulam (Graeci „ἐπιδερμίδα vocant) excoriat, ſpatioque ad profundum ali„quando cutis exulceratio perŭenit. Atque hic quidem „affectus Eryſipelas nuncupetur, duplicem (vt iam dictum „eſt) habens differentiam: quod vel abſque exulceratio„ne, vel vna cum hac incidat. Prior autem affectus vnius „rationis eſt, voceturque phlegmone. Cum ergo nec „plane bilioſa, nec ſanguinea fluxio eſt, ſed ex ambabus „mixta: vtique ab eo, quod in mixtura exſuperat, nomen „ipſi indatur, an dicatur de eo id, quod exſuperat, „nomen ipſi indatur, an dicatur de eo id, quod exſupera„tur; ſic vt vel phlegmonen eryſipelatoſam id vocemus, „vel Eryſipelas phlegmonoſum. Vbi autem neutrum vin„cit, ibi vitium phlegmones, eryſipelatiſque medium no„minetur.

ciens. Prout vero inflammatio ad phlegmonis, aut eryſipelatis, aut oedematis naturam propius accedit, diſtinctionis ergo appellatur vel phlegmonodes, vel eryſipelatodes, vel oedematodes. Addunt non nulli *ſcirrhodem;* rectene, an perperam, non definiam, niſi hoc nomine eam velis inflammationem ſignificare, qua ſcirrhi in cancroſum vlcus vertuntur, ſi tamen id mali liceat ſic nominari. Nec deſunt qui interiores etiam inflammationes pro humoris natura, vnde fiunt, diſtinguant in *ſanguineas*, in *ſeroſas*, in *lymphaticas*, et ex vario nexu compoſitas; ſed fictitiae prope ſunt, et arbitrariae ex praeconcepta opinione huiuſmodi differentiae, qua um cauſſa ſaepe a recta, vtilique medendi ratione aberrare vidi non paucos.

LIX. Praeterea aliae differentiae deſumuntur a tempore, quo perdurant. Vel enim cito et celeriter decurrunt, vel lento paſſu, et diutius trahuntur. Illae *acutae*, et *celeres;* hae *lentae*, et *chronicae* vocantur. Poſteriorum exempla porrigunt lentae quaedam glanduloſarum partium inflammationes, vti pancreatis, meſenterii, mammarum, parotidum, axillarum, inguinum etc. Chronicae plerumque a dyſcraſia, et labe ſcorbutica, ſcrophulari, venerea, ſcabioſa, herpetica, ſimilique alia et fouentur, et gignuntur. Demum quando aliquot inflammationis notae deficiunt, vel minus conſpicuae ſunt, *ſpuriae* tum inflammationes dicuntur, ſiue ſimpliciter phlogoſes. Maiora enimuero, vel minora ſymptomata facile in ſenſus incurrunt, inflammationiſque naturam, gradumue tuto definiunt; non vero humor, et cauſſae, cum ſaepe ille certo conijci nequeat, hae plerumque lateant.

LX. Ad morbi prognoſim quod attinet, in vniverſum inflammatio morbus acutus eſt, ideoque non leuis, ſed dubii euentus; tanto periculoſior,

quo plura, et grauiora ſymptomata adſciſcit. Maligna, et putridis morbis ſuccedens, aut cum putredine primarum viarum complicata, aut corporibus cacochymicis, ſcorbuticiſque ſuperueniens, itemque epidemica, plus diſcriminis habet, difficiliuſque curatur. Externa plerumque tutior, quamquam haec quoque eryſipelatis maligni ſpeciem induens, interdum cito mortifera euadit. Exempla apud HIPPOCRATEM *a*), alioſque auctores bene multos extant. Singularum vero prognoſis a partium, quas afficiunt, diuerſitate dependet, prout nimirum functiones plus, minuſue vitae neceſſariae laeduntur. Sed de his fuſius alibi.

LXI. Ex temporum etiam conſtitutionibus aliquando praeuideri poſſunt inflammationes, et morbi inflammatorii, qui ſubſecuturi ſunt. Vtilia hac de re nobis reliquit monita Cl. HILARYVS in *ſupplemento ad Tractatum de variolis b*), quorum ſumma haec eſt. Tempeſtates calidae, et ſiccae, diutius perſiſtentes, morbos procreant inflammatorios, in quibus caput praeſertim offenditur: item frigidae, et ſiccae diuturniores eiſdem morbis originem ſuppeditant, a quibus vtique caput, ſed frequentius abdomen laborat. Si vero fuerint frigidae et humidae; ſeroſae potius congeſtiones, glandularum inflammationes, peripneumoniae, anginaeque * fiunt. Cum autem calidae, et ſiccae in frigidas, et humidas mutentur, afferunt febres inflammatorias, quae in

a) *Epidem. l.* 1.

b) *Eſſays et obſerv. de Médecin. d'Edimb. T. VII. p.* 95.

*) Hieme proxime elapſa poſt autumnum humidum, et frigidum, frigida et humida permanente tempeſtate, et niue permulta delapſa frequentes vidimus cephalitides, et dolores capitis vehementes, anginas, eryſipelata capitis, et faciei; contra quam ex *Hilaryi* obſeruationibus fuiſſet expectandum.

in primis partes membranosas corripiant, laryngem, pleuram, pulmones, ventriculum, ligamenta articulorum, aut eorumdem inuolucra. Hinc anginae, pleuritides, peripneumoniae, gastritides, arthritisque acuta profluunt. Hactenus ex HILARYI praesagiis. At HIPPOCRATES etiam c) admonuit opportune medicos, inquiens: *Si vero aestas ficca, et aquilonia fiat, autumnus autem pluuiosus, et australis, capitis dolores ad hiemem fiunt, et tusses, et raucedines, et grauedines, quibusdam etiam tabes.* Neque oblitus ipse est eorum morborum, quae hiemali praesertim tempore oriuntur, quorum maxima pars ad inflammationes pertinent. Ait enim: *Hieme vero pleuritides, peripneumoniae, lethargi, grauedines, raucedines, tussis, dolores pectorum, et laterum, et lumborum, et capitis dolores, vertigines, apoplexiae* d).

LXII. Vnaquaeque autem inflammatio varios exitus habet. Communior sententia est, eam finiri vel resolutione, vt loquuntur, vel suppuratione, vel gangraena, vel scirrho **). Resolui dicitur, quando

c) *Aphor. l. 3. n. 13.* Quae in hoc aphorismo praedicuntur, hoc ipso anno experientia comprobantur.

d) *Aph. lib. 3. n. 26.*

**) His quatuor modis finiri inflammationem vniuersa fere medicorum schola hactenus docuit. Sed quidam ex recentioribus (HELD *Dissertat. inaugural. medic. de tempestiv. cortic. peruuian. vsu in febrib. inflammator. Gotting. 1775.*) aliter sentiunt, et per *experientiam* constare dicunt, *sex modis* eam *finiri* posse; nempe 1. *benigna* sanguinis *inflammati resolutione;* 2. *criticis humorum* non resolubilium *euacuationibus;* 3. *metastasi;* 4. *suppuratione;* 5. *gangraena et sphacelo;* 6. *induratione*, et *scirrho.* Verum secundus modus aeque bene comprehendi potest sub ipsa *resolutione;* tertius autem non proprius inflammationis est, sed aliis etiam *morbis communis;* nec tollitur, finiturque inflammatio mutatione loci. Quod si absciss alicubi *nato*

inflam-

quando ex toto malum se se remittit, et desinit, nulla partis inflammatae labe superstite; suppurari, quando inflammatio tanta fuit, vt humor haerens, aut congestus concoqui incipiat, purisque naturam pedetentim acquirat, et cauo veluti quodam coaceruetur, aut intra vasa ipsa colligatur: gangraena autem terminatur, quando, omni motu vitali, et sensibilitate deficientibus, pars emoritur, vel ita spasmo tonico strangulatur, vt omnis in ea vita pereat. Id autem postremum vel inflammationis vehementissimae quandoque effectus est, vel quod frequentius puto, malignae, et venenatae quasi humorum deprauationis. Nam saepe, benignis, insontibusque humoribus existentibus, cum vehementissima licet inflammatione gangraena nequaquam coniungitur; et contra non raro leuissima febris, et non magna inflammatio transit in gangraenam, ob scilicet pernicioſam, et deleteriam eius causſam, quae vires vitae prosternit, neruos, et fibras sensu, motuque exuit, aut partem, vt caustica, cito adurit, destruit, corrumpit. In scirrhum denique abit, si locus ab impacta materie nec resoluta integre, nec suppurata induratur, sensu ferme omni deperdito, quod in glanduloſis praesertim corporis partibus fieri consueuit. Omnium saluberrima est *resolutio;* discriminis

inflammatio finiatur, tunc huiusmodi finis ad suppurationem facile redigitur, vel ad suppurationis effectum. Addunt alii (RICHTER *de duplic. inflammat. exitu desquam. et rigescent.* 1783. *Gotting.* et GATTENHOFIVS *Dissert. fist. inflamination. causſas et euentus, Heidelb.* 1765.) *desquamationem.* Sed haec quoque non omnibus conuenit inflammationibus; sed tantum aliquibus, v. g. eryſipelati, purpurae scarlatinae, variolis etc. Non idcirco generatim inter proprios cuiusque inflammationis exitus locum habet. Variolarum porro desquamatio spectat potius ad suppurationis, exsiccationisque consequentia.

minis plena *suppuratio*, nisi exteriora occupet; in *scirrhum* conuersio vitae quidem parcit, sed alias, lentasque aerumnas post se relinquit, morte, ni exstirpari possit, plerumque finiendas. *Gangraena* demum, si interiora praecipue corruperit, lethalis omnino est.

LXIII. Resolutio sperari potest, si inflammatio recens, nec valde magna sit; si sanguis nec concitatissimo motu feratur, nec contra fatiscente cordis vi paene subsistat; si corpus bono habitu, bonisque succis polleat, nec densum nimis, neu nimis laxum; si malignitas, si putrida dissolutio, si acrimonia insignis abfuerint; tandem, si cito opportuna adhibeatur curatio. Quocunque tamen modo se malum offerat, resolutio quanto maximo possumus studio tentanda est. Quamobrem protinus ab initio oportet vberiorem sanguinis ad partem inflammatam influxum imminuere, auctum motum vitalem tam ibi, quam alibi compescere, acre quodcunque obtundere, remouere, educere. Itaque primum sanguis liberali manu, et pro re nata iterato etiam mittendus est; quousque videlicet phaenomena inflammationis vrgent, et pulsus durus, et validus morbi cruditatem, et nimiam circuitus vim ostendit *. Neque id solum fiat venarum, sed arteria-

*) Jubent non nulli eo vsque mittendum sanguinem esse, donec crusta phlogistica penitus euanescat. Verum id nequaquam necesse est; imo interdum non innoxium. Saepe vltima sanguinis missio crassiorem, tenacioremque crustam exhibet, et nihilo secius morbus cito resoluitur, et iudicatur feliciter, quin iteretur phlebotomia. De hac praua quorumdam consuetudine querebatur saepe BALLONIVS (*epid. l. 1. p. 88. et l. 2. p. 225.*) sic inquiens: cum hodie demitur sanguis, et vltimum vas corruptissimo sanguine (*id est crusta inflammatoria, et albida recto*) plenum

est,

teriarum etiam sectione; nam has quoque, vbi per loci conditionem licet, vtiliter incidi, experientia compertum est. Cauto tamen opus est, nec temere, si vires reapse deficiant, aut malignitas, aut corruptionis indicia, aut putrida primarum viarum saburra subsint, aut peculiare epidemicae constitutionis ingenium obstet, aut nimia humores tenuitate peccent, aut praegressi morbi diuturnitas aegrum fregerit; nec temere, inquam, si aliquid horum acciderit, sanguis profundi debet. Minus etiam sanguinis detrahendum est, vbi inflammatio *oedematodes* (§. LVIII.) videatur, aut temperamentum pituitosum fuerit, aut laxa nimis solidarum partium compages.

LXIV. Quonam vero ex loco mitti sanguinem magis expediat, non vna, eademque omnibus sententia est. Quidam enim secandas primum venas praecipiunt, quae a parte affecta quam maxime distant; alii vero quam maxime proximas. Prima ratione auocari sanguinem, auertique dicunt aliorsum vtiliter; altera ex ipsa statim inflammata parte detrahi, vimque reliqui subsequentis in obstructa augeri, dirigique, vt referentur: obstructionem enim in inflammatione semper praesto esse opinantur. Illam *reuulsionem* vocant, hanc *deriuationem*. Verum rarissime quae propius sit laboranti loco venarum sectio, veram *deriuationem* efficit, nec, si efficeret, eadem vere opus esset, nulla plerumque existente vasorum obstructione, vt supra pluri-

est, tum incitantur medici ad iteratam, imo tertiam, et quartam venae sectionem, et quo magis corruptionis particeps sanguis est, eo de secanda vena audacius cogitant, et sic misere in humani generis sanguinem contenditur, et statuitur!

pluribus demonſtratum eſt. Vigente ergo inflammatione ſemper reuulſione vtendum eſt, vt ſcilicet vehementior ſanguinis concurſus, in quo inflammationis natura poſita videtur, retundatur, aliorſum quodammodo auocatus. *Reuulſionem* vero eo maiorem obtineri, quo propiores venae ſecentur, quam ſi diſſitae eo et remotiores, dummodo illae cum arteriis, in quibus inflammatio inſidet, continuae nequaquam ſint, luculentiſſime demonſtrauit argumentis ab anatome in primis depromtis Cl. PLACENTINIVS *a*), confirmauitque immortalis HALLERVS *b*) innumerabilibus in viuis animalibus factis periculis. Hinc profecto manat eximiae vtilitatis laus illa, qua experientia comuicti clinicorum principes extulerunt ſanguinis e propioribus venis emiſſionem. Attamen vbi ſumma vaſorum plenitudo cum morbo coniungitur, nec morbus adhuc multum inualuit, tutiſſimum nobis videtur reuulſionem moliri paullatim, ſectis nempe primum venis, quae procul abſunt, deinde iis, quae propius exiſtunt, ne repente ad partem affectam, facto in viciniam impetu, exuberans ſanguinis copia irruat. Praeterea quo maiores venae inciduntur, quo amplius vulnus inſligitur, eo certiorem, promtioremque *reuulſionem* fieri, creberrimae, imo quotidianae euincunt obſeruationes.

LXV. Quanquam vero reuulſioni primum locum demus, et plerumque eam quoque ſanguinis miſſionem reuellere, quae proxime e loco affecto euacua-

a) *Diſſertat. de vena, quae in morb. particular. par. corpor. ſit ſalutarius incidenda. Propoſit. 6 et ſeq.*

b) *Mémoire ſur le mouvement du ſang, et ſur les effets de la ſaignée ſect. VII.*

euacuationem praestat, credamus: non tamen ii sumus, qui omnem deriuationem numquam possibilem, aut semper superuacaneam iudicemus. Namque imminuta sanguinis copia, auocatoque aliorsum eius impetu, si nihilominus inflammationis effecta persistant, cur non erit deriuatio tentanda, vt effusus sanguis, aut errore loci euagatus in propria vasa reuocetur, aut congestus, haerensque loco dimoueatur? Quod si nullae venae, quae continuae sint *immediate*, vt loquuntur, cum arteriis, in quibus inflammationis sedes est, pateant extrinsecus, vt secari possint deriuationis caussa, non alia suppetit deriuandi ratio, quam scarificatio ipsiusmet inflammatae partis, si manui subiacet, aut hirudinum suctio, quibus vasa extemplo liberentur, detumescant, laxentur, humorumque circuitus, qui videlicet videbatur sufflaminari, redintegretur. Scarificationem saepissime in tonsillarum, columellae, faucium, palati, linguae, palpebrarum, coniunctiuae oculorum, musculorum intercostalium inflammationibus prouectioribus magno cum emolumento adhibitam recordamur; hirudines tum maxime profuisse, vbi scarificationem aut partis natura, et constitutio, aut aegrotantis timor, et auersatio prohibuit.

LXVI. Praeter reuulsionem, in qua praecipuum curandae inflammationis extat auxilium, illud etiam sanguinis missio praestat beneficii, vt pars aliqua caussae inflammationem efficientis, nempe acris, atque irritantis principii detrahatur, et minuta sanguinis quantitate amplius in vasis maioribus spatium paretur, minor fiat pressio, atque attritus, calor temperetur*), vasa laxentur, reuiuiscat eorum elastica

*) Calorem ex sanguinis missione minui, quocunque id modo praestetur, experimentis rite institutis euicit Cl. ANTONIVS

elaſtica vis, irritabilitas, et ſenſibilitas *mitigetur*, ſanguis rareſcat, attenuetur, recta magis procurrat, minus ab axi diuergat, ſecretiones, excretioneſque *felicius peragantur*, quae omnia profecto maxima *ſunt* ad inflammationem diſcutiendam, reſoluendamque adiumenta.

LXVII. Reuulſionis genus quoddam etiam faciunt ea, quae aluum molliter ducunt; ſed blanda *ſint oportet*, talia tamen, quae humores attingant, et ſoluant, et leniter ad inteſtina alliciant, atque ano deturbent. Quo nomine commendantur ſubacida, et refrigerantia, quae nimirum nec ſanguinem exagitant, neque admodum ſolidas partes irritant, neque motum adaugent, ſed potius ſedant, et compeſcunt calorem, vti Tamarindi, Serum lactis, Cremor tartari, Caſſia, Manna, atque his ſimilia. Huc ſpectant clyſteres ex iis parati, quae molliunt, *temperant*, et laxant. Hi enim tutiſſimi *ſemper habentur*, modo acritate calida, irritandique poteſtate careant. Si quid ſtimuli iis adiiciendum ſit, mel, nitrum, caſſia ſatis erunt. Cathartica ergo vera, acria, validiora, itemque emetica, *vt noxia*, *vitari* debent; et, ſi quando accidat, *vt* peculiaris epidemica conſtitutio, in qua miaſma putridum, aut venenatum primas vias invaſerit, aut morbi fomes a bile corrupta, aut exuberante, aut a cacochylia quacunque originem ducat, emeſin efflagitet, tunc mitioribus, temperatiſque medicamentis ea leniter cieatur, et quidem poſt ſolutam per venae ſectionem vaſorum plenitudinem. Ab omnibus tamen hiſce reuulſionum

TONIVS MARTIN anno 1765. Vid. *Acta Academ. Reg. ſcient. Suecic. ann.* 1767. *vol. XXVIII. p.* 165. itemque *Comment. Lipſ. vol. XVI. p.* 397.

num generibus cauendum omnino eſt, ſi ventriculus ipſe, aut inteſtina, aut viſcera his contigua, et communicantia inflammatione exardeſcant. Tum enim, ſi quid purgationem indicet, ſolis clyſteribus, aut aqua tepenti, aut oleo, aut ſero lactis ſimplici, aut ſimili alio leniſſimo pharmaco eam praeſtat moliri. Patet quippe, tunc reuulſionis genus, quod contrarium reuulſioni effectum pareret, tuto adhiberi minime poſſe.

LXVIII. Reuellendi pariter indicationi inſerviunt balnea tepida manuum, et pedum, fomenta extrinſecus calide admota, vtpote quae fibras nimium rigentes, aut ſpaſmo contractas, aut nimium irritabiles egregie molliunt, relaxant, atque adeo ſtimulis minus idoneas percipiendis reddunt, ſanguiniſque curſum, et copiam, ampliatis canalium ſpatiis, aliorſum proliciunt. Aliorſum etiam, extrorſumque ἐπισπαστικὰ varii generis pro varia morbi ſede, modo remotis, modo proximis partibus extrinſecus opportune impoſita morbidum humorem reuocant, reuellunt, educuntque, teſte experientia optima etiam in rebus medicis magiſtra. Inter haec excellunt cantharides, euphorbium, ſinapi fermento panis excepta, acetoque aut vini ſpiritu ſubacta, aut aliter in cataplaſmatis, emplaſtri, cerati, aut vnguenti formam redacta. Aliquid etiam in ſanguinem iſta, praeſertim cantharides, immittunt, quod languentem nervorum, et fibrarum vim, et actionem ſollicitet, et nimiam humorum ad coeundum propenſionem, aut lentorem, ſi quis eſt, tollat, aut ſoluat, aut incidat *). Sed quoniam acri quodam volatilique princi-

*) Riſum, et ſtomachum mouent nuperiorum non nulli, qui vno, vel altero fallaci experimento confiſi protinus decer-

principio id exſequuntur, cauendum ab eorum vſu eſt, vbi ſolidae partes nimis aridae, atque exſuccae rigent, aut neruea ſenſibilitas iam excedit, aut vaſa adhuc nimis turgent, aut humores nimio motu concitantur, aut calor, ſitis, vigiliae, ſpaſmi

decernere non dubitant, a cantharidibus ſanguinem, humoreſque reliquos condenſari, non diſſolui. Repetant, quaeſo, ſua experimenta, adhibeantque eam in periclitando prudentiam, animique attentionem, quae phyſicos decet veri ſtudioſos, et ſpero fore, vt, niſi ſponte delirare velint, errorem facile detegant ſuum, et deteſtentur. Qui vero omnia, quae aut ſcripta, aut tentata hactenus ſunt de natura, viribus, vſuque cantharidum, ſcire cupit, perlegat librum, cui titulus: *Diſquiſitio Medica cantharidum hiſtoriam naturalem, chemicam, et medicam exhibens, Auctore Rudolpho Forſten M. D. Argentorati 1776.* Speciatim vero de vſu earum in inflammationibus et morbis acutis legenda eſt: *Commentatio de vſu veſicantium in febribus acutis, et ſpeciatim in ſananda pleuritide accuratius determinando, Auctore B. L. Tralles. Vratislaviae 1778.* His addendae ſunt binae aliae ſequentes Diſſertationes: 1) CAROLI CHRISTIAN. ENGEL. *de explicandis generalibus veſicantium effectibus, eorumque ſpeciali in inflammationibus vſu. Halae d. 11. Nov. 1774.* Extat haec in cl. BALDINGERI *ſylloge ſelectior. opuſcul. vol. IV. p. 126.* 2) IO. CARSON *de Cantharidum hiſtoria, operatione, et vſu.* Edimburgi 1776. Extat in *Sylloge* modo citat. *eod. vol. IV. p. 180.* Auctor CVLLENII diſcipulus putat cantharides agere vi ſtimulante, euacuante, et antiſpaſmodica. Quidquid ſit de eius opinionibus, veſicantium vſum in *Synochis inflammatoriis*, in *Typhis*, *febribuſque lentis*, *in febre putrida*, in *variolis*, in *apoplexia*, in *paralyſi* etc. ſatis docte definire contendit. Conſuli etiam poteſt *Diſſert. de iuro, et eximio veſicatoriorum vſu in acutis*, praeſid. cl. VOGEL, auct. I. H. STRVVE Götting. 1768. Quae porro loca veſicantibus accommodata ſint, eruditiſſime oſtendit THEOD. GERH. TIMMERMAN, et GVIL. LVD. HOELCKE in *Diſſert. de* Veſicantium locis. Rintel. 1771. vbi vſus veſicantium ad locum affectum antiquior aſſeritur, quam vulgo creditur. Extat haec quoque in *Sylloge* BALDINGERI, *vol. I. p. 326.*

vrgent, aut vrina flammea, aut ſanguinis alkaleſcens tenuitas aduerſantur.

LXIX. Vt porro motus quicunque vitalis auctus compeſcatur, et quoduis ſtimuli, atque acritatis genus contemperetur, dimoueatur, et extra corpus excernatur, in primis aqua affatim potui danda eſt. Haec diluit egregie, calorem, et motum, et attritum minuit, irritabilitatem demulcet, acrimoniam eneruat, craſſa, et denſa ſolvit, ſecretiones, et excretiones adiuuat, vno verbo poſt ſanguinis miſſionem fere ſola reliquam curationem perficit, atque abſoluit. Vbi feruet nimium ſanguis, atque ad rareſcendum inclinat; aetas iuuenilis, temperamentum cholericum, regio calida, tempeſtas aeſtiua eſt; aut humorum tenuitas eryſipelatodes deprehenditur, actu frigida praefertur: vbi vero laxandum magis, molliendum, ſoluendumque eſt, aut ad vias ſudoris, aut ſputi ducendum; calida, aut ſaltem egelida conuenientior eſſe conſueuit. Aquoſo potui, vt facilius ſanguini, reliquiſque humoribus, praeſertim oleoſis, aut pinguibus miſceatur, faciliuſque irritabilitatem cordis refringat, igneum elementum arripiat, aut eius euolutionem coërceat, alkaleſcentiae, vt vocant, a nimio motu, aut attritu ortae obſiſtat, indeque pendenti diſſolutioni frenum iniiciat, aut phlogiſticam diatheſim ſanguinis emendet, ſiue id concreſcibilis et fibroſae partis cum rubra mixtionem adiuuando, ſiue eius copiam, lentoremque imminuendo, attenuandoque praeſtet, adiici ſolent aceſcentia, acida, ſaponacea, refrigerantia, farinoſa, mellita.

LXX. Hinc laudatur aqua succo mali *medici*, citrei, aurantii, et sacchari, aut mellis tantillo ad gratum *saporem* condita; aut aceto, aut spiritibus *acidis* leuiter, prudenterque imbuta; aut ex pane triticeo albo, hordeo, auena, fructibus subacidis, vel herbis refrigerantibus, gramine, cichoreo, soncho, borragine, tragopogone, intubo decocta, itemque emulsa ex seminibus frigidis ita dictis. Quibus nitrum, oxymel, defruta, siue *rob* baccarum sambuci, ribesiorum, berberum, rubi idaei, et fructuum similium, subinde parca, et prudenti manu pro rerum circumstantium ratione admiscentur. Si haec non suffecerint, quod lentus, tenaxque humor exuberet, coaceruatusque alicubi haereat, viresque cordis excitandae etiam sint ad morbum penitus exstirpandum solvendumque, tum camphora quoque, kermes minerale, radix polygalae virginianae, stipites dulcamarae, herba Genipi, siue absynthium album incanum flore chamaemeli; aliaque huius generis in auxilium vocantur. *Sed non haec* promiscue, et indiscriminatim vsurpari licet; cum rationalem, et therapeutices legum, et praeceptorum apprime memorem eorum vsus expostulet.

LXXI. Interdum vero dolor ita ingraueſcit, saeuitque, vt neruorum distentio prope timeri inde possit. Tunc ille aliquantulum leniri debet anodynis medicamentis, iisque etiam, quae opium habent; quidquid temere his vtentes, aut non satis opportune experti, contra opinentur. Praeterea parti, quae inflammatione vexatur, extrinsecus admouenda pro re nata sunt modo ea, quae molliunt, modo quae leniter reprimunt, modo quae humectant, modo quae blande siccant, et

discutiunt, prout tensio, dolorque, aut feruor, laxitasque, aut siccitas, aut humida temperies, illuuiesque serosa videntur exposcere. Plerumque in initiis, et fine quae reprimunt, roborantque adhiberi solent, nisi quid aliud morbi ratio, experientiaque suaserit.

LXXII. His igitur resolutionem molimur, sed in singulis opportune administrandis cura quam maxima adhibenda est, ne iusti moderationis fines excedantur. In primis naturae motus ita temperandi sunt, vt tam qui nimii videntur, quam qui deficientes ad auream illam mediocritatem, quam vbique commendauit SYDENHAMIVS, redigantur; vtpote qua opus est, vt morbus ad felicem exitum perducatur. Non ergo improuide vires vitales profligandae sunt, neque calor extinguendus ita, vt subigendo morbo, coctionique perficiendae non valeant. Nam quadam solidarum partium vi, et moderato quodam caloris gradu opus est, vt irritans causa edometur, aut diathesis phlogistica, aut effusi, stagnantesque humores, qui forte discuti nequiuerunt, coctionem, vt vocant, purulentam, siue pepasmum subeant, et per sputi, aut vrinae, aut sudoris vias expellantur, aut ad loca alia per διαδοχὴν transferantur, finemque morbo feliciter imponant.

LXXIII. Id praecipue in febre, quam *ardentem* GORTERIVS nuncupauit, alii vero inflammatoriam, in qua nimirum nulla singularis pars, sed vniuersum fere corpus afficitur, accidit: inflammatoria enim sanguinis diathesis coctione ita mutatur, vt prius saepe speciem referat, prodeatque cum vrinis, in quibus sub forma sedimenti albi, lauda-

laudabilis, critici *a*) fundum petit. Dum haec aguntur, imperanda etiam est cum animi, tum corporis quies, victus ratio tenuissima, atque aëris purioris, et temperati crebra renouatio *). Et si quando vires euacuationibus immodicis, aut putrida accedente liquatione deiiciantur, cardiaca tunc, atque antiseptica, et praesertim vinum mirifice profuisse visa sunt. Saepe enim accidit, vt diutius protracto vehementioris febris impetu, et nimio inde orto calore, sanguis, humoresque reliqui alkalescentem naturam acquirant, et ad putridam dissolutionem quandoque transeant. Quod vbi euenit, quamquam multo rarius, quam existimatur, eueniat, mutata mali facies antiseptica potentiora, praesertim acida fossilia requirit.

LXXIV. Animaduertendum tamen est, non raro, coctione peracta, retardari materiae morbificae separationem, excretionemque; quod vbi incidit, eam promouere studeant plerique lenibus eccoproticis; imo quando suspicantur, non satis solutum malum esse, ad eadem confugiunt, vt relapsus praecaueatur. Atque haec ipsa, aut non absimilia conueniunt etiam erysipelati, praesertim

a) GORTER *Differt. de sitî* §. 32.

*) Nisi aër cubiculi, vt par est, renouetur, ita effluuiis ex aegrotantis, assidentiumque corporibus emissis inficitur, vt ineptus tam respirationi, quam perspirationi perficiendae euadat. Phlogisto, aliisque exhalationibus, et vaporibus onustus calet tunc, aestuat, foetet, perspirabilem humorem non allicit, sed reprimit, noxia effluuia corpori iterum infundit, anxium aegrum, et anhelosum reddit, nerueae, et musculari facultati nocet, putredini fauet etc. Huiusmodi aërem *phlogisticatum* hodie vocant. In hoc conclusa animalia propriis halitibus enecantur.

phlegmonodi. In puro tamen eryſipelate parcius ſanguis effundi debet, et maturiori conſilio, quam in phlegmonode, nam, niſi caput occuparit, facile intra paucos dies quaſi per ſe diſcutiur, et euaneſcit. Minus item ſanguinis extrahi debet in eryſipelate oedematode; imo ſaepe nulla id eget ſanguinis miſſione. Purgantia potius antiphlogiſtica, et ſubacida eryſipelas expoſcit, quae, inclinato iam morbo, etiam propemodum neceſſaria ſunt. Non tamen praepropere iis vti licet; nam ſaepe purgatione eryſipelas intro vertitur, quod ſane non ſine magno vitae diſcrimine fit.

LXXV. Quod ſi malo fato inflammatio naturae, artiſque conatus ſuperet, nec tamen occidat, imo aliquandiu in ancipiti ſtatu perſeueret, deinde aliquantum remittere videatur dolore miteſcente, et febris inaequalibus, erraticiſque acceſſionibus, horroribuſque **) adſcitis nouam curſus induat rationem, et rubor, et tenſio, ſi oculis patet, ſubſidere quodammodo incipiat, ſuppurari iam inflammationem, indicium eſt. Quod vbi contingit, prudenter naturae motus regendi ſunt, nempe nec incitandi nimis, nec nimis infringendi. Plerumque, ea quae molliunt, atque ad exteriora reuocant, et corruptionem auertunt, tutiſſima exiſtimantur.

LXXVI.

**) HIPPOCRATES ſapientiſſime ſcripſit: *circa puris generationes*, ſiue vt alii vertunt, *dum pus conficitur; dolores, et febres magis accedunt, quam confecto. Aphor. 47. ſect. 2.* Sed non perpetuum hoc eſt. Neque perpetuum eſt, ſuppurationem horroribus, febribuſque inaequalibus comitari. Interdum enim ſuppuratio fit ſine vllo huiuſmodi ſymptomatum. Legi merentur quae *de puris generatione* habet HAENIVS *Rat. medend. P. 2. cap. 2.*

LXXVI. Pure molli fluctuatione se exterius prodente, si malum suspectae, et venenatae indolis fuerit, etiamsi non perfecte maturuerit, parandus ei exitus est cita, et satis alta incisione; contra, si benignae naturae extiterit, et pars, in qua pus conficitur, consentiat, exspectanda omnino eius maturatio est, antequam sectione aperiatur abscessus. At, vbi suppuratio interiora occupat, nec secari locum impune licet, pus, quoad fieri potest, ad alias vias, quibus excerni queat, diligenter proliciendum est, additis semper antisepticis remediis, vt purulenta cacochymia arceatur. Sed rarum tum est, rem ad prosperum finem perduci.

LXXVII. Si vero ex dolore euanescente, pulsu paruo, inaequali, phlegmonis calore in pallidum, liuidum, aut nigricantem mutato, viribus resolutis, extremis frigefactis, vultu tetro, et plumbeo, mentisque subobscura perturbatione ad gangraenam vergere malum dignoscatur, ad cardiaca, atque antiseptica valentiora, in primis ad corticem peruuianum, camphoram, serpentariam virginianam, arnicam, scordium, flores chamaemeli, aliaque huius census properandum est, non omissis interim iis, quae ex chirurgico fonte peti possunt, si loci conditio ferat.

LXXVIII. Demum si in scirrhum inflammatio terminetur, quod facile tactu detegitur, aut functionibus in integrum non redeuntibus innotescit, etsi fere ad desperationem res peruenerit, mitissimis tamen, et simul efficacissimis soluentibus, sapone videlicet, cicuta, gummi ferulaceis, imo hydrargyro eius curationem tentare non erit alienum,

ne hominem, qui ſeruari ſemper non poteſt, deſerere videamur. Sed tutius eſt, antequam ad validiora deueniamus, tempori, et naturae negotium committere, ſerum lactis gramineum, ſuccos plantarum temperatiorum, et reſoluentium, aquas thermales, aëris mutationem experiri, corpuſque leniter exerceri. Atque haec de inflammationis natura, differentiis, exitu, et curatione in vniuerſum. Quae ad particulares quaſque inflammationes proprie ſpectant, et reſpiciunt, tradentur alibi, vbi de ſingulis erit dicendi locus.

DE FEBRE GENERATIM.

§. I.

FEBRIS nomen alii a verbo *ferbeo*, siue ferueo, alii a *februo*, id est expio, deriuatum volunt. Si quis etiam malit ab vtroque, per me quidem licet. Nam et in plerisque febribus, praesertim cum ad *augmentum*, et *statum* peruenerint, sanguis, vniuersumque corpus incalescit, ac feruet; et febris ad expurganda saepe cum sanguinis, tum ceterorum humorum inquinamenta accendi, cierique videtur. Quos enim morbos medicamenta non sanant, interdum curat febris *). Hinc non immerito HIPPOCRATES, GALENVS, CORNELIVS CELSVS, aliique bene multi eam non modo supervenire quibusdam morbis exoptarunt, verum etiam de industria excitandam quandoque praeceperunt. Hac quippe impuri, crudi, superflui, aut stagnantes humores subiguntur, attenuantur, coquuntur, mouentur, excernuntur. Quare plerique scriptores salubritatem febrium ita celebrarunt, vt veri etiam terminos excederent. Quo factum est, vt WERLHOFIVS suarum, et periti medici partium esse duxerit, tantam laudantium licentiam docto, vtilique opusculo *a)* refrenare. *Febris nomen vnde deriuetur.*

*) Febre quandoque curantur apoplexiae, paralyses, epilepsiae, conuulsiones, arthritides, obstructiones etc.

a) De limitandis febris laudibus.

§. II.

In hanc adeo frequenter incidunt homines, cuiuscumque aetatis, sexus, temperamenti, aut habitus fuerint, vt vna tertia pars GORTERIO *a)*, duae vero *Febris frequentissimus morbus.*

vero SYDENHAMIO *b*) tertiae morborum, quibus obnoxii sumus, ad febres spectare videantur. Non ergo quemquam admiratio subeat, si communior Medicorum opinio sit, febre amplius dimidium generis humani occidi *c*).

a) *Compend. medic. Tract.* 52. §. 1. *b*) *Differt. epistol.* mihi *oper. omn. p.* 444. *et epist. respons.* 1. *p.* 361. *c*) GVILL. BVCHAN *Médecin. Domestiq. T.* 2. *chap.* 2. *p.* 14.

§. III.

Febris nomen quam late pateat.

Sunt autem tam multa, tamque varia morborum genera, quibus nomen febris inditum est, et causarum, et symptomatum tam magna diuersitas, vt eam recte definire se posse desperauerint sapientissimi, expertissimique Medicorum. *In vno* enim *genere*, inquit modo laudatus GORTERIVS *a*), *dantur quaedam, quibus febris praesentia dignoscitur; haec deficiunt prorsus in aliis.*

a) *l. c.* §. 2.

§. IV.

Febris definitio secundum Galenum.

Quod vt cuique manifestius pateat, proferendae tantummodo sunt nonnullae celebriores ex innumeris propemodum, quae extant apud scriptores, febris definitionibus. GALENVS in primo *De differentiis febrium a*) libro definiuit febrem *calorem praeter naturam*. At non in omni febre calor, nec omni eius tempore modum excedit: nam in *algidis febribus* TORTII, in *syncopalibus*, in initiis accessionum quarumdam febrium intermittentium *), in malignis quibusdam, aliisque non paucis istiusmodi morbis calor vel naturali minor, vel certe nequaquam maior est. Praeterea in *Epialis* non caloris duntaxat, sed eodem tempore etiam frigoris sensum queri solent, vt nihil dicam de *Lipyriis*, in quibus dum interiora vruntur, exteriora, praesertim extrema algent. Denique si quid vitii in caloris

loris excessu est, id ad febris potius effecta, quam ad eius, vt vocant, essentiam spectaret, cum saepe, prout paullo ante animaduersum est, a febri *calor ille praeter naturam* abesse deprehendatur.

a) *Cap.* I. *de generali febr. diuision.*

*) Initio accessionum, quae a frigore incipiunt, quamquam frigere se aiant aegrotantes; nuperi tamen scriptores thermometri ope contendunt ostendere, tunc etiam auctum caloris gradum esse. Vera quidem dicunt, si periculum in iis fiat accessionibus, in quibus, antequam frigus aggrediatur, quod saepissime vidimus, aliquot horis aegri primum incalescunt, citatioremque pulsum exhibent; aut in eo frigoris febrilis tempore, quo iam mitescit, calorque se exserere incipit, aut demum in eo casu, in quo illi horrent quidem, sed vere non frigent; nam saepe frigoris sensu percelluntur, quin tamen frigeant. Verum si nullo praecedente caloris augmento in ipso veri frigoris febrilis initio, atque incremento, quo quartanarii, puta, aut tertianarii vexantur, aut in iis, quorum membra, dum febris accedit, aperte pallent, et tactui vere frigent, periclitatio instituatur, et thermometro algenti corpori admoto calor exploretur, certo certius imminutus inuenietur, quemadmodum iteratis periculis in magna discipulorum frequentia non semel expertus sum.

§. V.

In peruetere libro *a*), quem GALENI esse perhibent, quatuor aliae definitiones febris traduntur, quarum prima, nam reliquae breuitatis caussa omitti facile possunt, sic effertur: *Febris est innati caloris declinatio ad statum, qui praeter naturam sit, pulsibus quoque vehementioribus ac crebrioribus redditis.* Haec profecto, quoniam tam frigus quam calorem, algidas aeque, ac ardentes, variumque febrium intermittentium tempus complectitur, et simul pulsum vehementiorem, crebrioremque, ex quo de febre iudicium ferri solet, vna coniunctum ponit, vt vero propior est, sic a Medicis non facile deseri, aut despici debuisset. Attamen nec ipsa, si *Alia Galeni definitio.*

quid

quid iudico, febris naturam satis attingit: 1. quia calor, et frigus effecta potius febris videntur; 2. quia calor non semper in ea deprimitur, aut augetur, vti patet ex calore prorsus naturali, quem non raro habent quaedam febres malignae; 3. quia non in omni febre, nec in singulis eius stadiis arteriae vehementius, crebriusque subsiliunt; vt postea demonstrabitur.

a) *Definit. medic. inter Opera Galeni Class.* 1. p. 46. C.

§. VI.

Febris efferuescentia sanguinis praeter naturam dicta.

Ad *efferuescentias* alii, vt febrim quodammodo e tenebris in lucem producerent, non sine laudis spe aliqua confugerunt. Cum enim ab efferuescentiis modo calorem, modo frigus *) gigni viderent, magnam harum cum febre affinitatem esse rati, eam definire non dubitauere *efferuescentiam* sanguinis *praeter naturam*. Proprie autem *efferuescentia* dicitur subita, et sensibilis duorum corporum valde amicorum, quorum vnum saltem sit liquidum, mutuo congredientium commotio, atque, vt vocant, *expansio*, qua magna vis aëris insiti, aliorumque halituum sub bullularum, et guttularum specie plerumque cum sibilo, et strepitu, et calore non exiguo, interdum etiam sine calore, imo cum frigore corporis efferuescentis exploditur. Acidi in primis sales cum alkalinis, aut terreis corporibus, quae absorbentia nuncupantur, eam efficiunt. Hinc olim habita est *Acidi*, et *Alkali* tantummodo congressus, et lucta. Sed non satis animaduersum fuerat, *efferuescentiam* praeterea nasci ex acidis spiritibus, metallis, et semi-metallis affusis, vel etiam ex acidis meracioribus inter se commixtis, vti quando miscetur oleum vitrioli cum solutione argenti, vel ex acidis potentioribus cum aqua simplici,

plici, aut cum oleis aethereis, et ſpiritibus inflammabilibus, vel ex ſalibus alkalinis liquidis cum alkalinis ſiccis, et conſiſtentibus, ſiue concretis, vti quando oleum tartari per deliquium inſtillatur ſali tartari ſicco, vel ex aquae ſimplicis cum corporibus terreis alkalinis, in calcem praeſertim redactis commixtione.

*) Pleraeque *efferueſcentiae* calorem cient. Exemplum vero frigoris ab *efferueſcentia* excitati vulgatiſſimum habetur in oleo vitrioli ſali ammoniaco affuſo. Mirum enim eſt, frigidam *efferueſcentiam* in huiuſmodi mixtione oriri, dum vapores ex ea manantes calidi percipiuntur. Sed, igne expulſo, cur relicta mixtio non frigeat? Nec vnicum frigidae efferueſcentiae exemplum eſt illud. Acetum etiam alkalinis terreis corporibus, non in calcem redactis, inſtillatum efferueſcentias frigidas parit.

§. VII.

Doctrina vero iſtiuſmodi *efferueſcentiarum*, quas olim medici in ſanguine poſſibiles exiſtimabant, a Phyſiologis poſterioribus adeo refutata eſt, vt hodie iam pene exoleuerit. Nemo enim potuit vnquam in ſanguine, reliquiſque viui animalis humoribus *Alkali* purum, *Acidumque* manifeſtum, atque euolutum detegere, quae vna congredi, atque efferueſcere poſſent. Quod ſi vnquam alterutrum in quibuſdam morbis deprehenſum fortaſſe eſt, quod quaedam obſeruata medica innuere videntur; plerumque morbi effectus illud fuit, non cauſſa; nec vnquam obſeruatum eſt, quod nouerim, vtrumque vna, et ſimul, vt efferueſcere iunctim poſſent. Quas vero aliunde oriri poſſe efferueſcentias memorauimus, nullum intra ſanguinem locum illas habere, protinus quiſque perſpiciet. Quis acidum fortiſſimum, puriſſimumque, quale vitriolicum, aut nitroſum meracum eſt, in corpore humano inuenit vnquam, quod cum alkalinis ſalibus, aut *Refutatur.*

aut terreis absorbentibus, aut metallicis corporibus, si qua in nobis essent, aut cum aqueo humore congrediens calorem, aut cum sale ammoniaco, nobis quidem non alieno copulatum, frigus excitet? Vbi in nobis olea *essentialia*, siue aetherea, aut spiritus inflammabiles praesto sunt, cum quibus acidum illud efferuescat? Vbi sales alkalini sicci, qui cum liquidis coëant, atque ebulliant? Quis demum efferuescentiam frigidam vidit vnquam calidae anteire, calidamque frigidae succedere, sic, vt frigus in tertianis, quartanisque febribus, et subsequens calor ab huiusmodi efferuescentiis deduci queat?

§. VIII.

An febris sanguinis fermentatio.

Itaque efferuescentiis diffisi quidam alii febrem *sanguinis fermentationem* esse malunt, inter quos WILLISIVS primas certe tenet, et febris effecta cum musti comparant fermentantis *) phaenomenis. In hanc prope partem vergunt Nuperorum complures, quibus omnia videntur plena fermentationum. Sed quo minus haec quoque probetur opinio, multa profecto obstant, et 1. summum discrimen, quod inter sanguinem intercedit, et mustum, aliosque succos vegetabiles fermentationi idoneos; 2. defectus in vasis corporis animati, et viui conditionum, quae ad fermentandum requiruntur, quietis nimirum, mitissimi caloris gradus, quem viuentis hominis calor naturalis longe superat, et liberae cum aëre exteriore communicationis; 3. nulla in humoribus a febre mutatio, qualis fermentationem subsequitur, cum neque vini, neque aceti, neque spiritus inflammabilis indicia vlla sanguis praebeat, postquam febris, siue, vt iis placet, fermentatio desierit.

*) Fermentationis nomen adhiberi video ad res multas et quidem natura diuersas designandas. Sed hic ea a nobis

nobis intelligitur, quae propria vegetabilium rerum eſt, quaeque ſola vera fermentatio eſt. Haec autem diſtinguitur in *vinoſam*, *acidam*, atque *aceroſam*. Nulla ex his in ſanguinem, corpuſque humanum, exceptis primis viis, cadit. In omni vera fermentatione mixtio vetus mutatur, et noua inducitur. Contra euenit in *putrefactione*, in qua mixtio vniuerſa deſtruitur, et diſſoluitur, elementa omnia ſecedunt, olea foetida redduntur, ſal volatile oritur, et auolat, et ſic vera corruptio totius mixti, et reſolutio fit. Non ergo *putrefactio* quidquam habet commune cum vera fermentatione, vt ipſa cum Recentioribus *fermentatio putrida* dici poſſit, niſi nominibus abuti velimus.

§. IX.

Latiorem febris definitionem excogitauit LAVRENTIVS BELLINIVS in hunc modum: *Febris eſt ſinitio. vitium ſanguinis aut in motu, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in horum aliquibus, aut in omnibus a)*. Quae tamen definitionis amplitudo non modo nihil certi, et proprii exhibet, verum etiam adeo patet, vt multis aliis morbis, a ſanguine oriundis aeque bene accommodari poſſit. Quapropter ne hac quidem contentus ſummus ille vir BOERHAAVIVS, cui ceteroquin BELLINII noſtri auctoritas magno ſemper in pretio fuit, nec apud quemquam alium naturam febris dilucide expoſitam inueniens, ſingula febrium ſymptomata examinanda ſuſcepit, reiectiſque iis, quae in febre nequaquam perpetua ſunt, retentis vero, quibus praeſentibus febris adeſſe, abſentibus, aut ceſſantibus abeſſe, aut deſinere dicitur, ſe hac ratione veram, intimamque febris naturam aſſequi poſſe ſperauit. Hinc tria in omni febre a *cauſſis internis orta* occurrere *b)*, detexit, *horripilationem* videlicet, *pulſum velocem*, et *calorem*, ſed *vario febris tempore* varia. Ex his vero iterum diligentius perpenſis, ſolam velocitatem pulſus *) in omni febris tempore ſibi viſus eſt reperiſſe, ideo-

Bellinii definitio.

Quid Boerhaavius ſenſerit.

que in hac sola *febris acutae ideam* contineri demum affirmauit.

a) *De Febrib.* *b*) *De cognosc. et curand. morb.* §. 563.

*) Quisnam pulsus velox dicendus, quisnam tardus, aut rarus sit, non ita expeditum est scitu; nam pulsus differt, vt differunt homines ipsi, eorumque circumstantiae. Generatim in pueris frequentior est, quam adultis, rarior in senibus, quam in vtrisque illis. In adulto bene valente, quiescente, tranquillo, et ieiuno pulsuum micatus numerantur a sexaginta ad septuaginta intra minutum primum: in infantibus, et pueris eodem modo constitutis, eodemque rerum statu positis ab octoginta ad nonaginta quinque; in senibus a quinquaginta ad sexaginta. Scire autem licet, adultos interdum existere, quorum pulsus micatus in naturali statu sunt octoginta, aut nonaginta, imo etiam plures intra idem temporis minutum primum, dum in aliis non vltra quinquaginta numerantur; et tamen vtrique recta valetudine fruuntur. Quod saepe expertus sum. Nisi igitur pulsus cuiusvis hominis antea innotuerit, ex sola eius frequentia febris certo discerni nequit. In vniuersum vt dici iure possit pulsus naturali esse frequentior, debet, si DVPLANILIO credimus, intra datum tempus tertia plus parte pulsare, quam sano solet; id est, si in sano pulsus micatus erant septuaginta, in febricitante erunt nonaginta quinque, sumto semper minuto primo pro temporis spatio vtrique communi, vt dimetiendi ratio non fallat. Quamquam necessaria mihi non videatur semper huiusmodi pulsationum proportio: satis enim est, pulsuum numerum aliquot ictibus naturae modum excedere, et talem diutius permanere, vt naturali frequentior pulsus habeatur. Citissimus porro dicitur, si in eodem subiecto pulsus sint quinque, vel decem supra centum. Extremus ferme gradus celerrimi, et citatissimi est, cum intra minutum primum pulsationes centum, et quadraginta, aut quinquaginta distinguuntur. Sed tum ob velocitatem, et frequentiam vix numerari et distingui illae possunt, quidquid alii contendant. Vid. DVPLANILIVS *in not. ad pag.* 621. *Tom.* 5. *Table des matieres* operum BVCHANII. Illud autem hic aduertendum est, quod supra celeritas, velocitas et frequentia, pro vna, eademque re accepta est, contra quam a quibusdam accipiatur, vt alibi deinde palam fiet.

§. X.

§. X.

At non omnis febris a cauſſis internis, ſenſu Boerhaaviano *) ſeruato, oritur, nec omnis ab hiſce cauſſis orta febris, ne intermittens quidem, (nam ſaepe, quae aeſtate ingruunt, protinus a calore exordiuntur) ſemper incipit ab horripilatione *a*); neque omnis *horripilatio* ſemper a febre proficiſcitur. Id norunt vel ipſae mulierculae hyſtericae, quas frequens ſine febre horripilatio ſpaſtica corripit. Neque pulſus velocitas **), aut calor auctus ſtatim febrem adeſſe ſignificat. Multa enim, vti exercitatio corporis, curſus, ira, gaudium, ſubita e ſomno excitatio, lecti calor, largior vini, liquorumque fermentatorum potus, plenior, lautiorque cibus, atque alia huius generis pulſum velociorem reddunt, caloremque adaugent, quin tamen ex his febricitare quiſquam dici poſſit ***). Saepe etiam calor vix, ac ne vix quidem naturalem gradum exſuperat, imo interdum naturali minor *b*) eſt. Id frequentiſſime in malignis, et peſtilentibus febribus, atque in principio acceſſionum, ſiue in ipſo frigore febrili contingit; nam tum ſiue tactu, ſiue thermometro exploratus, plerumque aut nullo modo naturali maior reperitur, aut certe *c*) minor. Id ipſum de pulſus velocitate non raro euenire obſeruatum eſt. *Quaenam Boerhaavio aduerſentur.*

*) Febrem *a cauſſis internis ortam* vocat BOERHAAVIVS eam, quam non euidentes, et leues cauſſae excitauere. Voluit enim ſic excludere ephemeras, quae plerumque ſine horrore aggrediuntur, atque a cauſſis leuioribus, atque euidentibus originem habent.

a) GORTERIVS, *Compend. medic. Tract.* 52. §. 3. *febres*, inquit, *a ſtimulo calido excitatae ſine frigore praecedente aggrediuntur.*

**) Pulſus velocitas, ſiue frequentia quamquam a BOERHAAVIO, aliiſque pro inſeparabili febris ſigno ponatur, non ita tamen conſtans in ea eſt, vt ſaepe non abſit,

quod clarius patebit in sequentibus. Multis etiam modis huiusmodi velocitatem intendi sine febri, supra indicavimus: ex quo liquet, ni fallor, non ita cum ea febrem, vt quidam reputarunt, necessario connecti. Paullo ante etiam (§. IX. *in not.*) generatim monitum est, pulsuum frequentiam pro aetatis ratione variam admodum esse. Nunc addo, variare etiam non parum pro sexus, regionis, tempestatis anni, temperamenti, animique motuum ratione, ne quid dicam de caussis eam augentibus, quas modo (§. X.) commemoraui, quin tamen febris praesentiam significent. Attuli praeterea, quid DVPLANILIVS definiuerit de frequentiae pulsus gradu, qui febrim designare debeat; sed simul innui, rationem, quam ipse posuit inter frequentiam naturalem, et febrilem, incertam esse, nec tutam. Accedit, quod hac ipsa de re plurimum inter se dissentiant celeberrimi scriptores, nec propterea quidquam certi, et perpetui statui liceat. HALLERVS certissimum, tutissimumque febris indicem reputauit pulsum illum, qui intra minutum primum centies pulset. Sed fallacissimus est huiusmodi pulsationum numerus. Saepissime indubia febris exstitit cum longe minori pulsuum numero, aut abesse etiam potest cum eodem, aut etiam maiore. Pulsum sanorum pulsui non ablimilem in grauissimo febris genere obseruauit SYDENHAMIVS (*oper. mihi p.* 650.), eumdemque notauit WERLHOFIVS *de caution. p.* 39. *de variol. p.* 37) itemque GREDINGIVS in febre maligna putrida contagiosa cum pustulis miliaribus albis, quae sub finem anni 1756. (LVDWIG. *Aduersar. med. Practic. vol.* I. *P.* I. *cap.* I. *p.* 22.) grassata est. Rariorem vero naturali in febribus malignis, in Typhis, in Hemitritaeis, aliisque pernicioſissimis, et pestilentibus fere omnes Clinici tam veteres, quam recentiores inuenerunt, inter quos nominabo dumtaxat PROSPERVM ALPINVM (*Medic. Aegypt. l.* I. *cap.* 14.), NICOLAVM MASSAM (*de Febr. pestilent.*), RYE (*Medic. Static. Britannic.*), RVSSELIVM (*Nat. Histor. of Aleppo p.* 230.), BORDEVIVM (*Recherch. sur les pouls p.* 309.), SAVVAGESIVM (*Nosolog. method. T.* 2. *p.* 307). Ita tardum et rarum in quadam epidemica febre Neapolim deuastante deprehendit SARCONIVS, vt pulsationes intra minutum non plures essent, quam quadraginta, aut quadraginta quinque (P. 2. §. 357. et 704.). In puero febre varioloſa laborante pulsum adultorum pulsu multo rariorem, itemque in febre scarlatina comme-

commemorat TREMELIVS (*Exam. frigor. febril. p. 7.*). Neque tantummodo in febribus malignis ita dictis pulsus rarior, aut naturali similis est, verum etiam in aliis febribus mere acutis. Sic HAENIVS (*Rat. medend. P. XII. cap. 2. p. 50. et 117.*) in iuuene viginti quatuor annorum febre acuta inflammatoria laborante, in quo pulsus frequentior esse debuisset, nunc tertia, nunc quarta parte rariorem, modiceque febrilem inuenit. Sanatus paullo celeriorem pulsum habebat, quam erectus in morbo; nam erecto celerior erat, siue frequentior, ita tamen, vt nunquam vltra quinquagies quinquies intra minutum micaret. Sed ante hos, referente SARCONIO (l. c.), iam GALENVS, aliique antiquiores fallacem huiusmodi pulsum in febribus mali moris adnotarunt. Non dissimulauerim tamen hisce omnibus, vt supra indicauimus, aduersari cl. HALLERVM, et negare palam, pulsus ita raros, et tardos reapse reperiri, si horologii ope numerentur, nisi peculiare pulmonis, aut cordis vitium cum febre sit coniunctum, quod sanguinis e pulmonibus ad sinistram cordis caueam reditum, aut e corde in aortam transitum (*Physiol. T. 2. l. VI. sect. 2. §. XV.*) impediat. Verum etsi id, quod suspicatur HALLERVS, euenisse interdum, non ausim inficiari; numquam tamen concedam, omnes obseruationes doctissimorum, atque exercitatissimorum Medicorum, quos adduxi, in dubium reuocandas esse. Qua de re testimonium sufficiat cl. LE ROY, qui etsi alicubi HALLERO quasi adhaerere videatur, quodam tamen in loco (*Melang. de Phys. et Méd. Prem. Mém. des fievr. aigües p. 204. not. cc.*) fateri cogitur, febres aliquas se offendisse, in quibus pulsus multo rarior, quam in naturali statu, erat, ita vt cuidam pulsus intra minutum non plures, quam quadraginta, aut quadraginta quinque, *horologio adhibito*, micare reperirentur; quod cum HAENII, et SARCONII obseruationibus non sine horologii adiumento institutis, omnino conuenire, manifestum est. Non negandum tamen videtur, *peculiare pulmonis*, *aut cordis vitium* quandoque varietatem aliquam pulsibus inducere posse; sed illud verosimilius existimo, tunc pulsum ab huiusmodi caussa inaequalem potius, aut intermittentem fieri, quam simpliciter naturali rariorem. Hactenus exempla pulsus naturali rarioris in febricitantibus protulimus: modo ad ea, quae frequentiorem sine febre ostendunt, progredior. Cl. RYE (*l. c. p. 224.*) in dolore colico deprehendit sine febre pulsum, qui centies

ties in minuto primo pulsabat; et FLOYERVS pulsum ab ira centies octies sine febre intra idem tempus subsilientem (*l. c. p.* 87.). Pulsum naturalem, cuius ictus erant centum et quindecim, imo plures, recenset HAENIVS (*Rat. med. P. XII. p.* 86.), itemque sine febre centum viginti *Whytius* (*Malad. hypochondr. p.* 90.). Praetereo demum auctum enormiter pulsuum numerum a caussis externis, nimirum a motu corporis, calore balnei, cibo, potu sic, vt quandoque centum et triginta, aut centum et quadraginta pulsationes vsque intra minutum obseruatae narrentur, quin vlla tum febris adesset. Quas ob res non immerito Cl. TODE in *specimine inaugurali de duplici febrium indole* (*Hafniae* 1769.) pulsus frequentiam a multis pro febris signo pathognomonico habitam reiicit, idemque facit *Anonymus* Varsauiensis (*obseruat. clinic. ad duct. medicat. in Nosocomio general. Varsau. Fascic.* 1. *p.* 15.), quoniam in vere febricitantibus, quos ex aliis signis febricitare cognouerat, interdum defuisse pulsus frequentiam celeritatemve obseruauit.

***) Qui febrim in aucta pulsus frequentia, et velocitate sitam volunt, etiam tum febrim, ne de sententia discedant sua, adesse affirmant, cum a caussis euidentibus pulsus acceleratio accidit. Sed ignoscant, precor, si ab iis tam dissentio, quam huiusmodi pulsus acceleratio a vera febre dissentit. Videntur enim febris veram naturam nunquam comprehendisse, quando res adeo diuersas vna confundunt.

§. XI.

Quid interfit inter frequentem pulsum et celerem?

At quae hactenus contra pulsuum frequentiam dicta sunt, nequaquam opponi possunt iis, qui non in sola eorum frequentia, sed in ipsa etiam celeritate febrim quaerendam statuunt. Distinguunt enim alteram ab altera cum veterum plerisque, sed potissimum cum *Stahlianis*, qui per celeritatem intelligunt, notantque breuissimum tantummodo tempus illud, quod insumitur, dum arteriae se se dilatantis ictus ferit, pellitque digitos tangentis. Celeritas igitur pulsuum tanto maior erit, quo minor erit diastoles duratio. Hanc auctam pulsui febrili adiiciunt, tamquam perpetuam febris fociam,

ciam, atque inſeparabilem. Neque vllo modo eos audire volunt, quibus ea diſtinctu difficillima videtur. Enimuero minimum illud tempuſculum, quo arteria ſalit, praeſertim ſi pulſus ſimul frequens ſit, vix, et ne vix quidem animaduerti, et determinari poteſt. Huiuſmodi tamen celeritatem a frequentia diſtingui poſſe teſtantur BELLINIVS *a*), HALLERVS *b*), SAVVAGESIVS *c*), MORGAGNIVS *d*), HAENIVS *e*), aliique experientiſſimi, et probatiſſimi viri, a quibus, ſi meam quoque licet experientiam afferre, non ego ipſemet diſſentio.

a) *De vrin. et pulſ. p.* 72. *b*) *Element. Phyſiol. T.* 2. *p.* 248. *c*) *De febrib. n.* 10. *d*) *De cauſ. et ſed. morb. epiſt.* 24. *et* 32. *e*) *Ratio medend. P. XII. p.* 27.

§. XII.

Hanc ergo pulſus celeritatem numquam a febri ſeiungi aſſerunt qui frequentiam, velocitatemque tueri non poſſunt. Inter hos TREMELIVS *a*) eam adeo febris eſſe propriam profitetur, vt rarum, vel naturalem pulſum in febre numquam ipſe repererit, quin *iſta ictus celeritate* ſe febrilem oſtenderet. Attamen paullo poſt hoc ipſo etiam ſigno diffidere videtur, cum vltro concedat, ſaepe a debilitate ingenti, quae pulſum celerem comitatur, celeritatem ipſam, febris comitem obſcurari, fereque aboleri. Imo, ſi quid ego clinico exercitio valeo, propria obſeruatione ſuffultus fidenter poſſum aſſeverare, hanc eamdem celeritatem, a me ſaepius animaduerſam ſine febre, et ſaepe etiam in ipſa febre minime deprehenſam eſſe. Adſtipulatur mihi experientia ANONYMI paullo ante commemorati, qui ſine vlla haeſitatione negat, ſolam pulſus celeritatem ad febrim indicandam ſufficere, exempliſque in medium prolatis dicta *b*) confirmat.

An in celeritate pulſus eſſentia febris?

a) *Frigor. febril. exam. p.* 9. *b*) *Obſerv. clinic. ad duct. medicat. in Noſoc. General. Varſavienſ. faſc.* I. *p.* 16. *et* 17. vbi ſic ſcribit: *pulſus autem* (in febre ardenti) *nec plenus ratione habitus, nec durus, nec celer, nec dicrotus, nihilque cum febrili commune habuit.*

§. XIII.

An in aliis pulſuum affectionibus quaerenda?

Quoniam igitur neque frequentia, neque celeritas pulſus quidquam certi habet, quo febris deſignetur, has notas ſupplere parant nonnulli aliis pulſuum affectionibus, debilitate nimirum, aut inaequalitate, aut paruitate, aut ſimili praeter naturam mutatione; nec ſatis perſpiciunt, ſe ad eas conuertere pulſuum affectiones, quas iam, vt ineptas, inconſtantes, aut communes a febre ſegregarunt, excluſeruntque omnes illi, qui ſolam frequentiam, aut celeritatem pro ſigno febris pathognomonico retinendam duxerunt. Praeterea directe refelluntur auctoritate, et fide cl. LE ROY, qui in ſingulis febricitantibus, quibus fuiſſe pulſum rarum narrat, tamen nullo modo aut debilem, aut inaequalem, aut paruum *a*) deprehendere vnquam potuit. Quae cum ita ſint, non erit profecto, cur in vlla harum pulſus affectionum febris *eſſentia*, ſiue natura collocetur. Id iam optime cognouit ab antiquiſſimis vſque temporibus ſcientia medicinae non minus quam ingenio, et recta iudicandi ratione admirabilis C. CELSVS, qui pleraque ſupra a nobis fuſius excuſſa ſumma, vt ſolet, brevitate, atque elegantia *b*) contraxit in haec verba: „Non eſt expeditiſſimum ſcire, quando aeger febri„citet, quando melior ſit, quando deficiat ... „Venis enim maxime credimus, fallaciſſimae rei; „quia ſaepe iſtae lentiores, celerioreſue ſunt et ae„tate, et ſexu, et corporum natura. Et plerum„que ſatis ſano corpore ſi ſtomachus infirmus eſt, „non numquam etiam incipiente febre, ſubeunt,

„et

„et quieſcunt: vt imbecillus is videri poſſit, cui „facile laturo grauis inſtat acceſſio. Contra ſaepe „eas concitat, et reſoluit ſol, et balneum, et „exercitatio, et metus, et ira, et quilibet alius „animi affectus, adeo vt, cum primum medicus „venit, ſolicitudo aegri dubitantis, quomodo illi „ſe habere videatur, eas moueat. Ob quam „cauſſam periti medici eſt, non protinus vt venit, „apprehendere manu brachium: ſed primum reſi- „dere hilari vultu, percunctarique, quemadmodum „ſe habeat; et, ſi quis eius metus eſt, cum proba- „bili ſermone lenire; tum deinde eius carpo ma- „num admouere. Quas venas autem conſpectus „medici mouet, quam facile mille res turbant! „Altera res eſt, cui credimus, calor, aeque fallax. „Nam hic quoque excitatur aeſtu, labore, ſomno, „metu, ſolicitudine. Igitur intueri quidem etiam „iſta oportet: ſed his non omnia credere. Ac „protinus quidem ſcire, non febricitare eum, cuius „venae naturaliter ordinatae ſunt, teporque talis „eſt, qualis eſſe ſanis ſolet: nec protinus etiam „ſub calore, motuque febrem ſe ſe concipere: ſed „ita etc.

a) L. c. *b*) *De Medicin. l.* 3. *cap.* 6. *mihi p.* 128. 129.

§. XIV.

Quid de febre, eiuſque natura generatim cogitatum ſit, hactenus expoſui. Supereſt modo, vt etiam, quae cauſſa, vt aiunt, proxima eam efficiat, quoad quidem ſciri poteſt, inueſtigemus. Itaque ad BOERHAAVIVM, a quo, antequam hac ſuper re eius mentem aperiremus, paullo longius diſceſſimus, reuertamur oportet. Is, praeſtituta pulſus velocitate, tamquam vnica, perpetua, inſeparabili, atque *eſſentiali*, vt loquuntur, cuiuslibet febris, proprietate, ſiue poſita in hac pulſus velo- *Quae febris cauſſa proxima ex Boerhaavio.*

citate febris indiuidua natura, atque exiſtentia, inquirit deinde in proximam eiuſdem cauſſam, nec dubitat, hanc eſſe eamdem, quae memoratae pulſus velocitatis eſſe videtur, nimirum *velociorem cordis contractionem cum auctа reſiſtentia ad capillaria* a); in qua *febris omnis acutae ideam* contineri ſibi perſuaſerat. Cumque initio acceſſionis febrilis *pro varietate ſubiecti, cauſſae, febris ipſius*, vario itidem gradu, modo, et duratione ſe exhibent *velox, parvus, ſaepe intermittens pulſus, pallor ſaepe extremorum, frigus, rigor, tremor, inſenſilitas*: hinc perſpicuum eſt, inquit, *ſtagnare tum humores ſanguineos in extremis vaſculis, et ſimul tamen cauſſam cor irritantem* b) *adeſſe*. En lentorem ſanguinis extrema arteriolarum quodammodo obſtruentem, qui *reſiſtentiam* cordi validius ſe ſe contrahenti c) obiiciat, augeatque.

a) *Aphor. de cogn. et curand. morb.* §. 572. *et* 581. b) *L. c.* §. 576. c) *Ibid.* §. 587.

§. XV.

Quae contra dici poſſunt.

Quemadmodum vero ſupra oſtenſum eſt, *pulſus velocitatem* nec in omni febre, nec in omni eius tempore reperiri; ſic etiam ſubito patet, ne *velociorem* quidem *cordis contractionem*, quae illam efficiat, aſſumi, nec eſſe poſſe pro proxima febris cuiuſque cauſſa, quam quaerimus. Deinde, quoniam vir clariſſimus lentorem ſanguinis, imo ipſius ſtagnationem in vaſis capillaribus hic ponit, parum ſane diſtat ab ea cogitatione, quam habet de inflammatione, cum tamen inflammatio, et febris non vna, eademque res cuiquam viſa ſit. Quapropter non pauca ex iis, quae, vbi de inflammatione diſſeruimus, aduerſus prolata ſunt, huc quoque opportune traduci poterunt. Praeterea abſurdum, rationique repugnans eſt, hic ab *auctа reſiſtentia*

ſtentia ad capillaria, velociorique cordis contractione frigus, et pallorem extremorum deriuari velle, dum alibi ab eiſdem omnino cauſſis ruborem, calorem, tumoremque inflammatae partis explicauit. Illud etiam accedit, quod *frigus*, et *pallor*, quae incipiente febre ſe exſerunt, haudquaquam ab haerente in vaſis capillaribus ſanguineo humore oriri poteſt. Nam dum pallor, et frigus corpus occupat, arteriae omnes a corde ad extrema vſque vaſcula, in quibus ſanguis ſiſti dicitur, ita repletae turgerent, vt pulſum magnum, plenum, vehementemque ederent, non vero paruum, debilem, obſcurum, intermittentem, qualis eo tempore eſſe ſolet, aſſumiturque; nec ideo *frigus*, nec *pallor*, ſed calor, aeſtus, et rubor in vniuerſum corpus ſe ſe diffunderet. Demum, ſi darem etiam, quam vult BOERHAAVIVS, proximam febris cauſſam revera eſſe, an ea, quaero, cuicunque febri (quae noſtra eſt inueſtigatio) in vniuerſum accommodari poſſet, cum vel ipſemet BOERHAAVIVS, quaſi ſuae opinioni diffidens, ad *febrem* tantummodo *acutam* poſtremo eam reſtringere debuerit?

§. XVI.

Quid de aliis cauſſis ſentiendum?

Neque, vt opinor, felicius ſcopum attingere videntur ii, qui a ſpaſtica neruorum, et fibrarum omnium contractione *a*) originem febris proximam petunt: nam etſi multa, quae in febribus intermittentibus eueniunt, talia propemodum videantur, quae illorum faueant opinationi; tamen haec ipſa aut deficiunt in reliquis febribus, aut minime earumdem propria ſunt, aut *nullo modo ſingulis* harum omnium temporibus ita reſpondent, vt quae in vno genere veriſimilitudinem quamdam continent, in alio etiam probabilitate firmentur; ne quid dicam de falſitate hypotheſeos, qua neruos arbitran-

arbitrantur se se contrahendi facultate donatos. Quis enim ignoret hodie huiusmodi vim solis fibris musculariibus insitam esse, aliis vero siue nerueis, siue membraneis non item? Eodem ferme vitio notantur qui duplicem motum in febre agnoscunt, alterum a corde ad partes, alterum a partibus ad cor; illum videlicet a vi cordis sanguinem in arterias propellente; hunc a spasmo reliquarum partium, qui non modo illi contra nitatur, verum etiam venosum sanguinem vrgeat cor versus, deducentes. Neque quid sibi velint, satis assequor, illi, qui *velocitatem* pulsus *spasticam*, et *conuulsiuam*, vt aiunt, omnium febrium caussam *b)* censent. Non enim, quocunque modo rem explicent, effugere possunt ea, quae contra pulsus velocitatem supra disputata sunt, neque vnquam ostendere, istiusmodi spasticam, et conuulsiuam pulsus velocitatem saepe sine febre non occurrere in aliis quoque morbis, praesertim hypochondriacis, hystericisque, in quibus quantum ex pulsu et aegroti se febricitare falso saepe credant, et medici non satis cauti decipiantur, non attinet dicere.

a) HOFFMANNVS *Med. Rat. Systeм. T. IV. sect.* 1. *§. IV.* princeps, a quo haec opinio profluxit. *b)* In his QVESNAEVS *des Fievr. contin. T.* 1. *chapit.* 1. *p.* 80.

§. XVII.

Quid Todius docuerit.

Quas ob res factum esse arbitror, vt nuperrimi quidam Scriptores, relictis maiorum placitis, plurimum operae, studiique collocarint in aliis caussis febrium proximis indagandis, quamquam, vt mihi videtur, infelici plane euentu, atque ab eorum etiam votis perquam alieno. Ex his quid nouissime scripserint duo Medicinae lumina, TODIVS, et CVLLENIVS; alter in Hafnienſi, in Edimburgenſi alter Academia Professor, viri ambo et ingenio

prae-

praeſtantes, et doctrinae fama illuſtres, et experientia aeque inſignes, non equidem ſilentio praeteribo, ne videar aut nouas doctrinas deſpicere, aut ignorare, aut aliorum inuentis quodammodo inuidere. Itaque TODIVS in libro, quam edidit anno 1769 *de duplici febrium indole*, non aliunde febrim proxime oriri putat, quam ex ſenſorio communi, quod aliquo ſtimuli genere irritetur, irritationemque ſuam vario modo ad reliquas totius corporis partes tranſmittat, protendatque. Addit praeterea, ſi ſtimulus iſte naturam ipſam inueniat obſequentem, hoc eſt, promtam, expeditamque ad agendum, febres naſci *inflammatorias*; ſin vero contra ſtimulus aut prae magnitudine morbi, aut prae languentis naturae imbecillitate quodammodo infringatur, tum *putridas* tantum gigni: haecque eſſe duo ſumma genera febrium, quae ipſe agnoſcit, et probat. Ergo cauſſa febrium proxima TODIO eſt irritatio generis neruoſi, non in corde, non in minimis vaſis, non in membranis, aut neuorum ramulis, ſed in ipſo cerebri meditullio exorſa, et deinde ad ceteras partes propagata *a*). Qua in opinione quid commune habeat cum aliis, quid proprium, non puto quemquam fore, qui non facile ex praemiſſis intelligat.

a) *Specim. inaugural. de duplic. febr. indole. Hafniae* 1769. *pag.* 19. *et ſeq.*

§. XVIII.

Jam vero ad CVLLENIVM venio, qui ſingularem, nouamque ſuam ſententiam anno tantummodo 1777 typis euulgauit *a*), quamquam aliquot iam ante annis publice ſuis auditoribus eam praelegere ſolitus eſſet, ita vt ANONYMVS quidam, vti ſuam et propriam, non ita pridem omiſſo, vnde acceperat, auctoris nomine proferre non dubitauerit *b*). *Quid Cullenius.*

CVLLE-

CVLLENIVS igitur, et qui eum sequutus est, ANONYMVS vasorum minimorum atoniam nescio quam, succedentemque spasmum sibi confingunt, et pro caussa habent proxima febrium omnium. En quomodo rem CVLLENIVS ipse proponit, si tamen eius mentem (nam subtile quid habet, nec satis planum) recte assequor. Caussae, inquit, remotae, a quibus febres quaecunque excitantur, omnes ita in vniuersum neruorum systema, atque adeo in cerebrum ipsum agunt, vt vtrorumque potentiae, vires, actionesque diminuantur. Hinc omnes corporis functiones, sed praecipue arteriolarum minimarum motus, siue alterna contractio, qua fluida propelluntur, quam maxime langueant, necesse est. Ita vero animalis oeconomia constituta, atque ordinata a natura est, vt languor, siue debilitas istiusmodi quemdam quasi stimulum vasis sanguineis omnibus indirecte inferat. Nam frigore, et spasmo, qui languentem minimorum canalium, et sanguinis per eos fluentis motum subsequitur, cum cordis, tum arteriarum maiorum actio sollicitatur, augetur, intenditurque, donec paullatim aucta eo perueniat, vt cerebro, neruisque pristinam vim, facultatemque restituat. Hac autem instaurata fieri non potest, quin minima etiam vascula suas functiones et recuperent, et obeant validius, spasmumque proinde, quo afficiebantur, euincant, et superent. Spasmo sic remoto, sudor vndique erumpit cum reliquis signis, quae edocent, laxatos omnes ductus esse ad quasuis excretiones dicatos *c*).

a) *First. Lines of the Practic. of Physic for the use of students in the University of Edinburg* 1777.

b) *Reflexions on the general Treatment etc. London.* Vid. *Comment. Medic. e filosofic. d'una società di Med. d'Edinburg. Vol.* I. *Part.* I. *cap. V. Venet.* 1775.

c) Vid.

c) Vid. etiam *Raccolta d'opuſcoli ſcelti ſulle ſcienze, ed arti fatta in Milano Tom. 2. P. 6. p. 417.* vbi CVLLENII diſquiſitio in cauſſam febris proximam italice verſa habetur. Hanc ipſam Cullenii theoriam amplexus eſt HENRICVS FOVQVETVS (*in not. II. ad* LINDII *Mémoir. ſur les Fievr. p. 226.*) qui aliquanto eam clarius expoſuit. *Si ſymptomata*, inquit ipſe cum quibuſdam Medicis Anglis, *conſiderentur, quae communiter cernuntur in variis febris periodis, facile patebit, actionem eiuſmodi venenatae, aut mephiticae materiae, quae, cum corpus ingreſſa eſt, cauſſam praebet febribus grauibus, conſiſtere in depreſſione virium nerueārum, et naturalis cerebri toni, quemadmodum id oſtenditur ab infirmata actione cordis, et maiorum arteriarum, quae ſimilibus in caſibus animaduertitur. Hinc quoniam ſanguis non amplius ea, qua par eſt, vi proiicitur in vaſa minora habitus externi corporis, haec ipſa ſpaſmodice contrahuntur, concurrente ad id ſpeciatim frigoris ſenſu, quem corpus in ſuperficie experitur, ſiue quod motus, calor, atque humores ad centrum compellantur, ſiue etiam quod tonus ſyſtematis neruei languerit. Hinc pallor, laſſitudo, conſtrictio ſpaſtica ambitus totius corporis, atque inſignis contractio, quae exoritur initio frigoris febrilis, debent haberi tamquam effecta ſpaſmi, cui cauſſam praebet debilitatio ſyſtematis neruei proprie dicti, et diminuta actio cordis, et arteriarum.... Solidae enim partes in animalibus ſunt elaſticae, et vaſa ſanguinea prae ceteris naturaliter conſtituuntur in quodam ſtatu diſtentionis ex impetu ſanguinis, qui continenter in eorum cauа impellitur, perueniтque ad extremos vſque canales capillares. Hoc poſito, manifeſtum eſt, ſanguine motu quodam retrogrado verſus cor refluente, tempore frigoris febrilis, diſtentionem extremorum horum canaliculorum imminui debere ob eorumdem natiuam inſitamque elaſticitatem; ſed ſimul, quia haec minima vaſcula praedita ſunt vi quadam muſculari ſe ſe contrahendi, ſequitur, vt non modo generalem ſpaſmodicam conſtrictionem, quae in frigore acceſſionum contingit, perſentire debeant, verum etiam in eodem contractionis ſtatu diutius manere, ſecus ac ſi elaſticitate ſola donarentur. Reuera, etſi, durante paroxyſmo, tempus aliquod exiſtat, quo calor omnino ſe declaret, et actio cordis, arteriarumque rediuiua appareat; tamen contractio in extremis vaſculis perſiſtere adhuc videtur notabili plus minus tempore, vt elucet ex ſiccitate linguae, et cutis, vrinarum*

inopia,

inopia, vlcerum ariditate, aliisque signis, quae cuncta indicant, constrictionem spasticam totius ambitus nondum cessasse. Itaque liquet, debilitatem totius systematis nervei proprie dicti, et actionis cordis, atque ampliorum arteriarum excitare protinus in febrili accessione constrictionem spasticam peripheriae, et extremorum canaliculorum, vnde pendent pleraque symptomata, videlicet tremor, horripilatio, frigus, inertia ad motum, cum sensu anxietatis, et molestiae coniuncta. Tremorem vero, v. g., non superuenire nisi debilitati, ostenditur ex difficultate, quam aegri patiuntur, quando mouere aut dimouere membra conantur. Nec aliunde dentium collisio permanat, quam ex alterna debilitatis virium muscularium, et conatus voluntarii vicissitudine. Verum cum reflexus iste humorum, caloris, et virium a circumferentia ad centrum sub frigore febrili pariat demum irritationem in partibus interioribus; sequitur, vt post aliquod tempus plus minus longum oriatur reactio quaedam a centro ad peripheriam, ex qua actio cordis, arteriarumque maiorum reuiuiscat, illa vero systematis nervei increscat, vt tandem spasmus vasorum capillarium desinat; sicque calor magis magisque in vniuersum corpus diffundatur, et breui tota cutis sudore madescat, accessioque finiatur. Atque haec est Cl. FOVQVETI commentatio, quae etsi paulo artificiosius, et verosimilius, quam illa CVLLENII, elaborata sit, eisdem tamen argumentis, quibus CVLLENIVS refellitur in seq. paragrapho n. XX., impugnari strenue potest, praeterquam quod multa symptomata, quae ipse tribuit spasmo, aeque tribui possunt concitatiori humorum motui, et demum eorumdem attenuationi.

§. XIX.

Todio cur non assentiendum.

His vtriusque opinionem adumbrasse sit satis. Quae contra animaduerti possent, lubens, scienſque magna ex parte praetereo. Nolo enim cum viris, qui plurimum auctoritate, et doctrinae laude apud omnes valent, pluribus verbis decertare. Illud tantum non praetermittam, neminem sanae mentis esse posse, qui TODIO assentiatur. Nam quis tam hebeti, crassoque ingenio est, vt non videat protinus, irritato *communi sensorio*, quemadmodum

modum pro certo ille assumit, mentis ideas, facultatesque omnes ante perturbari, et spasmos, et conuulsiones, doloresue excitari debere, quam motus febriles, sicuti iam acute, sapienterque obiectauit *a*) GORTERIVS? Quis, amabo, vnquam credat, cunctas remotas caussas febrium istiusmodi esse, vt continuo cerebrum, siue sensorium commune afficiant, et eo stimulo, qui ceteris partibus, humoribusque parcat, sensorio vero communi vim inferat, aeque sint praeditae? Praeterea si ita esset, quemadmodum ipse efflagitat, sequeretur procul dubio, vt omnes cuiuscumque generis febres, chronicae, aut acutae; mites, aut graues; benignae, aut malignae; gastricae, aut venosae; primariae, aut secundariae; intermittentium variae species, aut continuae, aut remittentes, quoniam vnam eamdemque caussam proximam haberent, vno eodemque pharmaco, cortice videlicet peruviano depellerentur. Quod tamen absurdissimum est. Sed de hac hypothesi plura, vbi peculiariter de febribus intermittentibus disseremus.

a) *L. c.* §. *IX.*

§. XX.

Eisdem ferme difficultatibus implicari CVLLENIVM, qui mox non perspiciat, arbitror esse neminem. Sed in eo maxime a TODIO discrepat CVLLENIVS, quod, etsi cerebrum, neruosumque genus a remotis febrium caussis impeti et ipse velit, contraria tamen omnino effecta ab eisdem contendit. Nam ille vim neruean irritatione quadam concitari; hic deprimi, obtundique opinatur; vnde non leuis inter vtrumque dimicatio, qua se se mutuo conficiant, oriatur necesse est. Deinde si nerueae imminutio virtutis talem atoniam in minimis arteriis efficeret, ex qua frigus, spasmi, febris

Discrimen inter vtriusque opinionem.

Quaedam contra Cullenii opinionem.

procrearentur; illud etiam certe sequeretur, vt in morbis omnibus paralyticis, in quibus de huiusmodi atonia dubitari nequit, febris multo certius, et frequentius accederet. Cur vero in apoplexia, in hemiplegia, paralysi, saltem in membris resolutis, in quibus vim neruearn languere nemo ignorat, adeo raro febris obseruatur? Praeterea notum est, non omnes febres a frigore incipere. In iis igitur, quae sine frigore inuadunt, deerit caussa primaria, a qua, secundum CVLLENIVM, cordis, arteriarumque actio redintegratur, et febris accenditur. Quaenam ergo erit istarum proxima caussa? Demum earum ortum explicet velim intermittentium febrium, quarum singulae accessiones, quod alibi ostendemus, a calore principium ducunt, cum calore inualescunt, et tandem frigore terminantur. In his enim febris symptomata ordine sic inuerso se habent, vt cum eius hypothesi qua ratione conciliari queant, prorsus me lateat.

§. XXI.

Nulla caussa proxima febrium in vniuersum assignari potest.

Supereressent adhuc alia quorumdam Pathologorum deliramenta, in quibus referendis operam, et tempus, si vellem, perdere possem: sed taedet iam huiusmodi occupatione me distineri. Quod prae oculis habebam, id mihi videor consequutus. Ostendere enim fuit animus, nullam constitui caussam proximam posse, quae omnibus simul febribus, quotquot sunt, cum genere, tum symptomatum multiplicium ratione diuersissimis communis reuera esset; nec, vt puto, inanis, et cassus labor extitit. Quare cum nulla huiusmodi caussa hactenus inuenta sit, nec fortasse inueniri, vt cl. GREGORYVS *a*) autumat, vnquam possit: cumque nulla earum generica definitio, quae singulas comprehendat, possibilis visa nobis sit: reliquum est, vt in historica tantum descriptione, quae praecipua febris phaenomena

Descriptio febris.

mena oculis subiiciat, consistere debeamus. Apposite GORTERIVS *b*): *de multis*, inquit, *rebus nihil aliud constat, quam quaedam phaenomena. Cur ergo his non erimus contenti de febre?*

a) *Prax. Med.* *b*) *L. c.*

§. XXII.

Descriptio qualis a Sauvagesio data?

At descriptio, quae definitionis defectum suppleat, primum breuis sit, oportet; deinde cuncta phaenomena, quae cuiuscumque febris communia videntur, complectatur. Quod probe animaduertens SAVVAGESIVS *a*) febrem dixit esse *syndromen frigoris, successiuique caloris cum artuum debilitate, et pulsus vi adaucta, saepe quo ad frequentiam.* Verum satisne accurate eam descripsit? Plane non satis. Nam 1) eas videtur omittere febres, quas nullum, ne minimum quidem, frigus antecedit; de quibus supra mentionem feci, faciamque alibi. 2) Calor non semper frigori, quando etiam febres a frigore incipiunt, succedit; in algida enim TORTII numquam recalescunt aegri, nisi tota accessione, et proinde febre discussa. 3) Pulsus vigor non semper increscit, ne *quoad* quidem *frequentiam*; quoniam in malignis quibusdam febribus saepe vires eius imminuuntur, tantumque abest pulsus a frequentia micatuum, vt vel naturali similis, vel etiam tardior, rariorque (§. 10.) plerumque sit. Sic etiam in principio febrium intermittentium pulsus non solum deprimitur et languet, verum etiam rarior, et tardior fit, quod saepissime horologii etiam subsidio certum cognoui. Remanet ergo sola artuum debilitas; quae tamen quam sit aliis morbis communis, quisque intelligit.

Quae pugnent contra Sauvagesium.

a) *Nosolog. method. class. 2. Febres, character.* Sauvagesianae descriptioni persimilis est, quam habet CVLLENIVS: *Post horrorem pulsus frequens, calor maior, viribus artuum imminutis. Gen. morb. class. 1.*

§. XXIII.

Sellii febris descriptio.

Haec febris descriptio a SAVVAGESIO tradita neque SELLIO, qui post eum suam *Pyretologiam methodicam* conscripsit, omnino placuit. Quapropter aliam ipse condidit, quae rem aptius, rectiusque exprimeret. Febris igitur ei est *morbus cum frigore, aestu, et pulsu, naturali nunc frequentiori, nunc tardiori, vario gradu, atque tempore stipatus a)*. Addit autem, nunquam *febris praesentiam* a quopiam in dubium vocatam esse, *si hominem a symptomatibus modo recensitis vidit correptum.* Quod etsi concederem, petere tamen liceret, vtrum, vbi huiusmodi symptomata desiderantur, certum aeque sit, febrem omnem abesse. Nam saepe euenit, vt praesentia quaedam signa morbum singularem denotent, absentia tamen certo non eum excludant. Dubito etiam, num illa symptomata semper, atque in omni febre praesto sint, numque, vbi adfuerint, non alium morbum etiam significare possint. Quae supra (§. XXII.) in SAVVAGESIVM animaduersiones adductae sunt, non ita alienae videntur, vt SELLIO quoque non aduersentur. Sed hoc vnum addo, saepe in hysteriscis corpus frigere, et subinde calere, et pulsum modo frequentiorem, modo tardiorem naturali esse, et quidem vario gradu, et tempore, quin tamen mulierem tunc febricitare quis iure dixerit. Hinc fortasse, re melius considerata, ipsemet ille, qui huiusmodi febris descriptionem dedit, de phaenomenis hisce, quae primum probauerat, dubitare deinde videtur, vt ex iis, quae paullo post in eodem loco commentatur, facile eruitur.

a) *Pyretolog. method. p.* 83.

§. XXIV.

Multo minus probandum videtur id, quod de febre habet VOGELIVS, vbi ait, eam esse *innati caloris augmentum praeternaturale cum oris siccitate, et grauitate corporis a)*. Quod ad caloris augmentum attinet, repeti hic possunt ea, quae (§. IV. et V.) aduersus GALENVM allata fuere. *Oris* porro *siccitatem*, et *grauitatem corporis* communem esse aliis morbis, ac in primis hydropi constat; easque saepe a febre etiam abesse, vel vna hectica febris, qua laborantes vix sentiunt aliquam molestiam sic, vt se febricitare haud credant, luculentissime demonstrat. *Vogelii data descriptio.*

a) Definit. Gener. morb. cl. I.

§. XXV.

Quid demum dicendum erit de iis, alioquin doctissimis viris, qui febrim ita concipiunt, vt *velocior sit pulsus cum aliquarum corporis actionum, vel fere omnium a) laesione?* An sic satis distinguitur ab affectionibus hypochondriacis, in quibus adeo saepe *velocior pulsus* cum plurium *actionum laesione* coniunctus occurrit? Quis est, qui nesciat, in praecordiorum organicis vitiis, praesertim aneurysmaticis saepissime cum respirationis, abdominalium-que viscerum laesionibus, imo totius habitus depravatione pulsuum velocitatem, crebritatemque copulari sic, vt pulsus febrilis *) videatur? *Aliae non minus infirmantur.*

a) SCHACHTIVS *Instit. med. Pract. p. 4. aliique.*

*) Tanta est in hisce interdum pulsus frequentia, et magnitudo, vt cl. COCCHIVS (*Bagni di Pisa p.* 155. *et* 156.) hanc *febrem aneurysmaticam* nominare non dubitauerit.

§. XXVI.

Atque ex paucis his (nolo enim plures de huiusmodi argumento sententias persequi) satis puto intelligi posse, quantum difficultatis habeat breuis, *Qualis febris descriptio esse debeat.*

absoluta, et generica febris descriptio, quae definitionis loco sit. Itaque cum summam febres siue in accessione, siue in augmento, aut inclinatione, decessioneque pro generis, caussarum, symptomatum, et subiectorum ratione varietatem prae se ferant, quae paucis verbis apte nequit comprehendi; magni interest, ampliorem, diligentioremque febris tradere descriptionem, aut ab symptomatibus, propriisque affectionibus, quae tamen sensibus et obuiae sint, atque a medicis attendi queant, aliqua absolutior, certiorque eius notitia habeatur, quo facilius de ea praesente iudicium ferri possit.

§. XXVII.

Quae considerentur in febre. Medici autem, vbi eiusmodi iudicium ferendum est, arteriarum motum explorant in carpis manuum, quandoque etiam in temporum alterutro; calorem cutis, pectoris, ac frontis tentant manibus; vrinas inspiciunt; faciei, oculorum, et linguae colorem, habitumque contemplantur, et totius corporis functiones quo se modo habeant, diligenter disquirunt; atque his, vel horum pluribus a naturae ordine, et consuetudine aberrantibus, febrim adesse pronunciant.

§. XXVIII.

Qui pulsus; qui calor. Pulsus vero summopere varius esse solet, nempe vel paruus, debilis, tardus, rarus, contractus, et inaequalis; vel magnus, validus, celer, frequens, amplus, ordinatusque; vel durus, vel mollis, prout febris in initio est, aut in augmento, et statu, vel in remissione, et fine; vel prout differt ipsius febris genus, ingeniumque. Item calor modo aequaliter diffunditur, modo inaequaliter partes occupat; modo exteriora frigent, dum interiora interim calent, vel vruntur; modo omnia algent; modo frigoris et caloris sensu se subinde excipit; modo

calor

calor acerrimus, atque vrentiſſimus, modo mitis eſt, et ferme naturae morem aemulatur.

§. XXIX.

Vrinae quandoque crudae, aqueae, quandoque rubrae, flammeae, et tenues prodeunt, ſaepe craſſiores, iumentorumque ſimiles, cito perturbabiles, et ſubſidentes, interdum naturalium inſtar. Facies quando pallet, quando rubet, quando intumeſcit; nunc quam plurimum a ſanorum ſpecie, nunc quam minimum, aut ne vix quidem diſcrepare videtur. Oculi vel graues et triſtes languent, vel rubent, vel lucem auerſantur, aut prominent, vel torui, et truces, vel lucidi nimis, vel turbidi, et luridi exiſtunt; interdum illacrimant, nitoreque ſuo orbantur. *Vrinae, facies, oculi quales.*

§. XXX.

Lingua plerumque areſcit, ſiti finditur, ſcabra, et aſpera fit, rubet, aut albicat, aut variegato obducitur muco; ſed non raro humida et naturalis eſt, nec vlla ſitis vexat. Os amarum vt plurimum, aut alius eius ſapor prauus moleſte percipitur. Spiritus frequens, calidus, inaequalis, difficilis trahitur. Saepe halitus foetet. Cibi deſiderium fere perit; interdum id nauſea etiam excipit. Raro appetitus aliquis manet. His praeterea accedunt dorſi, artuum, capitis dolor; virium languor, vigiliae, aut contra ſopor; mentis ſtupor, aut imbecillitas; delirium; alui fluxus, vel adſtrictio; vomitus; hypochondriorum tenſio; tendinum ſubſultus; macies, aliaeque affectiones, quae aut cum febre ipſa iunguntur mox inter initia, aut eidem ſenſim ſuperueniunt. Antecedunt vero laſſitudo ſpontanea, ſomnus imminutus, et perturbatus, capitis, et corporis grauitas atque inertia, naturalium, animaliumque laeſio *Lingua, oris ſapor, ſpiritus, cibi faſtidium, atque alia conſideranda.*

functionum, aut graue aliquod in *sex rebus non naturalibus* erratum.

§. XXXI.

Diagnosis febris. Horum (§. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.) examine diligenter instituto, facile comperitur, febrisne corpus teneat, aut absit. Non enim pulsus rarus, aut tardus, aut velox, et frequens, non tepor, non vrinarum color naturali similis, non sitis absentia, non virium languor, aut integritas medentem in errorem perducent, nisi singulis seorsum acceptis nimium tribuerit. Coniuncta enim, et vna concurrentia sint oportet, si aliquid certi *Signa frequentiora et magis propria.* significare debent. Sunt tamen quaedam, fateor, peculiaria, quae plerumque, et generatim homo patitur, quem febris inuasit. Initio vt plurimum vel cohorrescit, vel riget, vel friget, rarius animi deliquio corripitur, aut in somnum propendet; paullo post calore ingenti, et diutius protracto cum anxietate quadam, atque in primis virium languore, siti, orisque siccitate, capitis dolore *), aut grauitate, aut aestu, aliisque afficitur molestiis. Quod si ad haec pulsus frequentia, aut celeritas se adiunxerit, certius, non inficior, erit de febre iudicium. Quare non immerito a cl. BVCHANIO *a*) praecipuae, et constantiores febris notae statuuntur *calor excedens*, *pulsus creber*, *appetitus deficiens*, *totius corporis debilitas*, *et quaedam in obeundis functionibus tam vitalibus*, *quam animalibus difficultas* **).

*) Tanti hoc signum, referente DVPLANILIO, faciebat Cl. LE ROY, vt quando in pulsu non apparebant signa, quibus febris esse indicatur, ad dolorem capitis se conuerteret; qui dolor, vbi non manifestus est, motu aliquo corporis, aut capitis imperato, facile se se prodit, et detegit. DVPLANIL. *in not. ad* BVCHAN. *l. c. p.* 15.

a) *L. c.*

**) Quam-

**) Quamquam febrim in vniuersum rite, et plene definiri posse, vix licet speraré, vt supra indicauimus; attamen a symptomatis et effectis descriptio aliqua depromta non videtur reprobanda, cum vnica haec sit ratio, qua febris generatim enunciari possit. Talis fortasse est haec: *Totius corporis morbus pleraſque functiones laedens, modo acutus, modo lentus, modo aſſiduus, modo intermittens, et periodice recurrens, a rebus praeter naturam excitatus, vt plurimum cum virium animalium imminutione, pulſu celeri, aut crebro, caloriſque naturalis mutatione coniunctus, coctione, aut critica aliqua excretione ſoluendus, quando primarius eſt, et in ſalutem finitur.*

§. XXXII.

De febris natura, et cauſſis coniecturae.

Patuit, ni fallor, ex superioribus (§. IV. ad XX.) non modo initam febris naturam, verum etiam cauſſam eius proximam obſcuriſſimam esse, vixque diuinari a quopiam posse. Si quis tamen coniecturae locus detur, liceatquo aliquid in tanta rerum ambiguitate, ſuſpicantis in modum dicere, ea probabiliter partim in fluidis, partim in ſolidis noſtri corporis partibus, et reciproca earumdem actione quaerenda est. Sanguinem enim, reliquoſque ab eo deriuatos humores ita a naturali ſtatu copia aut cohaerentia, aut mixtura, aut qualitate, et acritudine tum ſpontanea, tum aduentitia, deſciſcere, veriſimile est, vt motus cordis, atque arteriarum multiplici ratione perturbetur, atque adeo vniuerſa circulationis, et ceterarum functionum oeconomia. Nec minus rationi conſentaneum videtur, omne fibrarum genus cum muſcularium, tum neruearum ita affici, vt ſpaſticae, ac inordinatae quarumdam partium contractiones, inſolitaeque affectiones inſurgant, quae non ſolum priori malo vires addant, verum etiam totum neruorum ſyſtema ita percellant, vt hoc prope vnum laborare videatur.

§. XXXIII.

Explanatio symptomatum. Hinc (§. XXXII.) si motus humorum retardatur, aut inaequalis redditur, aut fibrae spasmo contrahuntur, aut neruea sensibilitas irritatur, aut aliter male afficitur; planum, atque expeditum est intelligere horripilationem, horrorem, rigorem, frigus, aut apparentis frigoris, debilitatis, quin etiam caloris sensum, itemque pallorem, liuorem, anxietatem, pectoris oppressionem, oscitationem, nauseam, vomitumque sine ventriculi sordibus, pulsum tardum, inaequalem, varium, humorum congestiones, stuporem, soporem, sitim, aliaque symptomata, quae inter initia, vel etiam in progressu, febricitantium adeo communia esse solent. Si vero, *irritabilitate*, et *sensibilitate* incitata, cordis, arteriarumque motus augeatur, et circuitus humorum omnium acceleretur, commodissime inde explicari poterunt pulsuum velocitas, magnitudo, impetus, calor, aestus, rubor faciei, dolor capitis, vigiliae, paraphrosyne, inflammationes, aliaque auctae circulationis effecta, quae saepe febrim comitantur, aut subsequuntur. Nec arduum sane erit ei, qui Pathologiae generali operam dederit, cuiusque alius febrilis symptomatis rationem inuenire.

§. XXXIV.

Caussae remotae. At manifestiores, etsi pone innumerae, videntur caussae remotae, in quibus continentur, cum *proëgumenae*, tum *procatarcticae*. Harum autem aliae ab animo, aliae a praua corporum constitutione proficiscuntur; aliae extrinsecus, aliae intrinsecus aduenient, febrimque mouere possunt. Quae ab animo procedunt, sunt grauiora animi pathemata, ira, moeror, tristitia, studia immodica, metus, amor, qui ad febres praesertim lentas ciendas

Ab animo caussae.

solet

ſolet eſſe paratiſſimus, ſi eum moeror ex negata rei amatae poteſtate ſubſequatur. Turbato enim cerebri, et neruorum ſtatu, peruertitur motus cordis; ſecretiones, excretioneſque omnes, in primis ſucci gaſtrici, bilis, lymphae pancreaticae, tranſpirationis imminuuntur, aut deprauantur; ſolidarum partium robur ſoluitur; digeſtio, ſanguinis craſis, et motus vitiatur, ſicque via febri aperitur.

§. XXXV.

A corpore.

Quae a corpore ipſo dimanant, ſunt quaedam prauae affectiones tam fluidarum, quam ſolidarum partium, propter quas ad febrim quidam magis, quidam minus inclinant. Huc ſpectant aetas, temperamentum, plethora, viſcerum labes, paſſio hypochondriaca, aut hyſterica, ſcorbutus, cacochymia, cachexia, lues venerea, rheumatica diatheſis, atque alia his ſimilia.

§. XXXVI.

Vis cauſſae procatarcticae interdum maximam.

Reticendum vero non eſt, vim cauſſae procatarcticae interdum tantam eſſe, vt quamlibet optimam valetudinem, firmamque corporis conſtitutionem illico euertere, atque in aduerſam commutare poſſit. Spina digito pedis infixa tantum excitare poteſt doloris, vt febris oriatur, totum corpus rigeſcat, et ſpaſmo inducto, aut gangraena ſuccedente, ad interitum perducatur aegrotans. Propinata venena, et venenati halitus, maligni, peſtilentes ore inſpirati, aut deglutiti, aut cutis vaſculis abſorpti ſanguinem, lympham, et ceteros latices quoſcunque celeriter inficiunt, corrumpuntque; aut villos cordis, arteriarum, aut ventriculi, aliorumque viſcerum varie irritant, et contrahunt, aut contra relaxant, et foluunt, aut mox neruorum originem, vimque laedunt, conuellunt, aut deſtruunt,

deſtruunt, prout nempe fert propria ſingulorum natura, et potentia.

§. XXXVII.

Exempla cauſſarum peculiarium.

Quam maxime inferendae febri etiam valent crapula, ebrietas, incontinentia, et venus immoderata; ingeſta item, ingenita, aut retenta acria, putrida, corrupta; nimium otium; ſomnus diutius protractus; violenta exercitia; deambulatio ſub ſole; mora in hypocauſto, aut alio loco praecalido, et ſubitus in aërem frigidum tranſitus; habitatio in regione humida, paluſtri; aër pinguibus, vliginoſis, aut aliter noxiis vaporibus refertus; quidquid vno verbo humorum, aut ſolidarum partium naturalem modum poteſt ſubuertere, aut labefactare.

§. XXXVIII.

Effecta febris.

Verum ad ipſam febrim reuertamur. In hac quidem Natura adniti videtur ad cauſſam, aut materiam morbificam ſic permutandam, vt non amplius noceat, extrorſumque per aliquam excretionem feratur. Motu igitur febrili ita ea ſubigitur, vt vel emendetur, vel expellatur, vel talem ſubeat mutationem, qua non amplius infenſa ſit; vel natura nequidquam proficiente, ita deterior euadit, vt obruat, et deſtruat. Quare febris vel in ſalutem, vel in alium morbum, imo in mortem ipſam finitur. Si vires vitae vigeant, nec cauſſa, ſiue fomes modum excedat, neu adeo maligna, aut reluctans ſit, vt ab iis permutari, ſubigi, aut expelli nequeat, tunc ſpes affulget, nullo opus fore medici adiumento. Sin vero illae deficiant, aut langueant, aut morbi cauſſa, ſiue fomes eiusmodi ſit, vt difficillime tolli, aut emendari poſſit; tunc medentis opera, regimen, et medicamenta illud perficiant,

Febris quot modis finiatur.

Quando artis ope eget.

ciant, quod frustra Natura, et vitae vires molirentur *).

*) Lectu dignissima est Dissertatio PLANCHONII *Le Naturisme, ou la Nature considerée dans les Maladies, et leurs traitement conforme à la doctrine, et à la pratique d'Hippocrate, et de ses sectateurs*, in qua doctissime, quando naturae res committenda sit, quando arti agere expediat in morbis, definitur, decerniturque.

§. XXXIX.

Vitae vires vigere, et sufficere reputantur, quando cor, arteriaeque tanto motu, et robore polleant, vt cauſſas resistentes, quas sanguinis copia, acritas, lentor, aut spasmi praebent, exsuperare possint. Tunc valide sanguis per vasa omnia proiicitur, atque insignis humorum omnium tum in se ipsos, tum in canales mutuus, et reciprocus attritus consequitur. Hinc calor vbique se se expandit, qui humorum attenuationem, resolutionem, coctionem, permutationemque mirifice adiuuat *); hinc omnis ab illis labes decedit, aut quidquid impuri, noxiique ineſt, per excretionem vrinae, sudoris, sputi, vomitus, deiectionum alui effunditur, febrisque euanescit. *Signa vitae gentis naturae.*

*) Calorem magni faciebat GALENVS, nec minori in pretio eum habuere multi alii, et nostra aetate in primis QVESNAEVS, et LIEVTAVDIVS, viri sane et doctrina, et artis vsu, et fama celeberrimi.

§. XL.

Itaque calor non semper formidandus est, speciatim in febribus coctionem, vt aiunt, purulentam postulantibus, dummodo nimius haud sit, nec plurimum naturae modum excesserit. Sine eius auxilio materia, si qua *) morbum facit, saepe cruda remanet, nec vllam subit mutationem; imo ipsa intus restitans vel motus vitales suffocat, vel *Calor quinam vtilis.*

non

non satis commota, nec emendata, nec cocta reliquum sanguinis, atque humorum, cum quibus confunditur, penitus inficit, et corrumpit. Calor ergo moderatus, qui a libero humorum circuitu, atque a solutis spasmis dependet, generatim exoptandus est. Eo enim non solum horror, et frigus auertitur, verum etiam coctio, et crisis promouetur.

*) Frustra interdum quaeritur cruditas in aliqua qualitate materiae morbificae in sanguine existentis. Recte idcirco JO. NATHANAEL PEZOLDVS *in specimine Pathologico de Prognosi in febribus acutis Lipsiae an.* 1771. mauult cruditatem in duratione, et vehementia spasmorum plerumque reponendam esse, quam in humoribus solis; putatque, non raro corruptam illam materiam, quae aliquando excernitur sub specie criseos, et puris naturam refert, effectum potius esse motuum irregularium naturae, quam caussam eorumdem. Hoc enimuero, si vnquam euenit, tum in primis euenire mihi videtur, cum in febribus quibusdam malignis, et putridis vrinae flocculentae, et hypostasim copiosam habentes minguntur, dum interim morbus crudissimus est, viresque acquirit eundo, malo aegri omine. Quod saepe incautos decipit, opinantes, coctionis signa illa esse. Hypostasim autem eiusmodi fallacem, et minime bene ominantem nihil aliud esse ego quidem iudico, quam sanos humores febri solutos, et attenuatos, inuicta, atque integra adhuc vera morbifica caussa.

§. XLI.

Vires vitae nimiae quid praestent.

Interdum vero vires vitae non modo non deficiunt, nec tantummodo vigent, sed iusto maiores euadunt, vehementiusque concitantur. Tum nimius motus, attritus, calorque timorem incutiunt, ne vniuersum corpus inflammatione, aut inflammatoria diathesi occupetur, aut *alkalescenti* acrimonia pessundetur. Sunt etiam qui putridam inde metuunt humorum dissolutionem, quod tamen rarum ab huiusmodi caussa sola est. Illud autem eo magis timendum, quo intensiori calori

Prognostica alia.

super-

ſuperuenerit inexpectata horripilatio, et frigus, in primis exteriorum partium. Cl. SWIETENIVS fere ſemper lethales *a*) ait eſſe illas febres, in quibus calor ſummus circa vitalia percipitur, dum ſimul extrema corporis frigent; quod non ſemel et ipſe vidi. Gangraenae enim, aut ſphaceli plerumque imminentis ad interiora id indicium eſt. Item periculum graue portendunt in febre acuta vrinae tenues, percolatae, peruigilium, aluus perturbata, mentis emotio, anxietas, et multo magis, ſi his acceſſerit extremorum frigus. GALENVS *b*), praecipuum, et maximum ſignum mortis ſine bona criſi ſubſecuturae eſt, inquit, virium imbecillitas; ſecundum vero cruditas perfecta: praeſertim ſi praeterea morbus ſit magnus, et malignus, et celeriter *) moueatur.

a) *In Boerhaav.* §. 579. *b*) *De criſib. l.* 3. *cap.* 10.

*) Quoniam ſupra (§. XXXVIII.) dictum eſt, febrem vel in ſalutem, vel in mortem, vel in alios morbos deſinere, non praetermittam quaedam ex Hippocraticis oraculis decerpere, atque hic adnotare, quorum ductu, et praeſidio Medicus facilius futura praenoſcat. Sed primum dicam, quibus morbis ſuperueniens febris remedio ſit; nam ſalutaris interdum, quod alibi iam (§. I.) innuimus, deprehenſa eſt. *Si ebrius*, inquit HIPPOCRATES, *repente obmutuerit, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit, qua ſoluuntur crapulae, vocem recuperet. Aph. ſect. V.* 5. *Qui a diſtentione, aut rigore neruorum tenetur, febre ſuperueniente liberatur. Sect. IV.* 57. *Quicunque ſani dolore capitis repente capiuntur, et ſtatim muti fiunt, et ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit. Sect. VI.* 51. *Quibus hepar circumcirca dolet, his febris ſuperueniens dolorem ſoluit. Sect. VII.* 52. *Sed dolor ſine inflammatione* eſſe debet; *ſect. VI.* 40. Id ſaepe in colica icterica a calculis felleis verum deprehendi. Item *voluulum* ex vrinae ſtillicidio obortum, *ſect. VI.* 44. *Coac.* 475., *lippitudinem*, *corporis impotentiam* ex vulnere *coac.* 222. 477. *ſiderationem coac.* 479. febris accedens ſanat. Nunc aliquid

quid addam de variis febrium iudicationibus. *Febres mitissimae, et securissimae die 4., aut ante desinunt; maxime vero malignae, et grauissimae die 4., vel prius interficiunt.* Praenot. 122. *Primus febrium insultus ad dies 4, secundus ad 7, tertius ad 11, quartus ad 14, quintus ad 17, sextus ad 20 dies excurrit.* Praenot. 122. *Quibus per febres sexta die rigores fiunt, difficulter iudicantur.* Sect. IV. aph. 29. *Febricitare incipientibus sanguinis stillationes cum sternutatione adcedentes, et quod in vrina desidet album, quarto die visum, septimo solutionem adfore denunciant.* Coac. 149. *Vrina in febre album, et laeue depositum habens sedimentum, celerem liberationem denunciat; celerem quoque, quae diluta indiscretam quandam habet pinguedinem.* Coac. 575. *Quae aliquantulum rubet, subrubrum habet sedimentum, et leue, siquidem ante diem septimum apparuit; septimo die solutionem fore designat; post septimum autem, tardiorem, aut plane diuturnam.* Coac. 575. *Quae quarto die subrubram nubeculam capit, septimo die liberat, dum reliqua pro ratione habeant.* Ibid. *Febricitantium non omnino leuiter, permanere corpus, et nihil minui; vel etiam plus quam ratio postulat, contabescere, malum. Illud enim morbi longitudinem; hoc vero aegri imbecillitatem significat.* Aph. 28. sect. 2. *In febribus abscessus, qui ad primas iudicationes* (id est euacuationes) *non soluuntur, morbi longitudinem significant.* Aph. 51. sect. IV. *Sudores febricitantium extra dies criticos orti, laborem significant, et morbi longitudinem, et recidiuas.* Aph. 36. sect. IV. *Febricitanti sudor superueniens, febre non remittente, malum. Prolongatur enim morbus, et copiosiorem humiditatem indicat.* Aph. 56. sect. IV. *Quibus febricitantibus in vrinis subsidentiae fiunt crassiori farinae similes, longam infirmitatem significant.* Aph. 31. sect. VII. Longitudinem quoque febrium indicant *dolores ex glandularum tumoribus, iudicationis cessationes*, origo ex *doloribus vehementibus*, quod habemus ex Coac. 73. 75.

Quod attinet deinde ad notas salutares, consuli possunt aphorismi 26. sect. II. 43. sect. IV. 62. sect. VII. 36. sect. IV. 69. sect. IV. *Qui ex morbo superfuturi sunt, facile spirant, dolore vacant, noctu dormiunt, aliaque securissima signa habent.* Praenot. 126. *Quibus in febre die 7 aut 9 aut 11 aut 14 morbus regius superuenit, bonum est: nisi dextrum hypochondrium durum sit, alioqui non bonum.*

bonum. Aph. 64. sect. IV. *Quibus ex febre aures obsurduerint, his sanguis e naribus effluens, aut alvus exturbata, morbum solvit.* Aph. 60. sect. IV. Periculum vero significatur in sequentibus: *Deiectiones nigrae, qualis sanguis niger, sponte prodeuntes,* malae. Aph. 21. sect. IV. *In febribus circa ventrem aestus vehemens, et oris ventriculi dolor, malum.* Aph. 65. sect. IV. *In febribus ex somnis pauores, aut conuulsiones, malum.* Aph. 67. sect. IV. *In febribus spiritus offendens* (id est intercisus) *malum; conuulsionem enim significat.* Aph. 68. sect. IV. Videantur etiam *Praedict.* I. 56. 74. *Coac.* 31. 2. 30. 34. 42. 44. 55. 78. 145. 242.

Perniciem, et mortem ex his, quae modo adducam, coniicere possumus. *Si a febre detento, tumore in faucibus non existente, suffocatio ex improuiso superueniat, lethale.* Aph. 34. sect. IV. *Si a febre detento, collum derepente inversum fuerit, et vix deglutire possit, tumore non existente, lethale.* Aph. 35. sect. IV. 58. sect. VII. Coac. 277. *Vbi linores in febre fiunt, prope adfore mors significatur.* Coac. 66. *Febrium initio si atra bilis sursum, aut deorsum prodeat, lethale est.* Coac. 68. *Quibus per febres assiduas pustulae toto corpore enascuntur, lethale est, nisi quid puralentum abscedat. In his vero praecipue admasci ad aures tubercula solent.* Coac. 114. *Vocis defectiones in febre, quae conuulsionis speciem prae se ferunt, et in mentis emotionem cum silentio desinunt, perniciem ostentant.* Coac. 248. Recidiuarum multa indicia sunt, sed haec praecipua. *Febricitanti, nisi in diebus imparibus dimiserit febris, reuerti solet.* Aph. 61. sect. IV. Coac. 80. *Quibus febres cessant neque apparentibus solutionis signis, neque diebus indicatoriis, iis recidiua exspectanda est.* Praenot. 138. Coac. 146. Signa abscessus superuenturi vid. in *Coac.* 143. *Praenot.* 139. *Coac.* 422. 141. *Aph.* 31. *IV.* Conuulsionis *in praenot.* I. 115. Doloris capitis *Aph.* 70. *sect. IV.* Doloris ad coxas, *Coac.* 297. Diarrhoeae *Aph.* 73. *IV. Coac.* 291. *Aph.* 27. *IV. Coac.* 153. 142. Dysenteriae *Coac.* 124. Erysipelatis in facie *Coac.* 200. Haemorrhagiae *Coac.* 168. 149. 142. 555. *Praedict.* I. 142. *Coac.* 298. Phrenitidis *Coac.* 79. 95. 228. Vomitus *Coac.* 142. *etc.*

§. XLII.

Curandum igitur est, vt motus febrilis nec nimis excedat, nec iusto citius langueſcat, aut deficiat. *Praecepta, quibus Naturae motus*

regendi, aut incitandi sunt.

Si moderatus fuerit, sinendus; si immodicus, compescendus; si torpeat, aut intempestiue deferuescat, incitandus est, prout vitae viribus, et morbi statui expedire magis videbitur. In hoc febris moderamine totus fere clinicorum neruus consistit, quem nemo satis nouerit, nisi qui attente, et pluries naturae motus salubres, ac insalubres obseruarit: illis enim Natura saepe vtitur, vt a pluribus se morbis liberet. Hanc ergo Medicus imitari debet vel quiescendo, vbi ipsa per se sufficit, vel febrim leniter excitando, vbi motus languent, proritandique sunt. Tumorum quorumdam indoles, et suppurationis doctrina moderatam inflammationem, adeoque febrim saepe vtilem ostendit, requiritque. Id etiam in vulneribus, in abscessibus, aliisque similibus morbis non raro necessarium est. Sed multo luculentius id vsui erit in morbis lentis, et diuturnis, in quibus, quia morbida materies iners est, et lentescit, aut haeret, concitatiores sanguinis motus siue ab interna causa, siue ab externa orti adeo salubriter cedunt.

§. XLIII.

Quid causae procatarcticae postulent?

Ante omnia ad causas manifestas, et procatarcticas respicere oportet. Pro harum enim varietate vel vomitus prolici, vel aluus duci, vel sudor promoueri, vel aliqua alia euacuatio, vbi natura desit, tentari debet. Sed haec ita Medicus moliatur, et praestet, vt virium aegri, temporis, malignitatis, morbi denique ipsius debita ratio habeatur. His autem cacochyliae primarum viarum, et cacochymiae totius habitus prouidentissime occurritur. Si vero plethora caussam febri dare videatur, ea protinus soluenda est sanguinis missione.

Quando purgandum.

Sanguinis missio vbi conueniat.

§. XLIV.

Contra, vbi pulſus celer, aut tardus, et ſimul debilis eſt, aut paruus, aut humilis, et depreſſus, viresque etiam animales languent, tunc excitandus eſt iuſculis, medicamentiſque analepticis, et cardiacis, quandoque vel calidioribus, vti vino, quod non raro magno vſui eſt. Sin vero aeſtus cum pulſu vehementiore extorreat, vt ob nimium ſanguinis motum metuendum ſit, ne viſcera infarciantur, aut minima vaſa diſrumpantur; venae ſectione huic infortunio egregie proſpicitur. Intereſt tamen ſcire, pulſum interdum obſcurum, paruum, depreſſumque videri, talemque eſſe a nimia vaſorum plenitudine vim cordis, ac arteriarum elidente, aut a ſpaſtica fibrarum affectione, quae, maxime inter initia, fere numquam deeſſe ſolet. Quando id incidit, atque aetas, temperamentum, habitus corporis, vitae genus anteactum copiam boni ſanguinis praemonſtrant; non modo tutiſſime tunc ſanguis detrahitur, pulſu nequidquam reclamante, ſed etiam eius detractio vim cordis, et pulſuum erigit, et ſpaſmos relaxat. Quantitas vero mittendi ſanguinis ex aetate, temperamento, et plethorae ſignis aeſtimanda eſt. *Ex pulſu quaenam indicentur?*

§. XLV.

Interdum largius eum mitti oportet, ac ſi cauſſae, et ſymptomatum vis, et continuatio poſtulet, etiam iterum, iterumque. Rectius generatim initio detrahitur, dummodo non id fiat in ipſo acceſſionis exordio, nec in ipſo frigoris tempore; nam tum plena res eſſet periculi: quamquam non deſint hodie qui audeant (quid enim non audendum hodie?) illo etiam tempore ſanguinem profundere. Quod ſi aut neglectum id fuerit in initiis, aut malum progreſſu inualeſcat, aut quod primum non licuit, deinde et liceat, et indicetur, in ſummo *Cautela circa ſanguinis miſſionem.*

etiam vigore, quo alias quiescere ex HIPPOCRATIS consilio expedit, opportunum est facere.

§. XLVI.

Compescentia, et sedantia.

Huc quoque respiciunt ea omnia, quae ad minuendum febris impetum refrenandum, cum de inflammatione supra *a*) ageretur, commendauimus. Nec praetermittenda omnino sunt medicamenta, quae anodyna vocantur, et quae opium etiam habent. His enim et nimia sensibilitas neruorum minuitur, et spasmi *) soluuntur, et perspiratio **) prouocatur. Absint vero ab his cuncta, quae calefaciunt, aut quae vulgo adiici opio solent, vt narcosim emendent, aut anteuertant. At vasa prius depleri, et sordes, si quae sunt, e primis viis deturbari debent, quam ad isthaec remedia deueniatur. Adhibenda vero sunt refracta, vt aiunt, dosi, et partitis vicibus, ne motus febriles, saepe necessarii, ante tempus supprimantur, aut neruea vis, aut irritabilitas plus iusto (*) infirmetur. Cauere autem oportet ab huiusmodi auxiliis in quauis cephalitidis, siue cerebri inflammationis suspicione, non tantum metu eam augendi, sed ne sensibus obstupefactis, morbus clam quasi serpens arma, quibus oppugnari deberet, vti superuacanea e manu medici prope deiiciat, aut eum negligentiorem, securioremque, quam decet, faciat.

Quaedam de Opio.

a) *De inflamm. Commentariolum. n. 68. 69. 70.*

*) Tartaro emetico vti ad vomitum ciendum, nouum non est; at eum parciori manu, et per epicrasim, quod vocant, adhibere ad spasmos sedandos, diaphoresimque mouendam, quemadmodum hodie, ab Anglis potissimum, video proponi, nouum quidem est. Tempori igitur relinquatur diiudicandum, iurene, an perperam id celeberrimi quidam scriptores extollant. Quod ad diaphoresim attinet, nulla quidem lis, aut controuersia incidere potest. Blanda enim stimulandi, attenuandique virtute, qua pollet epicratica

cratica tartari emetici exhibitio, ita augetur vis circulationis, et ita soluuntur humores, vt facile per cutim excretio consequatur. Spasmos vero huiusmodi remedio etiam sedari, si caussa eos excitans primis viis inlit, eaque aut vomitione, aut deiectione auferatur, non repugnat rationi. Ceterum non ita facile stimulo stimulum adiungerem. Sunt etiam alii, qui has exiguas, partitasque Tartari emetici exhibitiones eumdem in finem commendant quidem, sed cum opio praecipiunt permisceri remedium, vt eius acritas, irritandique facultas, consopito per opium sensu, refringatur. Quod fortasse tutius est. Sed quibusnam fides maior debeatur, iterata pericula declarabunt. *Nota.* Quam tempori quaestionem de minuto, atque epicratico Tartari emetici vsu in prima huius voluminis editione diiudicandam reliqueram, tempus reuera post breue interuallum rem pene confecit. In duobus enim Regiae societatis medicae conuentibus, altero sub die XV. Januarii, altero sub die IV. Februarii ann. 1782. habitis Cl. MAJAVLTVS, MORISOTVS DESLANDES, DESESSARTZIVS, et TENNEVRIVS multa exempla malorum effectuum, quos Tartarus emeticus sic datus praestitit, protulerunt. Et, vt summatim dicam, omnes propria, et longa experientia didicerunt corruptionem humorum ab hoc remedio promoueri, vt patuit ex foetidissimo odore foecum, qui in deiectionibus percipitur diebus, quibus illud remedium sumitur, et coctionem, crisimque veram impediri. DESESSARTZIVS praeterea addidit, postquam ab annis iam quatuordecim hoc remedio vti destitit, se laeto animo vidisse morbos vulgo putridos, itemque malignos citius, et ordinatius finiri; id quod etiam a TENNEVRIO asseveratum est. Cum nuper hac de re sermonem cum JO. BAPTISTA CAMBIERIO auditore olim meo, nunc amico, et medico magnae exspectationis haberem, is narravit, se non modo in excrementis aluinis foetorem illum putridissimum, quem Academici Parisini memorant, verum etiam in vrinis, et sudoribus praeter consuetudinem deprehendisse sub eiusmodi medicamenti vsu; imminutum vero, imo penitus depulsum diebus, in quibus illud omitteretur. Vid. *Journ. de Méd. T. LVII. p.* 274.

**) Non nulli etiam ad spasmum vasorum capillarium tollendum, perspirationemque adiuuandam praecipiunt, laterculos coctos in aquam calentem demissos, deinde

linteo raro, et tenui inuolutos pedibus, et brachiis admouendos esse (*Comment. Med. e Filosofic. d'una Compagnia de' Med. d'Edimb. Vol. I. P. I. cap. V.*). An id praestantius fomentis humidis, quibus in Italia vtimur? De hoc quoque iudicium esto tempori.

(*) Non me latet, opium vim irritabilem cordis prius excitare, quam neruearn sensibilitatem consopiat. Id enim tot factis periculis demonstratum est, vt ne dubitare quidem nobis liceat. Attamen nihil eo ad spasmos sedandos efficacius vsus detexit. Sensu enim imminuto, stimuli, acritatesque eneruantur; id est, frustra partes, quae obtusiore sensu sunt, irritant. Fortasse etiam cor ipsum, neruis ad cor tendentibus minus sensibilibus redditis, aliquid suae irritabilitatis deperdit.

§. XLVII.

Acrimonia varia, et sanguinis lentor qui tollendus?

Acrimoniae, et lentoris varia genera suis se notis produnt, quemadmodum ex Pathologia, et Semeiotica generali compertum esse debet. Pro diuersa autem vtriusque indole peculiaria quoque medicamenta deligenda sunt, quae scilicet singulari acritudini, et lentori aduersentur. Generatim conueniunt diluentia aquosa, leniter resoluentia, attenuantia, aperientia, sed temperatiora; quibus optimum est acida tam e vegetabilibus, quam e fossilibus depromta admiscere; in primis si aestus moderandus est, aut anteuertenda procliuitas ad putrescendum. Constat enim, et refrigerare mirifice, et antiseptica esse; siue id praestent neruorum sensibilitatem obtundendo, et fibrarum irritabilitatem coërcendo, siue sales alkalinos volatiles inuertendo, et saturando, siue igneum elementum, aut si mauis, phlogiston arripiendo, sibique associando, siue fibras, et humores densando, siue omnibus hisce modis, non valde laboro.

§. XLVIII.

Symptomatibus quoque prudenter, atque opportune occurrendum est, ita tamen, vt solum grauia, et vrgentia mitigentur, aut tollantur, non vero ea, quae a febris peculiari natura seiungi nec possunt, nec debent, et quae salubres Naturae motus esse consueuerunt. Quae autem singulis curatio conuenientior sit, tradam deinceps, vbi speciatim de quouis febrium genere verba fient. Sed multa, quae hic locum habere possunt, iam in *Commentariolo de inflammatione* pertractauimus. Interim monebo etiam, aluo adstrictae enemata tutissime adhiberi, dolori capitis cucurbitulas, hirudines, balnea pedum; soporosis affectibus epispastica, et cantharides, vt vesicam excitent, occipiti, brachiis, aut cruribus admotas, castoreum *), spiritum cornu cerui, liquorem eiusdem *succinatum*, *succini* salem volatilem; delirio fere eadem, et in primis camphoram; et conuulsionibus inter cetera Moschum opitulari. Sed non sine delectu, et rerum omnium, et causarum consideratione his temere, et promiscue vtendum est. Qua in re nemo delinquet, qui remediorum facultates ex Materiae Medicae scriptoribus, et recte iis vtendi rationem ex Therapeutice prius, vt oportet, apprime didicerit. Reliqua, quae ex pathologia particulari potius pendent, aliunde petenda sunt.

Quomodo Symptomatis prospici debeat.

*) Anonymus quidam Anglus omnino reiicit castoreum, crocum, valerianam, contrayeruamque in cuiusque febris curatione. Solam camphoram admittit, vt praesentissimum delirii ferocis, quod febribus interdum superuenit, remedium. *Comment. Med. e Filos. d'una Compagnia de' Medic. d'Edimburg. Vol.* I. *P.* I. *cap. V.* Sed neque semper illa noxia sunt, neque haec semper optato effectu potitur.

§. XLIX.

Retenta morbifica materia quae mala praeſtet, et quid tum faciendum.

Verum ſi materia morbum faciens nec potuit ex toto emendari, aut inuerti, nec expelli e corpore; tunc retenta vel alicubi per metaſtaſim deponitur, ibique defigitur, vnde noua ſaepe febris facies, maiuſque vitae periculum enaſcitur, quod in exanthematicis frequentiſſimum eſt; vel occaſionem morbis chronicis diuerſi generis praebet. Cauto igitur opus eſt, ne motus febrilis ante omnino deſinat, quam morbi fomes ſit penitus ablatus, aut eiectus; imo ſi febris intempeſtiue et praemature ſe ſe remiſerit, iterum aut febris, ſi fieri poſſit, reuocanda eſt, vt eius actione corpus ab omni noxio humore liberetur, vel lenibus euacuationibus ſubinde procuratis, et recta diaetae ratione diu ſeruata mala, quae ab imperfecta febris ſolutione impenderent, prouide arceantur.

§. L.

Haenii vtilis obſeruatio.

Pauca haec de febris natura, et curatione in vniuerſum. Quae vero cuiusque febrium generis propria ſunt, tradentur vberiori ſermone ſuis locis. Antequam tamen huic capiti finem imponam, tironibus perutile me facturum exiſtimo, ſi quae cl. HAENIVS *generali* quadam *animaduerſione in Recentium Scriptorum medendi methodum* breuiter, atque appoſite complexus eſt, hic repetantur, vtpote ad euitandos errores quam maxime accommodata. *Inchoant*, inquit, *continuantque curam venae ſectione perquam numeroſa: iterato exhibent vomitoria: quotidie hi, illi die ſaltem alterno, corpora purgant; ſic autem, vt apozematibus ſuis, quo humores efficacius mouere, ſolidaque ſtimulare potentius poſſent, aliquid Tartari emetici perpetuo iungant, donec demum praetenſa ſua criticorum pulſuum ſigna inſurgant. Praxin hanc ex Chiraciana ſchola natam; ac*

dein

*dein Gallias, finitimaſque regiones veluti illuuie facta inundantem, in vtroque tractatu et de pulſibus, et de criſibus *), innumeris confirmatam, laudatamque teſtimoniis eſſe deprehendimus. Hos autem Practicos rogatos volo primo, vtrum pulſuum, quas deprehendunt, mutationes, ſerio credant ordinatos naturae motus, an vero ſaepe non conuincantur eas cuncta perturbanti methodo tribui, adſcribique oportere? Nos ſaltem ſaepe ab errore aut medici, aut aegri, aut adſtantium pulſuum genus mutationis omne experti fuimus. Secundo, ex praepoſtera ſua medicandi ratione Naturae opera turbantes, ac confundentes, iure merito credant, ſe Hippocraticam ſcholam falſi taxare, erroriſque adeo enormis; in qua ſchola ipſa obſeruationum Hippocraticarum veritas negatur; quando Medicus naturam (a) **) perturbauerit?*

*) Doctrinam hic de pulſibus criticis, et organicis a BORDEVIO, FOVQVETIO, MICHELIO, aliiſque inductam, et propugnatam mordicus, intelligit.

(a) *Rat. medend. P. XII. cap. IV. p.* 207.

**) Nemo vnus Hippocratis oraculis magis ſe addixit, quam HAENIVS, ſi Italos clinicos exceperis. Hi enim, in Bononienſi in primis, Florentina, et Romana ſchola enutriti, atque inſtituti, nihil ſibi antiquius eſſe putant, quam naturam contemplari, eius motus cognoſcere, ſalubribus obſequi, noxiis occurrere, deficientibus opem ferre; vno verbo Naturae ſe miniſtros, non dominos gerere. Hinc plerique medendi ratione ſimpliciſſima vtuntur, cauentque a nimia medicamentorum copia, aut farragine, non quod *materiam medicam*, vt a quibuſdam inique inſimulantur, ignorent, nam cum ſimplicia, tum compoſita, eorumque facultates norunt et ipſi, ſed quod nolint naturam morborum medicatricem perturbare, et probe ſciant, plurima medicamenta, quae a quibuſdam tranſalpinis mirifice extolluntur, plerumque periclitantium votis minime reſpondere. Fabulis, et prodigiis, quae paſſim narrantur, non facile credunt, a REDIO, et VALLISNIERIO viris ſane ſapientiſſimis, et prudentiſſimis admoniti, et cum de remediorum viribus periculum *Monita ſalubberrima.*

faciendum est, tantam circumspectionem diligentiamque adhibent, vt nullum errori, aut praeiudicatae opinioni locum relinquant. Quare saepe aliorum periclitationibus decepti, suam propriam experientiam consulunt, et plerumque, licet inuiti, ad pristinam medendi simplicitatem, qua summopere Natura delectari consueuit, redire coguntur. Id in primis animaduertant Tirones, ne credulitatis nimiae eos tandem poeniteat.

DE FEBRIVM DIVISIONE, ET DIFFERENTIIS.

§. LI.

Cum non modo frequentissimum (§. II.), sed multiplex etiam morbi genus sint febres; in id, quanta maxima potuerunt cura, omnium aetatum Medici incubuerunt, vt singularum diuersam rationem, et differentias cognoscerent, et distincte adnotarent. Quo factum est, vt breui tempore febrium numerus tantus iis visus sit, quantus a nemine satis describi, ordinarique posset, nisi in summa quaedam genera, siue classes, atque in peculiares quoque, distinctasque species tribuerentur. At singulas singulorum diuisiones sectari, hominis profecto esset ab omnigena eruditione paratissimi, otioque, quo maxime egeo, prae primis abundantis. Dabo tamen operam, vt vnusquisque illico perspiciat, quid hac in re tam veterum, quam nuperorum sollertia effecerit, quidque de cuiusque laboribus nobis videatur.

§. LII.

Prima diuisio, eiusque vitia.

Itaque communior, generaliorque febrium diuisio, quam plerique probarunt, vel a periculo, et celeritate, vel ab origine, vel a numero eorum, qui eodem in loco, eodemque tempore laborant, vel a prauo ingenio, maloque more ducta est. Hinc

distin-

distingui solent in *acutas*, et *chronicas*, in *essentiales*, siue *primarias*, *secundarias*, siue *symptomaticas*; in *epidemicas*, *stationarias*, *endemicas*, et *sporadicas*; in *malignas*, et *benignas*; et, si malignitas paullo grauior fuerit, pestisque quasi perniciem aemuletur, in *pestilentes*. Verum, quoniam eiusmodi diuisio reliquis prorsus morbis etiam conuenit, nec propria febrium ipsarum est, nequaquam ad eas siue discernendas, siue ordinandas videtur accommodata. Praeterea celeritas, tarditas, malignitas, benignitas, grauitas, aut epidemica, stationaria, endemica, sporadica natura, et constitutio non genus quoddam morbi peculiare, sed generis ipsius modum, affectionem, et specialem velvti differentiam potius designant. Nam *acutum* *), et *chronicum* tam late patet, vt quam plurima morborum genera complectatur, natura, qualitate, symptomatum ratione, exitus diuersitate omnino distincta. *Maligni* vero, aut *benigni* adiunctum nomen, aut *epidemici*, aut *stationarii*, aut *endemici*, aut *sporadici*, itemque *primarii*, aut *secundarii* addita conditio, aut si qua alia est denominationis similitudo, genera ipsa non mutat, neque ex se constituit, sed rectius generis indicat maiorem, vel minorem prauitatem, vel eiusdem frequentiam, vel raritatem, dominium, sedem, originem, et sic porro.

*) Quotidie non modo ignarum vulgus, verum etiam Medicos ipsos audio huiusmodi nomine abuti. Quam primum febrem continuam aliquanto grauiorem vident, mox hominem febre acuta laborare proclamant, quasi genus aliquod peculiare febris aut singularis species ea esset a reliquis prorsus diuersa, ac differens; vt diuersa est exempli caussa ephemera ab hectica, a tertiana, a quartana, pleuritis ab angina, angina ab apoplexia, apoplexia ab hydrope, et sic deinceps. Sed nihil profecto dicunt, quod non commune sit plerisque cum febribus,

bus, quae graues exſiſtunt, et celeriter, et cum vitae periculo ſuum curriculum abſoluunt. Nam id *nominis* commune plurimis morbis eſt, etiam febris expertibus, et *collectiuum* potius videtur; et quando febribus accommodatur, non vnam ſingularem febrem, ſed omnes, quae celeriter decurrunt, et vitae periculum afferunt, complectitur. Hinc febris acuta et *Synochos putres* veterum, et *Gaſtricas* BALLONII, et *Lentas neruoſas* Anglorum, et *Tritaeophyas*, et malignas, peſtilenteſque quaſcunque, imo interdum *ephemeras* ipſas, atque intermittentes, quando *perniciosae* ſunt, aliaſque bene multas, de quibus alibi ſermo erit, reapſe comprehendit. Commodiſſima autem denominatio facit, vt in ea Medici plerumque conſiſtant, neque quidquam aliud quaerant, quod ad intimam, et peculiarem febris indolem, naturamque definiendam pertineat. At iſtudne aeque commodum aegrotantibus? An Medicinae praeceptis conſentaneum?

§. LIII.

Et reapſe ephemera, ſynochus, tertiana febris, quotidiana, quartana genere eaedem ſunt ſemper, ſiue benignitatem, ſiue malignitatem prae ſe ferant, ſiue epidemice, ſiue endemice, ſiue ſporadice vagentur; non ſecus ac dyſenteria, pleuritis, catarrhus, quae mala idem morbi genus, et nomen ſeruant, quocumque modo ſe habeant, benigna ſint, aut maligna, epidemica, aut ſporadica, breuia, aut diuturna. Ab his enim qualitatum, et circumſtantiarum diſcriminibus differentiae quidem aliquae permanant, non genera. Quid vero benignum, malignum, epidemicum, ſtationarium, endemicum, ſporadicum ſignificent, in Pathologia explanatum ſatis eſſe arbitramur. De malignitate vero *) non vna eſt apud omnes cogitatio, et ſententia. Apud pleroſque tamen hodie *malignae febres* habentur illae, quae inſidioſe, ſubdole, et ſub ſpecie benignitatis clanculum aggrediuntur, vires illico ſine manifeſta cauſſa proſternunt, nervorum in primis, et cordis actionem laedunt, et ſympto-

Quid malignae febris nomine veniat.

symptomata insolita, repugnantia, atque a morbi simplicis, et puri indole non parum aliena secum trahunt. Exempli caussa in summa virium tam vitalium, quam animalium defectione, repentina, atque inopinata, et pulsu parum febrili, aut naturali proximo exsistente saepe ingens sitis, interiorque caloris sensus exurit; vel contra nulla sitis tenet, lingua interim sicca, atque arida; vel vires languent citra caussam euidentem, vigiliae vrgent, aut insolita quaedam inquietudo, et iactatio aegrum exagitat, quae cum exigua ad pulsum febre, et leuiori ad speciem morbo minime consentiunt, et sic porro **). Addunt non nulli, malignitatem contagione propagari; quod tamen perpetuum non est. Sunt etiam qui malignas cum putridis febribus confundunt, aut ex putridis peculiare genus conficiunt. Verum differt malignum a putrido, et quemadmodum malignitas febrium quarumcunque comes esse potest, sic putredo. *Contagiosa febris, et putrida.*

**) Vniuersa fere schola Monspessulana, vt auctor est Cl. LE ROY (*Melang. de Physiq. et Médecin. p.* 232.) febres omnes acutas, quo nomine classis continuarum grauium, et celerum comprehenditur, diuidit in *benignas*, et in *malignas*. Benignae sine periculosis symptomatibus incedere, malignae contra, nimirum vehementes, et valde periculosae, ibi passim dicuntur. Hae tamen, quia vere malignae dici nequeunt, ideoque a vere malignis quodam modo distingui debent, *malignae ratione symptomatum* a plerisque appellantur. Ceterum malignitate eo, quem supra posui, sensu accepta, nulla est propemodum febris, quae maligna interdum esse non possit. Maligna ephemera, maligna synochus, maligna quotidiana, tertiana, quartana tam intermittens, quam continua, maligna gastrica etc. non raro est; malignus quilibet alius morbus, vt pleuriris, morbilli, variolae, erysipelas, phlegmone etc. Malignitas enim, vt iam ostensum est, speciem, non genus constituit. In hac ipsa opinione, vtpote vero innixa, versatur etiam HAENIVS (*Ration. Medend. continuat. T.* I. *cap.* 2.), quamquam fortasse malignitatis vocabulum deinde

inde (*ibid. cap.* 3.) paullo latius, quam oportet, extendere videatur.

**) Sunt igitur quaedam quasi propria, ex quibus malignae febres, morbique maligni dignoscuntur. In primis subita, atque inexspectata illa virium deiectio, et symptomata, quam in affectu simili esse soleant, longe grauiora animaduersionem merentur. Vires autem prosterni in malignis morbis non modo animales, verum prae ceteris vitales dictae, solent; quas imbecillas esse vniuersi corporis languor, facilis, et frequens lipothymia, pulsus mox vel a principio valde debilis, vel cito languens, vel etiam cita, inopinataque mortis accedens imago patefaciunt. Opportune huc referri possunt quae in hanc rem habet HAMILTONIVS: *Non desunt*, inquit, *qui febres solummodo pestilentes, petechialesque opinantur malignis adnumerandas. Censeo tamen et alias, specie diuersas, malignarum classi debere referri. Primo, quascunque febres vel contactu, halituue, vel quauis alia contagione tralatitias; deinde et istiusmodi febres, quas statim ab initio dolor vehemens, et alicui parti affixus comitatur, videlicet capiti, aut intestinorum, renumque regioni, aut etiam artubus, pariter ac si aegrotus cephalalgia, vel dolore colico, aut nephritico, vel podagra, aut rheumatismo, vel etiam doloribus parturientis, tamquam originali morbo laborasset; cum tamen istiusmodi symptomata haud iis cessura sint remediis, quae, vbi morbi ita nominati primarii sunt, valere solent.* (Id Auctor in miliari febre saepe vidit; ego vero et in miliari maligna, et in variolis pessimi moris, aliisque perniciosis morbis non semel obseruaui). *Porro et in quibus spiritus animales subito opprimuntur, et deficiunt; et vbi praedicta symptomata a nulla caussa euidenti, sed a veneno latente pendere videntur: ab antiquis occultae qualitatis, a Neotericis vaporum nomine designato. Vel demum, vbi ex caussa, vt videtur, non absimili, spem salutis subitanea mors excipit. Quae omnia .... malignitatem ostendunt etc. De Prax. Regul. et Febr. miliar. p.* 46. Haec autem in vniversum de Malignitatis notis. Speciatim vero, vt ex SENNERTO, RIVERIO, SYLVIO, aliisque videre est, signa malignarum febrium, quarum diagnosis plurimum interest, sunt huiusmodi: Leuis *horror* praecedit, cui *calor* succedit, raro magnus, saepius mitior. *Vrinae* ab vrinis sanorum parum, vel nihil vt plurimum differunt.

Pulsus

Pulſus *frequens* quidem, ſed *parvus* ſimul, et *debilis*, et multimodis *inaequalis*, quandoque *intermittens*, aut *deficiens* eſt, interdum etiam rarior, et ſano ſimilis. Saepius *ſomnus*, aut *vetternus*, rarius *vigiliae* occupant. *Turbulenta inſomnia* crebro, corporis *inquies*, *cardialgia*, *nauſea*, quin *vomitus* frequenter excruciant, vt et *capitis dolor*, interdum *delirium*, aut *vertigo*, ſitis maior, quam *corporis*, et *faucium ardor* poſtulat. *Membra delaſſata* quaſi, et *fracta* ſentiuntur. *Biliosi*, *foetidique* alui *fluxus* accedunt. *Sanguis e naribus*, aut vtero *ſtillat*, vel vbertim *erumpit* ſubinde. *Sanguis ſolutus* appareat, et plerumque *concreſcere* neſcius. *Maculae* ad cutim, vel *veſiculae* efflorescunt multiformes; nec deſunt *tremores*, *ſubſultuſque* tendinum, et *conuulſiui motus*, itemque *tumores* plerumque glandularum, extremorum *frigus*, et *calor* ſibi ſuccedens; *ſudores* vel nimii, ſaepe ſymptomatici, atque inutiles vel interdum etiam omnino abſunt. Cl. SWIETENIVS (*in Boerhaav.* §. 950.) paucis febrium malignarum notas recenſet, vires nempe illico proſtratas, calorem mitiorem, ſaepe frigus extremorum, anxietatem magnam, pulſum celerrimum, debilem, maxime inaequalem ſub digitis medici interdum quaſi euaneſcentem, ſitim plerumque nullam. Nec abſimilia a ſupra memoratis ſunt ſigna malignarum febrium a SCARDONA (*De Febrib.* cap. I. §. VI.) tradita, videlicet ab initio imbecillitas, et deiectio virium; languor vniuerſi corporis cum pulſu debili, paruo, et quaſi deficiente; calor ad tactum mitis; vrina ſanorum ſimilis, et fallaciſſima quaedam ſpecies benignae febris, quae cum aegrotantes, tum medicos ipſos non ſemel deludit; progreſſu morbi intenſus calor, interior potius, quam exterior, parua ſitis, anxietates, vigiliae, deliria, conuulſiones, lethargi; in augmento et ſtatu corpus immobile, cutis maculis varii coloris foedata, profuſi ſudores, diarrhoeae, haemorrhagiae etc. Cl. LE ROY, etſi aliam de febrium malignitate opinionem, vt monuimus, habere videatur, tamen fateri cogitur, malignarum febrium complura eſſe ſymptomata, ſed modo haec, modo illa ex iis occurrere, imo ſaepe inter initia huiuſmodi febres ſic latitare, vt aegre diſcerni poſſint: frequentiora tamen et certiora eſſe inſolitam, et ſubitam virium deiectionem, pulſum vere debilem, qui ſcilicet compreſſioni non renititur, atque inaequalem; nauſeam, vomitum pertinacem, fluxum alui

ſeroſum,

ſeroſum, bilioſum, fluidiſſimum. His addi poſſe etiam faciem tumidam, ſurditatem ab initio, et ſoporoſos affectus (*Melang. cit. p.* 169. *et* 170.). Ex cauſſa communi eas fieri *epidemicas* cum pleriſque exiſtimat, ex ſingulari *ſporadicas*, et *priuatas*. Veneni nomine huiuſmodi cauſſam donari. Contagioſas modo eſſe, modo non contagioſas. Si epidemice graſſantur, plurimoſque enecant, et bubones, aut carbunculos, gangraenaſque afferunt; gradu tunc atrociores, peſti quodammodo ſimiles, *peſtilentium* nomen aſſumere; quarum ſummus gradus peſtis habetur, quamquam hodie vera Peſtis e febrium claſſe excludi ſolet. Quibuſdam *peſtilens*, et *maligna* febris vna eademque eſt; ſed commode gradu diſtingui poſſunt. Atque haec vberius fortaſſe, quam locus exigeret, de febrium malignarum diagnoſi dicta videbuntur; ſed eo conſilio id factum eſt, vt, quoties earum mentio in poſterum fiet; fiet autem ſaepe numero; quid malignitatis, et febrium malignarum nomine intelligendum ſit, quiſque continuo perſpiciat.

§. LIV.

Diuiſiones aliae ineptae.

Neque rectius diſpeſcuntur febres in ophthalmicas, anginoſas, phreniticas, peripneumonicas, pleuriticas, arthriticas, aliaſque a ſingularium partium inflammationibus oriundas. Nam, quia morbus primarius non eſt febris, ſed ipſa inflammatio, ideo perperam febribus ſingulares hi, peculiareſque morbi adnumerantur; quod iam veteres medici probe animaduerterant, cum huiuſmodi mala ophthalmias, anginas, pleuritides, peripneumonias, arthritides, et ſic porro appellare ſatius duxerint. Quod ſi SYDENHAMIO interdum placuit quaſdam febres nominare pleuriticas, peripneumonicas, dyſentericaſque, ſcire omnino licet, eum hiſce vocibus alia ſignificatione, quam ſumi ſoleant, vſum fuiſſe. Pleuritide enim, aut Peripneumonia, aut Dyſenteria epidemice graſſantibus cum ſaepe cerneret, febres ſubinde intercurrere, aut ſubſequi, quae eamdem prorſus curationem poſtulabant, quam Pleuritis, aut Peripneumonia, aut Dyſenteria, etſi

etsi nec pleuritis, nec peripneumonia, nec dysenteria eas comitaretur, aut gigneret, eas pleuriticas, peripneumonicas, dysentericas, vt peculiarem earum indolem significaret, quoniam communis, et stationarii morbi participes erant, vocandas censuit.

§. LV.

Nec probandus quoque est mos ille maiorum, quorumdamque nostrae aetatis Medicorum, qui febrium genera, et numerum ex peculiari aliquo symptomate, quod in iis manifestius se exserit, auxerunt. Quis enim non videat, symptoma quidem aliquod insignius gradum variare, aut varietatem facere, non vero febrem, nec genus, nec interdum speciem ipsam constituere? E generum ergo, et specierum numero expungenda videtur *Epiala* HIPPOCRATIS *a*), in qua frigus cum perpetuo rigore obtinet, itemque GALENI *b*), in qua aegri simul et calere, et frigere sibi videntur, licet exteriores partes caloris gradum, HAENIO obseruante *c*), naturali maiorem exhibeant. Quo ex symptomate etiam *horrificae* huiusmodi febres dicuntur. Exulet quoque *Lipyria*, in qua extrema, atque exteriora algent, interiora vero vruntur; *Assodes*, quam nausea summa, et perpetua corporis iactatio distinguit; *Typhodes*, quae cum ingenti aestu, et stupore coniungitur; *Causus*, siue *Febris ardens* *), in qua calor intolerabilis, et sitis inexplebilis hominem angit; *Elodes*, siue *sudorifera*, quod perpetuis sudoribus ea detentus diffluit, dicta; *Phricodes*, in qua medium aestum subitum frigus intercipit; *Lyngodes*, id est *singultuosa*, a singultu nomen habens, aliaeque similes **).

E febrium generibus expungendae, quae a symptomatibus appellantur.

a) *Epid. VI. p.* 1127. *edit. Foëſii.* *b*) *De Febr. different. cap. V.* *c*) *Rat. Medend. P. II. p.* 165.

*) *Cauſi*, ſiue *ardentis febris* meminit HIPPOCRATES (*lib.* 3. *epid. ſect.* 3. *Hiſt.* 1.) ſi Cl. LE ROY iudicio ſtandum eſt, vti vehementioris cuiuſdam febris gradus, non vti peculiaris alicuius febris, genere diſtinctae. Generatim enim hac voce vſus eſſe videtur, vt febres acutiſſimas, mortiferaſque ſignificaret. Paullatim vero factum eſt, vt *ardentes* demum a pleriſque vocarentur, quas *ſummus ardenſque calor*, *et ſitis inextinguibilis* comitatur (*Mémoir. 2. ſur les Fievr. aigües p.* 232., *et ſeq.*). Quare monet idem LE ROY, Prognoſtica HIPPOCRATIS ad febres ardentes ſpectantia vniuerſim de quacumque febre acuta intelligenda eſſe, non de peculiari ſpecie, quam ipſe nec poſuerat, nec indicauerat. Sunt tamen quaedam loca apud HIPPOCRATEM, quae docere videntur, ab eo deſcriptum ſub hoc nomine fuiſſe quandoque peculiare quoddam febris acutae genus, vt oſtendam in *nor.* * ad §. CCCCXIX.

**) De his procul dubio, nec iniuria, loquitur Cl. QVARINIVS, vbi ait: *plurimae apud Auctores ſunt febrium diuiſiones, ſed* FREINDIVS *aſſerit, ſymptomata ſaepius pro ipſis morbis curari, adeoque plures, quam natura fecit, morbos confingi a quibuſdam. Et* TISSOTIVS *notat enormem febrium catalogum medicinae progreſſibus obſtare, nullatenus vero morborum numerum augere. De medend. Febrib. cap.* 1. *p.* 4.

§. LVI.

Diuiſio in exanthematicas reprobatur.

Vitio non abſimili laborat alia febrium diuiſio, qua in *exanthematicas*, et *non exanthematicas* a quibuſdam partiuntur, qua partitione febribus perperam accenſentur morbi, qui minime ad eas pertinent, aut febrium ſymptomata, et accidentia pro tot febrium generibus accipiuntur; quo fit, vt febrium numerus praeter naturae modum immodice increſcat. Nam exanthemata vel primaria, ſiue, vt vocant, eſſentialia ſunt, vel ſecundaria. Primi generis vniuerſim habentur variolae, morbilli, purpura ſcarlatina, vrticata, interdum miliaris, et peticulae, et plerumque eryſipelas, aliique morbi exanthe-

anthematici, quos febris modo antecedit tantum, modo etiam comitatur, modo nec antecedit, nec comitatur, imo quandoque, exanthematis facta eruptione, febris, si qua anteceſſerat, prorſus deſerit, et nihilo tamen minus exanthema, siue morbus primarius permanet, et, prout eius fert natura, pergit ad ſuum terminum decurrere. Iſtiuſmodi morbi, etſi plerumque febriles, a Clinicis prudentioribus, Noſologiſque peritioribus e febrium claſſe excluduntur, et quidem iure optimo. Ad ſecundaria vero exanthemata quod attinet, haec, meo quidem iudicio, diſtingui debent in critica, in ſymptomatica, atque in epigenomena, prout nimirum morbum, cui ſuperueniunt, vel leuant, et ſoluunt, vel nec leuant, nec ſoluunt, aut deteriorem reddunt, vel cum priore morbo, cui accedunt, vti nouum malum ſuperueniens complicantur; nempe quando exempli cauſſa variolae, aut morbilli, aut miliaria puerperio, aut febri cuicunque ſe ſe immiſcent. Primaria iterum nec critica, nec ſymptomatica proprie dici poſſunt, quia alias *criticum*, *ſymptomaticum*, et *morbus* vnum, idemque eſſet, quod contradictionem inuoluit, ſed rectius benigna, regularia, vel maligna, atque anomala appellanda ſunt; cum critica eſſe, vel ſymptomatica ſecundariis tantummodo*) conueniat. Itaque ſi primaria exanthemata a febrium generibus ſecernenda ſunt, quanto magis ab iis aberunt ſecundaria, vti peticulae, et miliaria, quae febrium accidentia ſunt? Notum enim eſt, peticulas, miliaria, aliaque exanthemata quibuſcumque febribus tam continuis, aut remittentibus, quam intermiſſionem habentibus cuiuſque typi interdum ſuperuenire, earumque gradus, complicationes, aut differentias quaſdam facere, quin genus ipſum febris quidquam mutetur. Ideoque cum ſingulis fere febribus com-

munia esse possint, non genus aliquod peculiare, et multo minus classem vllam, quae ex variis generibus notam fixam, et stabilem communem habentibus constitui solet, vnquam efficient. Exanthemata autem, cum instabilia, ac incerta sint, et modo adesse, modo abesse possint, notam huiusmodi communem, qua in classem febres coalescant, praebere nequeunt. Alias vnum idemque genus ad vtramque classem spectaret.

*) Si ad huiusmodi distinctiones ab ipsius naturae finu petitas animum aduertissent Medici Vindobonenses, nec *criticum*, et *symptomaticum* in alium, quam decet, sensum adhibuissent, nulla inter ipsos de exanthematis, an nempe critica, aut symptomatica, cum febribus superveniunt, dici debeant, disceptatio, ceterum interminabilis, exorta esset.

§. LVII.

Nec Hippocratis arridet diuisio.

Neque pro peculiaribus febrium generibus aut speciebus habendae illae sunt, quas HIPPOCRATES *a*) vocauit *mordaces*, in quibus nimirum calor manum tangentis quodammodo mordet, et pungit; aut *mites*, in quibus calor mitior est, et non ita mordax, nec ita acer. Neminem quippe fugit, varium caloris gradum varietatem solummodo facere; quantitatis enim diuersa ratio, vt conuenit inter omnes, per se nec genus, nec speciem mutat, nec facit. Idem dicendum arbitror de iis, quae apud eumdem Medicinae parentem dicuntur *increscentes*, *acutae*, *ardentes*, *rubicundae valde*, *praepallidae*, *liuidae etc.* Vt enim tres priores gradum intensionis, et magnitudinis dumtaxat enuntiant, sic posteriores coloris varietatem vnice exprimunt. Nemo autem a magnitudine, aut intensione, aut a coloris variatione sua genera, si de febribus sermo sit, duxerit, confeceritque.

a) *Epid. l. VI.*

§. LVIII.

GALENVS *essentiales* febrium differentias a *subiecto*, quod vocant, caloris morbidi, vnde febres oriri putabat, deducendas existimauit. Quod vero eas deinde non a calore, in quo praeter naturam auctо *essentiam* febris (§. IV.) posuerat, petere voluerit, vitio sane ei vertitur a non nullis. Verum ipse, postquam iuxta HIPPOCRATIS mentem differentias a calore ductas recensuit, videtur satis bene se purgare hisce verbis. *Differentiae vero caloris, et ex eo quod maioris, minorisque rationem admittat, sumuntur, et ab ipsa materia, in qua calor ille praeter naturam existit, et ab ipso mouendi a) modo.* Et statim in sequenti textu addit: *Quae vero differentiae a materia sumuntur, in qua calor ille praeter naturam consistit, maxime propriae caloris praeter naturam differentiae sunt: siue corpus ipsum cordis prehenderit, siue humores conditos in ipsius ventriculis.* Quare omnes, quotquot eius vestigiis institerunt, vniuersam febrium multitudinem diuiserunt in *Ephemeras*, *Hecticas* et *Humorales*, priores a spiritibus *), alteras a solidis partibus praeter naturam incalescentibus, postremas ab humoribus putrescentibus deriuantes. Ideo has etiam *putridas* generatim nominarunt. In his porro calorem a putredine humores non quidem vniuersos, sed ex parte tantum corrumpente proficisci credebant. Perfectam enim, atque absolutam putredinem nec in fluidis, nec in solidis partibus existere posse, vita superstite, probe nouerant. *Differentiae Galenicae.*

a) *De Differ. febr. l.* 1. *cap. I. text.* 4.

*) GALENVS (*De diff. febr. l.* 2. *cap.* 9.) ephemeras fieri a sanguine nec putrescente, nec *putrefacto*, sed *tantummodo calefacto* docuit; ab hoc vero *calefieri spiritus*, et sic ephemeram gigni.

§. LIX.

Differentia a peculiari humore putrescente quaenam?

Cumque in *humoralibus* febribus varia caloris *subiecta*, nempe totidem, quot humores agnoscere cogerentur: alias, atque alias pro *subiectorum* putrescentium diuersitate earum diuisiones instituerunt. Hinc a sanguine putrescente *Synocham* siue *Synochum*; a bile *Tertianam* intermittentem, continuam, et *Causum;* a pituita salsa, acida, et vitrea *Epialam;* ab insipida, *Quotidianam* tam continuam, quam intermittentem; a melancholia *Quartanam*, et *Tetartophyam;* a bile, et pituita simul mixtis *Hemitritaeum*, siue *Semitertianam* oriri asserebant*). Verum facile cuiquam rem perpendenti constabit, putredinem, ipsis etiam fatentibus, tantam in eiusmodi febribus non esse, quae calorem febrilem excitare possit; vtpote qui interdum tantus plane est, vt ab ea nullo deriuari modo queat; deinde hypotheticum, fictitiumque videri, spiritus modo, modo totum habitum excalescere; vel hunc, vel illum humorem peculiarem putrescere, atque adeo hoc, vel illud febris genus putrescendo mouere; demum nullam intercedere connexionis rationem inter pituitam v. gr., et Quotidianam, inter melancholiam, et Quartanam etc., quando etiam quatuor illos humores, quales Galenici in sanguine, et corpore animali confinxerunt, existere reuera concederemus. Praeterea, cur, quaeso, vna eademque febris intermittens multiplici adeo ratione variatur, vt modo quotidiana in tertianam, mox in quartanam; modo tertiana, aut quartana in quotidianam vertatur, et saepissime eiusmodi vices subeat, si vnus cuique febris generi tantum humor dicaretur? Quem porro humorem Quintanis, Sextanis, Septanis, Octanis, Nonanis aliisque longiora interualla habentibus assignabunt? Num eas, vt obiectionem effugiant, cum GALENO in dubium reuocare audebunt?

bunt? At obstant innumera Auctorum fide dignissimorum testimonia; obstat perspicacissimi, atque in rebus diiudicandis viri longe celeberrimi, MORGAGNII nostri auctoritas, vti infra (§. LXIV.) patebit.

*) Antiquam esse opinionem, ait GALENVS (*De differ. febr. l. 1. cap. V.*), *omnem febrem consistere ex humorum putredine*, et in ea versari eos, *qui* ab *Athenaeo fluxerunt*, non obscuros quidem viros *in hac arte*. Sed ipse ibi excipit *Diarias, siue Ephemeras.*

§. LX.

Quas ob res dimissis huiusmodi febrium diuisionibus, et differentiis, praeteritisque aliis bene multis *), quae licet a probatissimis scriptoribus proferantur, non tamen pluris, quam superiores, aestimandae nobis videntur, ad eas continuo transeo, quae mihi magis probantur. Probantur autem diuisiones, quae e naturae ipsius quasi sinu promuntur, et certis quibusdam notis, quae primo statim adspectu obseruanti se offerunt, sensibusque nostris subiectae sunt, adhaerent **). Si enim ex symptomatum obseruatione peti debeant, quemadmodum non nulli volunt, non nisi morbo iam prouecto, atque adulto innotescent, quia saepe symptomata, vnde desumendae sunt, inter initia non protinus exseruntur. Ac primum quidem compertum est, omnes, quotquot existunt, febres vel toto sui cursus tempore continenter durare, vel aliquod subinde spatium relinquere a febre vacuum. Priores a CORNELIO CELSO *assiduae*, a nostris *continuae*; posteriores *intermittentes* appellantur. Prima ergo, et generalissima omnium febrium partitio erit in *continuas*, atque *intermittentes* ***). *Differentiae rationi magis consonae.*

*) Scriptor Anonymus in Tractatu *de curatione generali febrium*, diuidit febres in *inflammatorias*, *intermittentes*, et

et *neruosas*. Sed deinde reiectis *inflammatoriis*, vt symptomaticis, retinet tantummodo reliqua duo genera, *intermittentium* videlicet, et *neruosarum*; sub quorum primo comprehendit etiam *remittentes*. At *remittentes* verae, et primariae non recte sub genere intermittentium, quantum equidem iudicare possum, comprehenduntur, quia, vt iure animaduersum est a GORTERIO (*Compend. Med. Tract.* 52.), et natura, et caussa, et curationis modo ab intermittentibus omnino differunt; quod infra patebit. Neruosarum quoque genus ita late extendit, vt nulla per ipsum sit febris non intermittens, quae *neruosa* non habeatur. Qua in re quantum a vero discedat, quisque intelliget ex iis, quae deinceps dicentur; nisi velit omnes febres neruosas esse, quia nerui in ipsis afficiuntur: sed tunc etiam *intermittentes* neruosis erunt adnumerandae. Praeterea idem Anonymus excludit *continentes* omnes, quod minime ab aliis conceditur, nec reapse concedi potest, vt suo loco ostendetur. *Comm. Med. e Filosof. d'Edimb. T. I. P. I. cap. V. ed. Ven.* Video etiam a quibusdam diuidi febres in *intermittentes*, in *inflammatorias*, in *putridas*, atque in ex his *compositas*. Verum complures sunt febres, quae neque intermittunt, neque *inflammatoriae*, neque *putridae* vere sunt, saltem eo sensu, quo hodie huiusmodi voces accipiuntur. Quo igitur loco eas disponendas iudicabunt?

**) Non desunt, qui diuisiones febrium ab earum *essentia*, aut *a caussis* deducunt. Sed *essentia* febrium, et caussa efficiens non vna est omnibus, variatque prout variant theoretica systemata medicorum. Cum igitur hypothesim sapiant huiusmodi diuisiones, incertis omnino, et dubiis innituntur fundamentis, multisque erroribus occasionem suppeditant. TODIVS etiam, vir alioquin doctus, atque illustris (*Specim. inaugural. de duplic. febr. indole. Hafniae* 1769. *p.* 19. *et seq.*) laudat diuisionem a caussis, atque a curandi ratione ductam, quam Britanni plerique, vt GREGORYVS, HOMIVS, WHYTTIVS, HVXHAMIVS, FORDYCIVS, BROCKLESBYVS, PRINGLIVS, aliique amplexi sunt. At caussae, in primis internae, quas hic intelligunt, vel penitus latent, vel obscurae, et dubiae, aut hypotheticae, vt dicebam, plerumque sunt. Si vnquam tamen sciri possunt, quod interdum euenit, externis facem praeferentibus, hae potius generum, et specierum differentias efficient, quam summa diuisionum capita; et sic dirigendae

gendae curationi opportuna erit earum cognitio. Nec nuperrima febrium diuisio, quam dedit JOHANNES VEISZ in *Tentamine inaugurali Pyretologiae practicae Vienn.* 1780. edito, in *inflammatoriam, biliosam, pituitosam, variolosam, morbillosam, intermittentem etc.* magis arridet; quia nimis hypothetica est, adeoque fallax, vtpote magnam partem a caussis desumta. Accedit, quod variolae, morbilli, aliique morbi exanthematici febriles febrium numero perperam adscribuntur.

***) Olim febres intermittentes ab anni temporibus dividebantur in *vernales*, et in *autumnales*, id quod fecerunt post SYDENHAMIVM plerique alii, et faciunt adhuc. Hodie vero etiam *continuae* ratione anni temporum, quibus infestant, diuidi passim solent in *vernales, aestiuas, autumnales*, atque *hiemales*, siue *hibernas;* non quidem, vt egò arbitror, quod illae ipsae, quae sunt Ephemerae, aut Synochi, aut Gastricae, aut Tritaeophyae in vna anni tempestate, in alia aliam naturam acquirant, et *essentialiter* discriminentur, (sunt enim semper eaedem) sed quod exiguas subeant varietates cum ob caussas manifestas, vnde gigni videntur, tum ob modum, et rationem, qua soluuntur. Hinc cuilibet generi adiicitur epithetum denotans tempus anni, quo ab aliis eiusdem generis, sed temporis diuersi distinguantur. Sic PRINGLIVS, exempli caussa, *febrem* quamdam, quam a caussa *biliosam* appellauit, a tempore vocat *remittentem aestiuam*, aut *autumnalem*, quae nimirum aestate, aut autumno infestat, et corripit, et sic deinceps. Obseruatum reapse est, eas febres, quae verno tempore ingruunt, plerumque, at nequaquam semper, cum diathesi sanguinis inflammatoria coniungi; quae aestiuo, cum bile deprauata copulari, aut ab eadem proficisci, et magis ad putridam naturam vergere; quae vero autumno, tam a flaua, quam ab atra bile foueri; hiemales demum catarrhalium, et rheumaticarum indolem potius, frequentiusque assumere. Quam ob caussam GRANTIVS (*Recherch. sur les fievr.*) vernales *inflammatorias*, aestiuas *biliosas*, autumnales *atrabilares*, hiemales *pituitosas* esse vniuersim putat. Verum diuisio haec a quaternis, fictitiisque veterum humoribus capta nec tuta est, nec falsi expers. Adde, hiemales a PRINGLIO non *pituitosas*, sed *inflammatorias*, sanguineasque habitas, curatasque fuisse.

§. LXI.

Continuae diuiduntur in continentes, remittentes, et compositas.

Cum vero continuarum motus in quibusdam aequabilis sit, et pene vniformis, in aliis dispar, et modo inualescens, et modo certis interuallis subsidens, sic vt aliae vno fere circuitu contineri, et toto sui cursus tempore eumdem ferme motus tenorem obseruare videantur; aliae vero, etsi nullam intermissionem habeant, statis tamen quibusdam temporibus se se remittant, et iterum ingraveſcant, quasi ex pluribus circuitibus plane distinctis *) constarent: sequitur natura ipsa praemonstrante, vt continuae febres perspicuitatis caussa subdiuidi adhuc debeant in *continuas simplices*, siue vnius circuitus, et in remittentes, siue ex pluribus circuitibus nulla intermissione discretis coalescentes, aut *compositas*. Illae peculiari nomine *Continentes* **), item *Concluſae* a nostris, a Graecis *Synochi* vocari solent; hae *Remittentes*, aut *Synecheae*.

*) GALENVS (*de Differ. Febr. l. 2. cap. 2.*) *Continuarum vero*, inquit, *quae ex flaua bile consistunt, duplex genus est: vnum quidem earum, quae Synochi, id est continentes appellantur, quarum omne tempus vna accessio est ab initio vsque ad finem. Alterum earum, quae nomine generis continuae dicuntur, et multis particularibus circuitionibus continentur.*

**) Continentium vniformitas huiusmodi tamen est, vt pro vario decursus tempore ipsae vicissitudinibus, quibus reliqui acuti morbi subiiciuntur, non careant. Initio enim mitius affligunt, progressu ingraueſcunt, deinde eodem ferme in gradu persistunt, demum inclinant, et deferueſcunt, donec sensim desinant. Interdum alio incedendi modo circuitum suum absoluunt. Nam aut in eodem ferme gradu permanent, aut semper increſcunt, aut post primum impetum in dies remittunt, donec ad finem perueniant; quod in primis veteres tum vsuuenire memoriae prodiderunt, quando breuiores sunt. Quocunque autem modo processerint, vna ferme accessione eas contineri perhibent; quanquam non desint Medici percelebres, inter quos CVLLENIVS (*Gener. Morb. cl. 1. ord.*

ord. I. *sect.* I.) et ANONYMVS Anglus (*Comm. Medic. e Filos. d'una Comp. de' Med. d'Edimb. T. I. P. I. cap. V.*), et BRENDELIVS (*De febr. partic.* §. *V.*), aliique, qui febres *continentes* exiſtere negant. Nos vero cum GALENO eas non modo ponimus, verum etiam propugnamus. Qua vero ratione huiuſmodi vox accipi debeat, et quae continuitas his tribui poſſit, dicemus tum, cum ſpeciatim de hac febrium parte agendum erit.

§. LXII.

Acceſſiones autem, circuituſque, ex quibus conſtant *Remittentes*, vel ſtatis, et certis quibuſdam horis, diebuſue redeunt, vel vagis, inordinatiſque. Si primum, *continuae periodicae*, et prout ſingulis, vel alternis, vel quartis diebus exacerbantur, *quotidianae*, aut *tertianae, quartanae continuae* dicuntur: ſi alterum, *erraticae.* Hoc ipſo nomine *periodicarum*, aut *erraticarum* donantur *Intermittentes* etiam, prout ordinatis acceſſionibus, aut vagis, et ſine vllo typo, aut ordine ſuas vices obeunt. Hinc (§. LX. LXI.) ſponte veluti ſua profluunt illae tres principes differentiae febrium, *Continentium* videlicet, *Remittentium*, et *Intermittentium*, quas veteres non modo, ſed poſteriores *) etiam propria experientia iam cognouere. De ſingulis autem generibus, et ſpeciebus, quae ad quamque earum pertinent, accuratius, diſtinctiuſque agam deinceps ſuis locis. His tribus quartam differentiam adiungi aequum eſt, quae *Compoſitas*, ſiue, vt alii nominant, *Proportionatas*, ſiue *Complexas*, aut *Complicatas* comprehendit. Frequens enim obſeruatio eſt Clinicorum, febres quaſdam perſaepe occurrere, quae ex continuis, et intermittentibus, aut ex continuis ſimplicibus, et remittentibus multifariam coniunctis, et confuſis coaleſcunt. Has igitur cum earum praecipuis differentiis quarto loco exponemus.

Remittentium differentia generatim.

Differentiae Intermittentium.

*) In

*) In posterioribus non vltimum obtinent locum JENSENIVS, HAENIVS, SAVVAGESIVS, LINNAEVS, VOGELIVS, aliique non pauci ex nostratibus.

§. LXIII.

Ordo, quo febres omnes explicabuntur.

Sic in quatuor omnino partes commodissime ab ipsa natura diducitur vniuersa febrium cohors. Quoniam vero ordinis ratio, quo res pertractantur, plurimum habet vtilitatis, et saepe etiam discentibus adiumento est, exordiar primum ab *Intermittentibus*, deinde ad *Continentes* descendam; ab his ad *Remittentes* progrediar, et demum *Compositas* persequar, vt totam febrium tractationem absoluam. Hunc enim ordinem tironibus commodiorem esse censeo, praestantioremque alio quocunque, vtpote qui a simplicioribus, notioribusque febrium generibus ad magis composita, aut obscuriora, aut minus perspecta gradum facit, et manu veluti ducit. Profecto si quis attente considerarit seorsum vnamquamque intermittentis febris accessionem, et multo manifestiora eius tempora, initii, augmenti, et remissionis, imaginem breuissimae, et simplicissimae febris omnibus numeris absolutam sibi comparabit. Deinde si mentem conuerterit ad febres *continentes*, quae pariter vna accessione continentur, videbit inter vtramque summam affinitatem incessus, et progressionis, hoc solo discrimine, quod in continentibus accessionis tempora, nempe initium, augmentum, et remissio non ad horas aliquot, sed ad dies plures, hebdomadasque producuntur, neque febris, cum semel finem attigerit, redit per vices, vt intermittens. His animaduersis, si sibi fingat, intermittentium accessiones sibi ipsis appropinquari, contiguas fieri, et coniungi, expeditissimum ei erit in *Remittentium* notitiam penetrare. Nec valde laborabit, vt quae ex tribus illis generibus fiant complicationes, intelligat.

PARS

PARS PRIMA.
DE FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS.

§. LXIV.

Febris quando ita accedit, deceditque, vt inter vnam, alteramque acceſſionem vera, et perfecta integritas relinquatur, tunc intermittentis, vt ſupra dictum (§. LX.) eſt, nomen adipiſcitur. Varia autem ſunt genera intermittentium, a vario typo, ſiue ordine acceſſionum, integritatiſque profecta. Si enim quotidie acceſſiones fiant, ſibique et tempore, et gradu, et duratione reſpondeant, *Quotidianam;* ſi alternis diebus ſolum, *Tertianam;* ſi quarto quoque die, *Quartanam* efficiunt. Haec praecipua, et frequentiora earum genera peculiarem poſtulant animaduerſionem, ſic vt de ſingulis ſeorſum agere oporteat. Non deſiderantur tamen apud Medicos exempla *Quintanae, Sextanae, Septanae, Octanae, Nonanae,* et longioribus etiam intervallis diſcretarum; quamquam GALENVS *a*) praeter *Quintanam* et quidem obſcuram, nullam aliam viderit vnquam, et WERLHOFIVS *b*), et SENACIVS *c*) propendere videantur ad opinandum, eas vel erraticas febres eſſe, vel ad tertianas, et quartanas, quarum acceſſio aliqua deficiat, atque intermittatur, modo anticipantes, modo poſticipantes referendas eſſe; ex eo fortaſſe quod eorum hypotheticae typorum explicationi non viderint, qua ratione accommodari poſſent *). Sed, vt recte animaduertit MORGAGNIVS *d*), febres *longiora* *Varia genera intermittentium.*

inter-

interualla habentes, quoniam saepe Quartanis succedunt, non ideo pro *Quartanis habendae* sunt, quarum longiora reddita sint *interualla*, *nisi Quartanas pariter*, *cum succedunt tertianis*, *pro Tertianis*, *quarum tardiores facti sint reditus*, contra ac iam constitutum est, *habere velimus*.

a) *De diff. febr. l. I. cap. V. sub fin.* *b*) *Obseruat. de febrib. sect. VI. §. IV.* *c*) *De recondit. febr. intermitt. et remitt. natura l.* I. *cap.* I.

*) GALENVS fictitias fortasse habuit *sextanas*, *septanas*, *octanas*, *nonanas etc.* quod nullus ei humor supereesset, cuius putredini earum originem tribueret. WERLHOFIVS vero desperabat, se earum periodos explicare posse ex aliqua earum hypothesium, quas ipse memorat, et potissimum ex aestu aëris interni, et externi, aestui maris non absimili, quem ad explicandas aliarum periodicas reversiones commodiorem, probabilioremque reputauerat. SENACIVS denique ideo de iis ambigebat, quia eas nunquam viderat, quasi necesse sit, vnum hominem cuncta, quae paucis videre contingit, vidisse.

d) *De sed. et caus. morb. epist.* 49. *n.* 36.

§. LXV.

Ne tamen quis sibi persuadeat, me hic plus auctoritate, et probabili argumento pugnare, quam factis, et experientia, quae vna in hac quaestione consulenda est, non omittam in rei confirmationem testimonia producere clinicorum, quibus, vt opinor, sic euincam, vt nullus locus de huiusmodi febribus dubitandi sit reliquus. Quod dum praestare aggredior, si copiosiora, et plura, quam soleo, videar monumenta conquirere, nolim id affectatae cuiusdam eruditionis studio, a quo vehementer abhorreo, sed rei ipsius dignitati tribuatur.

Quintanae, sextanae, septanae etc. Itaque *Quintanam*, *Septanam*, et *Nonanam* HIPPOCRATES *a*) memorauit. *Quintanae* etiam TVLPIVS *b*) in chirurgi cuiusdam filia octodecim mensibus distinctissimo, et numquam intermisso circuitu perdu-

perdurantis mentionem facit; eamdem multoties vidit AVICENNA *c*), aliquando etiam GEMMA *d*), WERLHOFIVS *e*), SWIETENIVS *f*), FORESTVS *g*), TISSOTIVS *h*), SACHSIVS *i*), PANAROLVS *l*), MARCELLVS DONATVS *m*), IO. ARCVLANVS *n*), aliique *o*). *Sextanae*, et *octanae* exempla referuntur in *Ephemeridibus Naturae curiosorum p*). *Sextanam*, etsi rariſſimam omnium, vt a ſe viſam, et totam per hiemem ordinatos circuitus habentem deſcribit ZEVIANIVS *q*), et ante eum GENTILIS teſtatur a ſe quoque obſeruatam *r*). *Septanam* non modo HIPPOCRATES *s*), verum etiam THOMAS A VEIGA *t*), SPONIVS *u*), RHODIVS *v*), BOERHAAVIVS *x*), MORGAGNIVS *z*), WERLHOFIVS *y*), TISSOTIVS *&*) commemorant. *Octana* crebrius occurrit, eamque obſeruarunt SIM. SCHVLTZIVS *aa*), diuturnam, atque exquiſitam in Judaeo AMATVS LVSITANVS *bb*), PETR. SALIVS DIVERSVS *cc*), BALLONIVS *dd*), ETTMVLLERVS *ee*), PAVLINIVS *ff*), POMP. CAIMVS *gg*), CAPRILIVS *hh*), SPONIVS *ii*), NIGRISOLIVS *ll*), SALMVTHVS *mm*), WERLHOFIVS *nn*), RIEDLINIVS *oo*), HAENIVS *pp*), TISSOTIVS *qq*), HAGENDORNIVS *rr*), RAZOVX *ſſ*), atque alii complures. *Nonana* poſt HIPPOCRATEM non praeteruiſa eſt a ZACVTO LVSITANO *tt*), a WERLHOFIO *uu*), atque ab AVICENNA, qui tamen de ea meminit ex fide amici cuiuſdam *vv*). *Decimanam* biennium durantem refert idem ZAC. LVSITANVS *xx*), et GILB. ANGLICVS *zz*); *Quindecimanam* GENTILIS, teſte NICOLAO FLORENTINO *yy*), RHASES *a**), BALLONIVS *b**), NIGRISOLIVS *c**), et quod mirum eſt, ipſe WERLHOFIVS tam *Quatuordecimanam*, quam *Quindecimanam* propria obſeruatione confirmat *d**). Nec de his dubium vllum cuiquam ſupereſſe poteſt, vtrum certa, et conſtanti periodo vere tales ſe ſe oſtenderint.

a) *Epid.*

a) *Epid. l.* 1. *sect.* 3. *text.* 2. *b*) *Observ. medic. l.* 3. *c.* 52. *c*) *Canon. l.* 4. *Fen.* 1. *tract.* 2. *c.* 67. *d*) *Cosmocrit. l.* 1. *cap.* 1. *e*) *De febrib. sect. VI. §. IV. f*) *Comm. in Boerh. §.* 746. *g*) *Obs. et curat. medic. l.* 3. *observ.* 43. *h*) *Avis au Peupl. T. I. chap. XVIII. §.* 251. *edit. Lausan.* 1766. *i*) *Nov. Act. Nat. Curios. T. I. observ.* 98. *p.* 388. *l*) *Observ. med. Pent.* 2. *observ.* 45. *m*) *De med. hist. mirab. l.* 3. *cap.* 14. *p.* 191. *et seq. n*) *Comment. in Auicen. text. supracitat. o*) *Ephem. N. C. Cent.* 1. *p.* 196. *et Append. Cent. VII. p.* 308. *p*) *Cent. VIII. observ.* 10. *q*) *Nuovo Font. da cavar prognostic. P.* 1. *pag.* 27. *r*) *Comment. ad Text. Auicen. supralegat. s*) *l. c. t*) *Comment. in cap.* 4. *l.* 2. *De differ. febr. Galeni. u*) *Observ. de febr. quaestion.* 9. *v*) *Cent.* 1. *Observ. observ.* 18. *x*) *Sievieten teste in comment. l. c. z*) *De sed. et cauff. morb. epist.* 49. *n.* 36. *y*) *l. c.* &) *l. c. aa*) *Apud Bonet. Med. septentr. T.* 2. *l.* 5. *p.* 194. *et Miscell. N. C. ann.* 4. *et* 5. *p.* 58. *bb*) *Cent. VII. curat.* 75. *cc*) *Annot. in lib. Donat. Ant. ab Altomare de med. human. corp. malis cap.* 12. *dd*) *Epid. et Ephem. l.* 2. *constit. vern. et aestiv. ann.* 1576. *§. XIV. ee*) *Oper. omn. T.* 2. *P.* 1. *Colleg. Practic. prax. spec. l.* 1. *sect.* 15. *cap.* 2. *p.* 255., cui eam videre contigit quouis die veneris redeuntem. *ff*) *Ephem. N. C. Dec.* 2. *Ann.* 5. *append. p.* 39., *observ.* 64. *gg*) *Rhod. observ. citat. hh*) *De febr. putrid. l.* 2. *ii*) *l. c. ll*) *Ad Sponium not.* 3. *mm*) *Cent.* 3. *observat.* 13. *nn*) *l. c. oo*) *Lin. med. ann.* 4. *Decembr. obs.* 18. *pp*) *Diuis. Febr. diuis.* 4. *p.* 9. *qq*) *l. c. rr*) *Cent.* 2. *obs.* 57. *ss*) *Tabl. Nosolog. et meteorolog. Avril.* 1759. *p.* 150. *tt*) *Prax. Med. l.* 3. *obs.* 34. *uu*) *l. c. vv*) *l. c. xx*) *l. c. zz*) *Compend. de Febr. l.* 1. *yy*) *Tr.* 2. *summ.* 4. *distinct.* 5. *cap.* 5. *a**) Referente Foresto *l.* 3. *observ.* 43. *schol. pag. m.* 170. *b**) *l. c. c**) *l. c. d**) *l. c. §. XXXIV.*

§. LXVI.

Bimestres, Trimestres, Annuae.

Hos vltra fines (§. LXIV. LXV.) quae excurrunt, longioresque adhuc periodos obeunt, vti *menstruae, bimestres, trimestres, annuae*, aliaeque huiusmodi febres, ab Auctoribus recensitae non videntur hic locum habere, quia rectius fortasse ephemeris aequiparantur. *Menstrua* mulieribus circa catamenio-rum tempus, viris vero imminente haemorrhoidum fluxu

fluxu obuenire consueuit; quanquam citra hasce causas incidere eam quandoque, auctor est SANCTORIVS *a*). *Trimestrem* alii non pauci meminerunt. Hac circa magnas anni temporum mutationes corripi solebat BALLONIVS *b*), qui non nulla etiam *annuae* exempla euulgauit. *Annuam* etiam ab HAENIO *c*) curatam legimus.

a) Refer. HAENIO *Thes. de febr. diuision. diuis.* 4. *pag.* 10. *b*) *Consult. medic. l.* 1. *n.* 48. *c*) L. *c. pag.* 10. §. 14.

§. LXVII.

Quaenam *periodicae*, et quaenam *erraticae* dici soleant, supra (§. LXII.) indicatum est. *Periodicae* videlicet certum accessionum ordinem, certamque periodum obseruant; contra *erraticae* nulli se ordini, aut typo obstringunt, sed de vno in alium saltitant: ad quas spectare videntur *vagae*, illae nempe, quae inter erraticas magis adhuc errant, et nullius typi similitudinem vnquam retinent. Quemadmodum vero typi ratio ordinata, vel inordinata *periodicas*, vel *erraticas* facit, sic partium, quas febris prehendit, et tenet, diuersitas nouum genus discriminis affert. Nam quamuis vt plurimum febris totum corpus occupare consueuit, et ideo morbus *vniuersalis* habeatur, interdum tamen vnam tantum partem, quod quidem rarissimum est, corripit, afficitque. Hinc *intermittentes febres* possunt dispertiri in *vniuersales*, et in *topicas*, siue *particulares*. In his posterioribus, vt testes sunt CNOEFFELIVS *a*), JACOBAEVS *b*), BERGIVS *c*), SWIETENIVS *d*), aliique, modo brachium vnum, modo crus, modo hypogastrium, modo dimidium corporis periodice omnibus, aut plerisque intermittentium febrium symptomatibus corripi, et infestari, nouum non est, nec insolens. Ad hoc *topicarum* genus omnino transferri debent etiam illae,

Periodicae, Erraticae, Vagae.

Vniuersales, et particulares, siue topicae.

Laruatae. quas *laruatas* non nulli vocant. Dicuntur autem *laruatae*, quod sub aliorum specie morborum sine vlla sensibili febre, saltem quae vniuersum corpus comprehendat, periodice recurrunt; cuiusmodi sunt hemicraniae periodicae, ophthalmiae, odontalgiae, dolores colici, cardialgiae, asthmata, epilepsiae, hysterismi, chorea S. Viti, aliique affectus typum quotidianum, tertianum, aut quemcunque alium habentes; quanquam, si libere loquar, hi ad morbos potius periodicos, quam ad febres reduci soleant. Quia tamen vt febres intermittentes corticī peruuiano cedunt, et in parte, in qua insident, febrilia saepe symptomata percipiuntur, motus v. c. arteriarum auctus, dolor, calor, tremor, aliaque huiusmodi; idcirco pro *laruatis* febribus et *topicis* haberi quodammodo possunt.

a) Ephem. N. C. dec. 1. *ann.* 3. *observ.* 205. *pag.* 381. *b) Act. Haffniens. Vol. I. observ.* 119. *c) Act. Suecic. Vol. XVI. Trimestr.* 4. *d) L. c.* §. 757. *Medic. Essays T.* 1. *pag.* 295. *et T.* 2. *p.* 305. *Journ. de Méd. T. XXIV. p.* 60. *etc.*

§. LXVIII.

Diuisio in vernales, et autumnales. Sed quocunque demum ordine, aut modo procedant febres intermittentes, ab anni certe tempore, quo potissimum incipiunt, aut frequentiores sunt, aliae *vernales*, aliae *autumnales* dicuntur. Illae, adnotante SYDENHAMIO, a Februario ad Augustum, hae ab Augusto ad Februarium extenduntur; atque vti vario plerumque more, et symptomatum apparatu differunt, sic varium etiam exitum, variumque durationis tempus habent. *Vernales* passim mitiores, breuioresque habentur; quanquam neque semper, neque omnes tales reuera sunt: *Autumnales* contra grauiores, diuturnioresque. Vtraeque autem sibi inuicem succedunt, adventuque suo plerumque, at non semper, se mutuo fugant.

fugant. Vidi enim saepenumero vernalibus exorientibus autumnalium symptomata adhuc caput efferre; aut autumnalibus ingruentibus vernarum naturam seruari. Ab ipsa quoque obseruatione petita est alia distinctio harum febrium in *depuratiuas*, vt loquuntur, siue *perfectiuas*, et in *corruptiuas*. Priores ideo sic appellantur, quia sanguinem a febrili fomite, siue materie in quauis accessione ita liberant, vt eiusdem nihil intus remaneat; paullatimque quidquid vitiosi in sanguinem subinde irrepsit, aut in ipso sanguine euoluitur, iterum expellunt, aut emendant, sanitatemque tuto, et cito restituunt. Posteriores vero fomitem non ex toto subigunt, neque eiiciunt, sed nouam semper materiam fomiti suppeditant, aut sanos humores, aut solidas partes ita deprauant, commutant, aut enervant, vt tota corporis oeconomia, et constitutio ruat in deterius. Quare a primo febrium genere corpus et purius, et sanius redditur; ab altero magis, magisque inficitur, dissoluitur, atque ad alios morbos peiores procliuius fit, et promtius. *Depuratiuae et corruptiuae.*

§. LXIX.

Nec est silentio praetereundum, febres intermittentes in *benignas* diuidi, et in *malignas*, siue rectius *perniciosas;* quae a *corruptiuis* grauitate, et celeritate periculi quam maxime differunt. *Malignarum* autem duplex genus in primis statuitur ex FRANCISCI TORTII, viri experientissimi, sententia, atque *a*) obseruatione; alterum nempe *comitatarum*, quae etsi periodice intermittant, et quietis intervalla, vt benignae, habeant; in accessionibus tamen aliquo periculoso peculiari symptomate stipantur, quo aegrum in vitae discrimen celeriter adducunt, perniciemque eidem minantur; alterum *subcontinuarum*, quae scilicet *nullo peculiari symptomate*, *Benignae, et malignae.*

vnde etiam *solitariae* dicuntur, sed *multiplici*, *et vario* comitatae intermissione paullatim obscurata, et deperdita ad continuitatem acutarum modo *lente*, modo *festinanter tendunt*, extensis videlicet ad ipsummet consuetae integritatis, quietisque tempus grauibus quibusdam, variisque symptomatibus. Benignae porro dicuntur illae, quae ab vtrisque hisce, siue *comitatis*, siue *subcontinuis* longissime absunt.

a) *Therapeutice special. lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 123. *et* 124.

§. LXX.

Perniciosae Comitatae. Quoniam vero in *Comitatis* (nam de altera genere dicam postea) quaedam symptomata a *colliquatione*, vt aiunt; quaedam a *coagulatione* pendere Cl. TORTIO visa sunt; idcirco hae febres rursus ab eo in *colliquatiuas*, et *coagulatiuas* partiuntur. Ad colliquatiuas referuntur 1) *Cholerica*, vel *Dysenterica;* 2) *Subcruenta*, vel *atrabilaris;* 3) *Cardiaca;* 4) *Diaphoretica*, quae tamen *coagulatiuis* interdum adnumerari posse creditur. Ad *coagulatiuas* vero 1) *Syncopalis;* 2) *Algida;* 3) *Lethargica*, quae *Apoplecticas* et *Soporosas* aliorum complectitur. Haec sunt praecipua genera *comitatarum* a TORTIO nostro et obseruata, et descripta *). In his tamen non omnes *perniciosae comitatae* continentur. Nam a MERCATO, a MORTONO, a MORANDO MORANDIO, imo ab eodem TORTIO aliae, atque aliae rariores quaedam recensentur, nimirum *pleuriticae*, *catarrhales*, *rheumaticae*, *colicae*, *arthriticae*, *caecae*, *scorbuticae*, et *petechizantes*. His addenda est illa species, quam MANHEIMII grassari vidit FRID. CASIMIRVS MEDICVS *a*), ob spasmos, et conuulsiones, quibus stipabatur, *spasmodica* dicenda; itemque illa, quam tumor albus totius cutis qualibet in accessione, siue *paroxysmo* comitabatur, quam-

quamque descripsit Cl. STÖRCKIVS *b*). Sed de singulis hisce speciatim alibi.

*) MERCATVS primus fortasse omnium dilucide eas descripsisse creditur, deinde MORTONVS, et TORTIVS, quin tamen hi duo, dum observationes suas aggressi sunt, nempe antequam scriberent, alter de altero quidquam nossent. Attamen vestigia quaedam harum febrium reperiuntur etiam apud *vetustiores Scriptores*, AVERROEM videlicet, AVENZOAREM, VALLESIVM, MERCVRIALEM, H. SAXONIAM, RIVERIVM, SYDENHAMIVM, EPIPHANIVM, DONATVM, HORSTIVM, RHODIVM, RESTAVRANDVM, SYLVIVM, ETTMVLLERVM etc.

a) *Comm. Lipsi. suppl.* 2. *ad Decad.* 2. *p.* 204. *b*) *Ann. Med. secund. p.* 163. *edit. Amstelod.* 1779.

§. LXXI.

Alterum Pernicioſarum genus, quas *ſubcontinuas*, et *ſolitarias* TORTIVS vocauit, in vna tantum ſpecie, ad *colliquationem* aeque, ac ad *coagulationem* prona, conſiſtit; cuius tota ratio in ea poſita eſt, vt, obſcurata acceſſionum periodo, productaque ad integritatis ſolitae tempus cum periculoſis, maligniſque varii generis ſymptomatibus febre, in continuam acutam degenerare paratiſſima videatur. Cum hac vero confundi minime debet illa intermittentium ſpecies, quae ad continuitatem quidem inclinat, anticipante nimirum noua acceſſione ita, vt antecedenti nondum finitae ſuperueniat; ſed facile fertur, et manifeſtas adhuc acceſſionum periodos ſeruat, nullumque periculum affert, quaeque *ſubintrans a*) appellatur. Sed de his modo ſatis: fuſius alibi, vbi ſingularum hiſtoriam, ſigna, et curationem trademus. Hoc vnum adiicimus, ſaepe huiuſmodi febres quorumdam anni temporum, tempeſtatum, regionumue proprias eſſe, proindeque modo *epidemicas*, modo *endemicas* conſpici; quanquam interdum etiam *ſporadicas* occurrere, non inficiemur. *Malignas* vero, ſiue *perniciosas*, cuiuſ-

Alterum genus pernicioſarum, ſubcontinua.

Subintrans.

cuiuſcunque demum generis ſint, cum epidemice debacchantur, contagione in ſanos propagari perhibent MEIBOMIVS, LANZONIVS, CLEGHORNIVS, HEVERMANNVS, LAVTERVS, HOFFMANNVS *b*). Id autem aut incertum valde, aut ſane rariſſimum eſſe crediderim; cum in epidemica quadam grauiſſima conſtitutione, quae Bononiae anno 1729 quam plurimos occupauit, nihil contagioſi Cl. BECCARIVS *c*) inuenire potuerit; neque egomet ipſe in aliis eiuſmodi conſtitutionibus, quibus interfui non perfunctorie, vnquam deprehenderim quidquam, ex quo certi aliquid concludi queat. Cauſſa enim, vnde quam plurimi eodem tempore, eodem in loco, eodemque ſub tecto febricitant, adeo communis eſt, vt contagione, qua ſani inficiantur, opus non videatur.

a) TORTIVS *l. c. p.* 130. *b*) Locos videre eſt apud TRNKAM *Hiſt. Febr. Intermitt. Vol. I. P.* 1. *c. V.* §. *XXXIV.* *c*) *Act. phyſic. Med. N. C. Vol. III. obſ.* 48. *p.* 142., *et ſeq.*

§. LXXII.

Tria ſtadia cuiuſuis acceſſionis.

In omni autem vera, et legitima febre intermittente tria tempora, ſiue ſtadia, quae percurruntur ab vnaquaque acceſſione, conſiderari ſolent. Primum eſt *frigoris*, ſiue principii, alterum *caloris*, aeſtuſque, ſiue augmenti, tertium *ſudoris*, ſiue remiſſionis. Alii inter augmentum, et remiſſionem intercedere docent medium quoddam ſpatium, in quo febris nec creſcit, nec decreſcit, atque adeo id a ſtando nomen habet. Sed, quia non facile id percipitur, aut quia cum alterutro confunditur, a nuperis quibuſdam omittitur. In *frigore* tres pariter gradus notantur, primus, quando corpus vniuerſum, vel aliquae eius partes frigent quidem, ſed neque tremit cutis, neque membra concutiuntur, et *refrigeratio*, ſiue *perfrigeratio* vocatur. Si vero

cutis

cutis corrugetur, et contremiscere videatur, *horror*, siue *horripilatio* est; secundumque frigoris gradum sistit. Tertius denique est, si membra quatiuntur, atque agitantur, *rigorque* dicitur. Cum omnibus hisce frigoris febrilis gradibus proportionata quaedam coniungitur doloris contundentis totum corpus molesta perceptio.

§. LXXIII.

Cuiusuis stadii descriptio.

Primum stadium.

Primum stadium, siue tempus, cui nomen principium est, incipit a crebra oscitatione, et membra extendendi cupiditate, quam hodie *pandiculationem* dicunt; quibus succedit lassitudo, grauitas, debilitas totius corporis; pallor, et liuor, vngues in primis, apicem nasi, labia, digitosque occupans; deinde frigus partim verum, partim apparens; dorsi, et artuum dolor; tremor, praesertim maxillae inferioris; respiratio difficilis, et anxia; pulsus primum rarus, tardus, et paruus, postea etiam debilis, et frequens, vel saltem celer; nausea; vomitus; sitis, vrina aquea, et tenuis. Haec durant plus minus ad horam vnam, aut duas, raro ad tres, quatuor, et rarissime ad sex excurrunt, nisi *algida febris* fuerit.

§. LXXIV.

Stadium secundum.

Remittente sensim frigore, siue primo stadio desinente, calor exoritur, qui paullatim ita increscit, vt acer, atque exurens interdum fiat. Huius tamen gradus non semper praegressi frigoris gradui respondet. Respiratio tum liberior euadit, deinde magna, et frequens, sed sine anxietate; pulsus explicatur, et sensim magnus, fortis, et creber redditur. Supervenit cephalalgia, et quandoque leue delirium; sitis perseuerat; vrina coloratior mingitur; atque haec aliquot horas continuantur, donec ad vltimum stadium fiat transitus.

§. LXXV.

Stadium tertium. In quo omnia ſtadii ſecundi ſymptomata incipiunt miteſcere; cutis molleſcit, et madet; ſudor erumpit e toto corpore calidus, et copioſus cum ingenti leuamine. Nec rarum eſt, eodem etiam tempore vomitum, aluique fluxum incidere. Vrina, quae tunc emittitur, rubicunda, et pauca eſſe ſolet, ſedimentumque deponit lateri contuſo ſimile, vnde lateritia vocatur, et tamquam ſignum intermittentium febrium pathognomonicum a multis habetur. Verum id minime pathognomonicum eſt; nam interdum ab iis omnino abeſſe lateritiam hanc vrinam vidi, videruntque alii; quo in caſu ſubrufa, et ſubflaua apparet cum nubecula, aut enaeoremate, aut alba hypoſtaſi, imo interdum ſanorum ſimilis: quae tamen non nunquam cito perturbatur, et iumentorum videtur. Lenis demum ſomnus obrepit, e quo vt excitatur aeger, vix praeter debilitatem aliquid incommodi, aut moleſtiae queritur, beneque habet, et breui perfecta integritate, ſiue *apyrexia* potitur. Si quid tamen ei ſupereſt, quod recte valentem dedecet, id redigitur ad leuem capitis dolorem, aut grauitatem, ſitim, aliudve ſymptoma facillime ferendum cum aliqua pulſus perturbatione, aut crebritate.

§. LXXVI.

Exceptiones, et monita. Scire autem intereſt, febres iſtas non ſemper a frigore initium ducere. Interdum enim calore protinus ſe exſerunt, quod potiſſimum fieri ſolet aeſtiua, calidaque tempeſtate. Quandoque etiam frigus calori iam incepto, inualeſcentique tantummodo ſuperuenit, nec tunc ſudore, vt liquet, finitur acceſſio *a*). Imo non nunquam acceſſioni vniverſae finem frigus *b*) imponit. SCHENCKIVS tertianae cuiuſdam meminit, cuius acceſſiones *c*) quaſi ordine

ordine inuerſo ferebantur. Exordiebantur ſiquidem a ſudore, quem rigor, deinde calor ſubſequebatur. Monet praeterea Cl. SWIETENIVS *d*), tria iſta ſtadia (§. LXXIII. LXXIV. LXXV.) cuiuſuis intermittentium acceſſionis, ſi cum temporibus febrium continuarum comparentur, magnam habere cum iis affinitatem; primum videlicet ſtadium, ſiue frigoris reſpondere incremento aliarum, alterum vigori, tertium vero earumdem remiſſioni, in qua criſis, et ſolutio morbi fit. Quod ſi non vna acceſſio, ſed omnes cuiuſque febris intermittentis ſimul ſumtae conſiderentur, *tunc eius febris incrementum adeſſe, quamdiu paroxyſmus duratione, et numero et vehementia ſymptomatum proxime praecedentem excedit*, remiſſionem vero, cum poſt coctionis ſigna, quae Veteres in huiuſmodi etiam febribus (iurene, an perperam, non dixerim) exſpectabant, morbus ſe ſe remitteret.

a) ETTMVLLER. *Oper. omn. T. 2. P. I. Pract. Prax. ſpecim. l.* I. *ſect.* 15. *cap.* 2. *in octan. n.* 9. BORRICHIVS *Act. Medic. hafnienſ. Vol. III. obſerv.* 37. *b*) FRID. CASIMIR. MEDICVS *Samml. von Beobachtung.* I. *Band.* §. 27. *c*) *Lib. VI. p.* 817. *d*) *L. c.* §. 749. 750.

§. LXXVII.

De Cauſſis, et primum de propioribus.

Iam vero de cauſſis harum febrium aliquid dicamus, oportet. Et primum, vt ab earum cauſſa proxima initium fiat, obſcuriſſimam, et prope impenetrabilem hanc nobis *) videri, fatemur. Quid de ea GALENICI ſenſerint, iam ſupra (§. LVIII.) explicauimus. WILLISIVS eam poſuit in peculiari ſanguinis fermentatione, quae *ſuccum nutritium*, ſiue chylum ab ingeſtis deductum, et non ſatis aſſimilatum, tamquam *heterogeneum quoddam, et non exacte congener* vel ſubiuget, vel foras *a*) emandet; SYLVIVS in ſucco pancreatico ob *ſtagnationem acidiore*

diore reddito, delatoque ad inteſtinum duodenum *cum bile* plus minus acri *vitioſe* efferueſcente *b*); ETTMVLLERVS in *fermento praeternaturali ſalinae*, et quidem *acidae proſapiae*, ventriculo, et primis viis ingenito ex vitio digeſtionis, ſiue haec a *fermento digeſtiuo*, ſiue *ab alimento aſſumto* deprauata *c*) ſit. Ab his non valde diſcrepant quorumdam aliorum hypotheſes, BORELLII videlicet, JONESII et BESANZONII, putantium, vel ſuccum nerueum ob impeditum per neruos, glandulaſque tranſitum ſtagnare, fermenteſcere, et refluere, vel *crudas, acidaſque ſanguinis particulas in ſuperficie corporis haerere*, et fibras ibi *vellicare*, vel *aciditatem ſanguinis ſuccum neruoſum inficere d*). Verum omnes hae opiniones in tanta hodierna Phyſiologiae luce, vt iure animaduertit Cl. HOMIVS *e*), vix vllos patronos inueniunt; imo, quia prorſus fictitiae, et fundamentis deſtitutae per ſe iam corruerunt. Sed dum HOMIVS aliorum reiicit opiniones, vtinam ea, quam ipſe ſubſtituit de fibrarum laxitate, atque inde imminuta *tranſpiratione* **) tamquam *cauſſa* harum febrium *proxima*, firmiori niteretur pede.

*) Hoc ipſum videtur Cl. GORTERIO. Vid. eius *Prax. Med. ſyſtem. n.* 195.

a) *De febrib. cap.* 3. *pag. mih.* 34. *b*) *Prax. Med. l.* 1. *cap.* 30. *a* §. 58. *ad* 129. *c*) *Oper. T.* 2. *l.* 1. *Colleg. practic. ſect.* 15. *cap.* 2. *pag.* 303. *d*) Referente FRANC. HOME *Princip. Medicin. P.* 2. *ſect. V. e*) *Ibid.*

**) Nutat, vacillatque huiuſmodi opinio, 1) quia haec fibrarum laxitas ſaepe commentitia eſt, et plerumque a febribus intermittentibus abeſt; 2) quia frequentius laxitas, ſiue atonia fibrarum febrem ſubſequitur, quam antecedit, atque ideo potius effectus, quam cauſſa videtur; 3) quia cachectici, leucophlegmatici, anaſarcici, in quibus et fibrarum laxitas, et tranſpirationis imminutio manifeſta eſt, non magis obnoxii huiuſmodi febribus exiſtunt, quam alii; 4) quia roborantia, et adſtringentia febrem certius fugarent, quam cortex peruuianus, qui longe

longe minus adſtringit, et roborat; et ſi vnquam eam fugant, id non ſine noxa plerumque praeſtant; nec ſatis patet, an fibras roborando, num vero alia facultate, et ratione febrem tollant; 5) quia cortex peruuianus, remedium antifebrile omnium certiſſimum, et efficaciſſimum eſt, quamuis leuiſſime adſtringat, nec valde perſpirationem moueat; 6) quia ſudorifera reliquis in abigenda febre praeſtarent; 7) quia cortex peruuianus, qua facultate reuera febres edomet, adhuc in controuerſia eſt, et indefinitum (1); 8) quia poſita iſtiuſmodi cauſſa, multa febrium phaenomena nec intelligi, nec inde explicari poſſent; 9) quia validae, et roborantes frictiones omnem intermittentem depellerent etc.

(1) Imo Cl. HAENIVS cum multis aliis fatetur pluries, ſe eius agendi modum plane ignorare. Vid. *Rat. medend. P. 3. cap. 4. p. 171. et lib. cod. cap. 3. p. 136. et ſeq.* vbi etiam appoſite oſtendit, cortice dato tam hominibus *ſtrictiſſimi temperamenti*, quam *laxiſſimi*, vtriſque *ex aequo redire ſalutem;* concluditque, *ſi tantummodo adſtringendo, laxoſque neruos roborando cortex* ageret, vehementer nociturum potius, quam profuturum *rigido corpori, etc.*

§. LXXVIII.

Coniecturae aliorum auctorum.

His igitur opinionibus, tamquam inanibus, futilibuſque vix delibatis, non committam nunc, vt aliorum quorumdam doctiſſimorum virorum coniecturae, quas hac ſuper re (§. LXXVII.) cum aliqua veri ſpecie in medium protulerunt, deſiderentur. Itaque primum ſunt eorum complures, qui veriſimillimum exiſtimant, materialem harum febrium cauſſam eſſe aliquid, quod ſanguini ſtatis temporibus, et per interualla affunditur, eamque excitat commotionem, cui nomen febris inditum eſt. Si enim id ſanguini iam ante inſidere quis opinaretur, hunc profecto a vero longiſſime aberrare, ſatis fidenter credunt, quia vix fieri poſſe rentur, vt tamdiu ſine perturbatione in illo conſiſtat, et quieſcat, quamdiu aeger a febre liber ad interualla remanet. Sin vero huiuſmodi extranea materies, vbi in ſanguinem infuſa eſt, tantum efficit

cit turbarum, iam neceſſe omnino eſſe, ſi quies, et integritas ſubſequi debet, vt ea vel corrigatur, vel ita, quod veriſimilius eſt, immutetur, vt facile ſecerni, atque extra corpus emitti poſſit. Sic enim ſanguinem vel amiſſa nocendi poteſtate, vel praua, noxiaque febrili materie excreta ad priſtinam bonitatem, tranquillitatemque redire, quae tamdiu perſeuerat, perduratque, donec noua priori ſimilis cum eo communicetur. Pro varia autem eiuſdem materiei copia, prauitate, craſſitudine, aut vi, et pro ſanguinis ipſius diuerſa temperie, aegrotantiſque natura, aetate, et robore tardius, aut citius id vitium emendari, aut expelli, ideoque quamlibet acceſſionem longiori, aut breuiori temporis interuallo finiri.

Explicatio acceſſionum.

§. LXXIX.

Quomodo in continuas, et ſubintrantes abeant.

Quod ſi vel materiae huius culpa, vel virium naturae defectu fiat, vt difficilior, et tardior eius emendatio, aut expulſio contingat; tunc alterutrum futurum eſſe: nimirum vel vni acceſſioni longius protractae alteram ſuperuenire, antequam prior illa decedat, vel tantam impurae materiae vim in ſanguine cumulari, quae febri continuandae par ſit. Priore modo, antequam vna acceſſio deſinat, alteram ſubintrare, eamque tum febrem naſci, quam *ſubintrantem* dicunt. Poſteriore vero, ex intermittente in *continuam* tranſire. Similiter periodicam extranei fomitis in ſanguinem migrationem citius, vel tardius fieri pro varia eius copia, mobilitate, et natura, aut loci, e quo erumpit, ratione. Copiam enim maiorem, aut promtiorem ad fluendum, aut inſigniorem acritudinem efficere minora integritatis interualla: contrarias conditiones, longiora. Cumque modo maius, modo minus temporis ſpatium ad fomitem colligendum, praeparandumque

Periodorum variatio.

dumque requiri videatur, non mirum esse, si accessiones modo singulis, modo alternis diebus, modo quarto quouis tantum, modo longiori intervallo reuertantur.

§. LXXX.

Varietas locorum, in quibus fomes febrilis.

Praeterea loca, in quibus fomes iste febrilis tempore integritatis colligitur, varia esse posse contendunt. Haec autem vel citra sanguinem statui, et concipi, vel vltra. Citra sanguinem ventriculus, intestina, glandulae mesentericae, ductus chyliferi, hepar, pancreas, aliaque si qua sunt ad id apta, esse creduntur. Vltra sanguinem locantur, aut locatae dicuntur glandulae omnes conglobatae in ambitu corporis, aut in visceribus sitae, e quibus venae lymphaticae prodeunt. Verum in his postremis suspicatur TORTIVS congeri materiam febribus mitioris indolis gignendis magis idoneam, quae nempe cum frigore, et rigore quidem, vt aliae intermittentes, sed sine vllo alio grauiore symptomate inuadant, et denique sudore ex vniuerso corpore erumpente soluantur. Febres vero illae superiores, quae in infimo ventre ferociora symptomata excitant, vti nauseam, vomitum, cardialgiam, alui fluxum, tormina, borborygmos, infarctus viscerum, aut horrores, rigoresque dorsum et lumbos in primis excruciantes, vel a praua victus ratione originem ducunt, illae inquam febres fomitem in ea regione, in qua haec accidunt, habere eidem videntur. At considerandum sane est, febrilem fomitem aliquo in loco collectum sola neruorum, et fibrarum irritatione posse febrim mouere, quin in sanguinem influat, quemadmodum alicuius partis dolor vehemens, aut inflammatio facit; e loco vero, in quo insidet, dimoueri, et periodice extra corpus efferri per febrilem motum quidem, sed ab

ante-

antecedenti neruorum irritatione, et ſpaſtica fibrarum affectione genitum. Praeterea non deſunt, quibus non abſurdum videtur, fomitem iſtum in ipſo etiam ſanguine oriri, atque in eo conſiſtere, et per vices augeri, et decreſcere ſic, vt febrilis acceſſio, et deceſſio conſequatur, quin aliunde in ſanguinem deriuetur.

§. LXXXI.

Quid obiici his poſſit.

Sed demus, largiamurque, fomitem illum ex aliqua parte earum, quas enumerauimus, in ſanguinem ſtatis circuitibus transduci. Quis tamen certo definiat, quaenam prima ſit eius origo, quique locus eum recondat, et colligat? Nam ſi locum iſtum ponas eſſe ventriculi, aut duodeni cauum, aut bilis receptacula, aut quamcunque aliam inteſtinorum partem; copioſae, iterataeque vomitiones, deiectioneſque, quas non modo ipſa natura, verum etiam artis ſolertia vel ſub acceſſionibus; vel ante eas molitur, nonne omnem febrilem fomitem educerent, exhaurirentque? At, ſicuti TORTIVS ipſe, et cum eo SYDENHAMIVS, aliique quam plurimi *a*) teſtantur, id minime experientiae conſentaneum eſt, et, ſi quando proſpere factum illud narrant aliqui, ita rarum plane fieri fateantur, neceſſe eſt, vt in eorum ſententiae confirmationem adduci non debeat. Imo compertum non ſemel contra eſt, febres eiuſmodi euacuationibus ne hilum quidem minui, ſaepius vero exaſperari, aut e ſimplicibus duplices fieri: ne quid dicam de *cholericis*, *dyſentericis*, *atrabilaribus*, aliiſque, quarum periculum, aut exitium eo propius, grauiuſque arceſſitur, quo largiores eiuſmodi euacuationes fuerint.

a) *Vid. infra* §. 115. *et ſeq.*

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Ad haec si febrilis fomes in istiusmodi locis (§. LXXX. LXXXI.) reapse insideret, colligeretur-ve, quis non videat, vtilius, satiusque fore, chinam chinam quatuor, aut quinque horis ante febris adventum dare, eo quippe tempore, quo tota febris caussa a remedio occupari, absorberi, irretiri, emendari, cogi, aut quocunque alio modo efficaciter affici, (si tamen in eam proxime agere credatur) quam tempore ab ventura accessione magis dissito? Et tamen vsus contrarium omnino euicit. Non enim certum, plenumque remedii effectum assequimur, nisi quatuor supra viginti fere horis, antequam febris accessura sit, dari coeptum fuerit; nequidquam contra sentiente *a*) WERLHOFIO. Quae etsi febrilem materiam in ventriculo, biliferis ductibus, aut intestinis, vicinisque partibus non cumulari, nec residere satis demonstrant, talia tamen esse videntur, vt non ibi solum haerere, aut eo deriuari, sed etiam altiori e loco prorumpere, aut profundius latere, aut aliud vitium subesse, a quo febris gignatur, cuique china china medeatur, suspicari debeamus. *Obiectiones aliae.*

a) *L. c. sect.* 4. §. 7. *not.* z.

§. LXXXIII.

Quod si in glandulis conglobatis, venisque lymphaticis, aut in neruis, aut in exteriore corporis ambitu, aut in sanguine ipso (§. LXXVII. et LXXX.) caussa omnium febrium internittentium quaeratur, cur, quaeso, aperientibus, sudoriferis, acorem emendantibus, et lignorum, vt vocant, decoctis non illae curantur? Cur e pernicioſis, quae *Diaphoretica* (§. LXX.) a TORTIO appellatur, nihil sudore iuuante, adeo celeriter properat ad exitium? Cur febres, quae e lymphae vitiis oriri vniuersim iudican- *Aliae obiectiones iterum.*

iudicantur, vti catarrhales, rheumaticae, scorbuticae, venereae, arthriticae, strumosae vulgo dictae, quando intermissione alternantur, cortici peruviano, vt reliquae intermittentes, non obediunt et ipsae? At quemadmodum loco, in quo febrilis fomes haereat, decernendo pares nequaquam videmur, sic neque humori, qui potissimum peccet, diuinando valemus. Quicunque tamen is fuerit, obscurissimum plane putamus, quo vitii genere laboret, depraueturque, coniectura assequi. Potest, inquiunt viri doctissimi, acescere, *alkalescere*, corrumpi, putrescere, inspissari, copia excedere, aut deficere, acrimoniam multiplicem arripere, aut alia quacunque ratione a naturali temperie, motu, circuitu descisscere, vt febrilem commotionem cieat; imo sic eum deprauari posse arbitrantur non nulli, vt modo veneni corrodentis naturam nactus vomitum, alui fluxum, ventriculi, intestinorumque acerbos cruciatus pariat; aut acerrimus factus totam sanguinis mixtionem, compagemque dissolvat, et liquet; modo aciditate contracta sanguinem coagulet, et igneum elementum, vel phlogiston ita deprimat, aut irretiat, vt intensissimum algorem procreet; modo narcotica vi soporem afferat, aliaque pro varia sui degeneratione phaenomena praestet, quibus febres intermittentes, praesertim *malignae*, siue *perniciosae*, terrere consuerunt.

§. LXXXIV.

Quid probabilius videatur.

Quare, cum tot, tamque variis vitiari modis posse humores appareat, et probabile admodum sit, modo ab hoc, modo ab illo vitii, aut vitiati humoris genere febrem moueri; consequens est, ni fallor, non vnicam, sed plures febrium intermittentium causas esse oportere, et pro varia harum ratione febres ipsas natura, et effectis non parum

discrepare,

discrepare, prout supra expositum est. Atqui, si ita reuera concludendum sit, qui fieri tamen potest, vt vnus, idemque cortex peruuianus omnes, singulasque earum species, a tot, tamque differentibus caussis pendentes cohibeat, aut fuget? Nonne rationi magis consonum idcirco videatur ab vna solum caussa proxima eas omnes proficisci, quoniam vno, eodemque medicamento subiugantur? Verum haec quidem aut mentis pene nostrae aciem exsuperat, aut densissimis inuoluta adhuc tenebris latet; nam omnes illi, qui cum superioribus, veteribusque de indaganda, assignandaque tam materiali caussa, quam eiusdem sede, quemadmodum retuli, disputant; profecto caussas remotas quaesisse videntur, non proximam, et continentem, in quam alioquin detegendam plurimum interfuisset incumbere. Non enimuero vnum, eumdemque humorem, sed alium, atque alium deprauari pro caussarum procatarcticarum, febriumque varietate probabili sermone ostendisse videntur.

§. LXXXV.

An bilis caussa intermittentium?

At postremis hisce temporibus vidimus Cl. VALCARENGHIVM *a*), qui vnum dumtaxat humorem, bilem nimirum, argueret, et quodammodo in iudicium vocaret, tamquam veram, certamque febrilium accessionum caussam his prope permotus rationum momentis: 1) Quod hae febres saepius aestiuo, et autumnali tempore dominantur, dum bilis videlicet abundantior acriorque est, aut plus solito efferuescit; hieme vero rarius, et tum solum, cum autumnales, vel aestiuae febres eo vsque protrahuntur. 2) Quod euacuationibus vt plurimum bilio sis tutius, frequentiusque solui eaedem solent, vti vrinae, et sudores cum odore, tum colore bilem exuberantem ostendentes documento sunt. 3) Quod

raro ſenes, ſaepius iuuenes, et cholericos maxime homines adoriuntur, et grauius affligunt. 4) Quod morbis hepatis perſaepe ſuccedere viſae ſunt, aut eos poſt ſe relinquunt. 5) Quod pleraque earum ſymptomata vel a copia bilis, vel a nimio eius feruore, vel, vt vocant, *alcaleſcentia*, putridaque corruptione, vel ſimili alia eiuſdem deprauatione profluunt, vti conſtat ex bilis porraceae, vitellinae, aeruginoſae excretionibus, quae in ipſarum decurſu maximo cum leuamine tam per ſuperiora, quam inferiora contingunt. 6) Quod linguae flauus color, oris amarities, moleſta circa ventriculum, biliferoſque canales tenſio, et anxietas, aliaque huiuſmodi eas comitantur, bilis efferueſcentis praeter morem, atque huc illuc diffuſae non dubia argumenta.

a) *De praecip. febrib.* §. *XXVII. p.* 180.

§. LXXXVI.

Argumenta diluuntur. Haec, atque alia non abſimilia a VALCARENGHIO, omnibuſque illis *), qui cum eo bilem accuſant, proferuntur tanta veri ſpecie, vt magnam partem medicorum in ſuam ſententiam traxerint. Et quidem, ſi quid iudico, non negauerim, adductis argumentis probari, bilem, et vaſa bilifera in huiuſmodi febribus ſaepe affici; non tamen concedam, ſatis demonſtrari, vtrum bilis ipſa primario pecceť, febrimque ipſa efficiat, num vero potius ſecundario bilis, et bilaria vaſa a febris ipſius feruore, motu, aut fomite eiuſdem, quicunque demum is ſit **), patiantur? nam ſpaſmi, qui circa imum ventrem febrem comitantur, tremor, horrorque bilem ex hepate, cyſtique fellea exprimunt, excutiunt, in duodenum, imo in ventriculum vrgent, propellunt, et per vomitum, aut deiectionem eiiciunt. Deinde nequaquam verum eſt, ſemper bilis euacuationes in huiuſmodi febribus contingere, neque

ſemper,

ſemper, vt praedicant, aegros ab his ſubleuari, aut curari; quod multorum experientia euictum eſt; et ſi quandoque illud euenit, tum ſolum euenit, cum febris cum ſaburra biliosa primarum viarum, vt ſaepe ſit, complicatur, coniungiturque. Croceus porro vrinarum color, lingua flaua, os amarum, ventriculi morſus, aliaque eiuſmodi quando incidunt, non illico id vnum ſignificant; febrim nimirum a bile ſiue exuberante, ſiue excandeſcente, ſiue corrupta, ſiue ſtagnante ortum ducere; cum omnia febris effecta eſſe poſſint, et non raro a ſpaſmis, ventriculi, duodeni, choledochique, a quibus bilis in ſanguinem refluere cogitur, pendeant, et proinde manifeſtiſſimum ſit, bilem aliena culpa, non propria ſaepiſſime a naturali indole, motu, curſu deflectere. Id ita eſſe, multa ***) comprobant, ſed in primis vulnera, et contuſiones capitis, 2) vehementiora animi pathemata, 3) hypochondriaca, et ſcorbutica affectio, 4) hydrops, 5) inueteratae viſcerum obſtructiones, 6) cachexiae, 7) demum morbi acuti omnes febriles, ne inflammationibus quidem ipſis exceptis. Quis enim ignoret, in huiuſmodi caſibus ſaepe bilem repente aut depravari multiplici ratione, aut vberius excerni, effundique, licet paullo ante nullo vitio peccaret, nec copia vlla excederet? Quis neſciat, vrinas crebro rubeſcere, croceo interdum, aut ſaturatiore etiam colore infici, os amareſcere, epigaſtricam regionem multimodis conuelli, bilem ſurſum, deorſumque educi, quin tamen bilis primario laboret, aut proxima horum ſymptomatum cauſſa dici poſſit? Quod ſi vrgeant bilis accuſatores, a ſymptomatibus circa bilis receptacula animaduerſis perſpicuum fieri, eam febrium intermittentium fomitem, cauſſamque eſſe; pari iure in ſoporoſis, lethargicis, aliiſque varias corporis partes peculiariter afficientibus

febribus affirmandum esset, caussam earum proximam in capite, cerebro, pectore, alibique, quoniam circa illas partes symptomata grauiora cernuntur, consistere, et contineri.

*) Non hic de illa bile, quam sanguinis calidiorem, acrioremque partem veteres Medici putabant, quamque RESTAVRANDVS omnium pene febrium, nedum intermittentium (*Hippocr. de vsu Chin. Chin. cap.* 4.) caussam esse voluit; sed de bile vera, quae in hepate secernitur, sermo est. Ante VALCARENGHIVM etiam ZENDRINVS (*della China China*) ab hac bile intermittentes febres derivauit. Nec ab eorum sententia valde abfuit MEADIVS, qui in *Monit. et Praecept. Medic. cap.* 1. *sect.* 8. *pag. m.* 22. non dubitauit haec verba scripto tradere: *Hunc enim humorem* (bilem nempe) *in intermittentibus maxime peccare mihi minime dubium videtur.*

**) SENACIVS febrilem caussam per totum corpus diffusam esse, sed praecipue hepar, bilariaque organa ab ea affici, pluribus argumentis (*De recond. febr. interm. et remitt. nat. l.* 1. *cap.* 6.) ostendere enititur.

***) Cl. HAENIVS (*Rat. Med. Continuat. T.* 3. *pag.* 196. 197.) haec in rem nostram habet: *Caput percussi, contusi, vulnerati, succedsque bilem vario colore vomunt: flauam, porraceam, aeruginosam. Qui aduerso corpore curru vehuntur, id infucti: qui prima vice mare conscendunt, haud raro bilem per varios hos coloris gradus euomunt. Bilem vero esse, quae variis his coloribus prodeat, amarore sufficienter percipiunt. Probabile* etiam censet, *quod bilis ab actione veneni in ventriculo et intestinis mota hos subire colores, et vario colore tingere vrinas possit.*

§. LXXXVII.

Sequitur confutatio.

Neque concedendum est, sola aestate, aut solo autumno, cum saepissime verno, aut hiemali tempore caput efferant; aut in aetate iuuenili solum, et biliosa temperie; cum infantes, et pueros aeque, ac quocumque praeditos temperamento inuadant, hasce febres insurgere, et increbrescere tantum. Testes appello quotquot medicinam in frequentissimis ciuitatibus non negligenter exercuerunt. Neque

que eo quod iuuenes, bilioſoſque homines crebrius, atrociuſque diuexant, ſi tamen hoc vere affirmaretur; continuo licet inferre, eas a bile permanare; cum exploratum, perſpectumque ſit, quemcumque alium morbum in eo aetatis flore, atque in eo temperamenti genere frequentius, atrociuſque ſaeuire, atque homines in eo ſtatu conſtitutos vt robuſtiores, ſic ex quauis cauſſa grauiores morbos incurrere. Neque perpetuum eſt, hepatis obſtructiones praeire, aut ſubſequi febres iſtiuſmodi; neque, ſi id detur, hepar ſolum huic malo ſubiectum eſt; cum alia quoque viſcera, et praeſertim lien, in eamdem labem, fortaſſe etiam frequentius, incidant.

§. LXXXVIII.

Quaedam liberaliter praetereuntur.

Praetereo demum, id quod ſupra (§. LXXXI.) iam innui, emeticis, et catharticis plus nos profecturos eſſe, ſi febres iſtae bilis exceſſui, aut deprauationi originem ſuam deberent. Praetereo item quaerere, cur, ſi bilis aut copia, aut vitiata natura intermittentium fons vere eſſet, in iis morbis, in quibus alterutro, aut vtroque modo illa peccat, vt in cholera, in colica, et dyſenteria bilioſa, in ictero chronico, aliiſque ſimilibus illae rariſſime, aut nunquam obſeruentur? Illud tamen non praetermittendum eſt, homines vel ſaniſſimos, et bene valentes cuiuſque aetatis, et temperamenti, in aëre, et loco a febribus intermittentibus quam maxime libero degentes, ſi in regionem, in qua epidemicae aut endemicae ipſae exiſtant, ſe repente transferant, aërique praeſertim veſpertino, nempe noxiis halitibus referto corpus temere obiiciant, citiſſime in eaſdem incidere; quemadmodum id pluries nobis experientia innotuit. Num, amabo, probabile eſt, bilem tam breui, aut augeri, aut deprauari, aut corrumpi ita poſſe, vt febrim confeſtim

Argumentum nouum.

procreet? Num loca paluſtria, et frequentes imbres, aut aquarum inundationes, quarum in ſinu intermittentes febres quaſi propria in ſede aluntur, et fouentur, bilem vberiorem gignunt, aut depravant? An vero potius aliquod miaſma putridum, aut tetram neſcio quam mephitim *) exhalant, qua cito inficiamur, aut ita corpus noſtrum male afficiunt, vt peculiare quoddam vitii genus in humoribus euoluatur, febri excitandae accommodatum?

*) *Vid. infra* §. 98. *not.* *.

§. LXXXIX.

Hoffmanni opinio. Itaque mirum non eſt, ſi FRIDERICVS HOFFMANNVS aliorum nequaquam acquieſcens hypotheſibus, cauſſam harum febrium, vt ipſe vocat, *fundamentalem* ponendam duxerit in ſpaſtica vniverſi generis neruoſi, et fibroſi affectione, quae ſpeciatim a ſpinali medulla incipiat, atque ab exterioribus ad interiora paullatim progrediatur. Id enim docuit pluribus verbis in diſſertatione *de vera motuum febrilium indole, et ſede.* Ibi oſtendere tentauit, hanc ſuam opinionem confirmari egregie ab omnibus inuadentis febris phaenomenis, dolore nimirum dorſi, et lumborum, horrore, rigore, et frigore extremarum praeſertim partium, liuore vnguium, vaſorum omnium manus, et pedes perreptantium exilitate, atque occultatione, cutis ariditate, et corrugatione, pallore quodam tetro, lividoque faciei, oſcitatione, crebra membrorum extenſione, tremula cordis palpitatione, praecordiorum anxietate, difficili reſpiratione, inquietudine, corporis iactatione, pulſu contracto, paruo, et debili, nauſea, vomitione, alui, et perſpirationis ſuppreſſione cum vrina tenui, et aquoſa, ſenſuque ebullientis veluti ſanguinis ad interiora. Atque ex his vt ſpaſticam affectionem luculentiſſime apparere, tam-

tamquam cauſſam *fundamentalem*, ſiue *formalem* febrium intermittentium ſibi perſuaſit, ſic ea omnia, quae neruoſas partes irritare, et conuellere poſſent; vti ſunt animi motus, validiora cathartica, acria cum cibis, aut aëre ingeſta, cauſtica, venenata intro ſuſcepta, aut extrinſecus applicata, aut a ſuccis primarum viarum deprauatis, aut corruptis ſubminiſtrata, item fortiora adſtringentia, frigida neruis inimica; cum ad ciendam febrem, tum, ſi ceſſauerit, reuocandam cauſſae materialis, aut procatarcticae inſtar plurimum conferre opinatus eſt.

§. XC.

Quid Boerhaavius ſenſerit.

Aliquid etiam vitii in nerueo ſucco, quem cerebrum, cerebellumque ad cordis fibras tranſmittere credunt, ſibi viſus eſt deprehendiſſe Cl. BOERHAAVIVS; inertiam ſcilicet, tarditatemque quamdam, ex qua praecipua harum febrium phaenomena et intelligi, et explicari poſſent *a*). Hanc deinde Cl. Praeceptoris ſententiam illuſtrare omni cura, et ſtudio, confirmareque non deſtitit celeberrimus SWIETENIVS. Hic enim aſſeuerat, omnia, quae in primo febris accedentis inſultu accidunt, talia profecto eſſe, quae facili negotio demonſtrent, turbari ſolitum, aequabilemque ſpirituum animalium in muſculos influxum. Ea autem ſunt laſſitudo, debilitas, tremor, *pandiculatio*, oſcitatio, atque alia huius generis. Hinc conſequi putat, vt ſanguis nec debita copia, nec vi propellatur ad extrema vſque corporis vaſa; imo ibi lenteſcat, atque haereat; vti eluceſcit ex frigore, horrore, rigore, pallore, cordis palpitatione, pulſuum paruitate, aliiſque, quae ineunte febre aeger patitur. Quare non ſine veri ſimilitudine concludit, cauſſam proximam iſtiuſmodi febrium ſtatui cum BOERHAAVIO poſſe *viſcoſitatem liquidi arterioſi, forte et*

neruoſi tam cerebri, quam cerebelli cordi deſtinati inertium b).

a) De cognoſc. et curand. morb. §. 755. *b)* Ibid. *in commentar.*

§. XCI.

Pro Boerhaavio quae afferat Swietenius.

Multa deinde alia vir doctiſſimus profert, quibus illud comprobet, firmetque. Dum enim initio acceſſionis, inquit, videmus impedimentum quoddam naſci, quo ſanguis arterioſus debita copia, et vi ad extrema vſque corporis progredi inhibeatur, facile coniectura proſpicimus, hoc fieri vel ob nimium lentorem liquoris traiiciendi, vel ob auctam canalium reſiſtendi potentiam, vel ob virium mouentium defectum. At quartana laborans homo paucis *minutis* ante incipientem acceſſionem ſaniſſimus ſibi videtur, et vana ſpe lactatur ſaepiſſime, non amplius redituram eſſe febrim. Paullo tamen poſt magno horrore totum corpus concutitur, et febris inopinato reuerſa aegrum protinus admonet vaniſſimae ſpei, in qua verſabatur. Vix autem mente concipi poteſt ſanguinis tam ſubita mutatio, qua vno quaſi momento lenteſcat, nequeatque minima vaſcula permeare. Quod ſane quantum huiuſmodi hypotheſeos, cuius BELLINIVS olim et inuentor, et propugnator fuit, imbecillitatem patefaciat, quiſque per ſe facile perſpicit. Sed admiſſo etiam ſanguinis lentore periodice recurrente, et abeunte, vt in ea poni ſolet, quomodo inde explicaueris phaenomena febris *diaphoreticae, dyſentericae, atrabilaris*, aliarumque ſimilium *pernicioſarum?* Quid de illis dixeris, quae ſine vllo frigoris, horroris, rigoriſue indicio inuadunt? Numquid eas a lentore ſanguinis deriuaueris? Quid diſcriminis erit inter alias febres, quae a lentore ſanguinis pendere omnino iudicantur, rheumaticas, catarrhales, arthriticas, cachecticas, aut ab obſtructionibus ortas, cortici

cortici peruuiano nequaquam obtemperantes, et illas intermittentes, aut remittentes, quae cortice certissime fugantur?

§. XCII.

Pergit Swietenius suam caussam defendere.

Multo minus, prosequitur Cl. SWIETENIVS *a*), credibile est, tantam repente solidis partibus accedere rigiditatem, et duritiem, vt liquores omnes repellant. Tempore enim, nec exiguo, eget huiusmodi fibrarum, tunicarumque peruersio. Ergo superest, vt in potentiis mouentibus tam subitae mutationis caussa tantummodo quaeratur, siue in Hippocratico illo principio, *impetum faciente*, quod mobilissimum, et leuissimis de caussis excandescens esse reputatur. Hinc se vidisse narrat saniissimam virginem, cum glire conspecto contremisceret, illico primam accessionem passam esse quartanae, quae totam hiemem durauit, nec soluta est prius, quam ver aduentaret; cumque iam binos menses a febre immunis fuisset, mala fortuna iterum a petulanti puero, qui glirem mortuum ante eius vestes proiecit, perterritam in aliquot quartanae accessiones recidisse. Item iuniores saepenumero obseruauit conuelli vt plurimum eo tempore, quo vernae tertianae licet salutares incipiunt, non obscuro indicio, a mutata conditione subtilissimi humoris totum systema neruosum perturbari, et commoueri. Vidit in medio ptyalismo, solutis mercurio fere omnibus humoribus, ideoque nullo lentore praesente, tertianam verno tempore obortam *), quae non nisi post quartam accessionem euanuit.

a) *Ib. in comment.*

*) Id saepius superuenit litu mercuriali vtentibus, sic, vt intermitti curatio debeat, donec febris desinat, aut cortici peruuiano sistatur.

§. XCIII.

Prouocat ad chinam chinam. Tandem nos prouocat ad corticem peruuianum, efficaciſſimum omnium intermittentium febrium antidotum, qui hyſtericis, atque hypochondriacis a nimia ſyſtematis neruoſi mobilitate, et ſpirituum *ataxia* ortis affectionibus, praeclare, vt SYDENHAMIVS teſtatur, ſuccurrit. Parem ergo in vtriſque morbis, ac in febribus intermittentibus cauſſarum eſſe rationem. Imo hinc fortaſſe cauſſam deducendam eſſe, cur febres pertinacius inhaereant corporibus hiſce mobilioribus, vixque curari queant, niſi adhibito cortice peruuiano, qui etiam roborandi virtute tunc mirifice prodeſt. Praeterea aduertit, inſignes, inſolitoſque animi motus, in primis ex iis, qui totam mentem occupant, et diu detinent, quandoque febres huiuſmodi diſpuliſſe; dum per eos tollebatur, vel corrigebatur illa inertia ſubtiliſſimi liquoris, a qua acceſſionis febrilis exordium videtur haberi. Sic QVINCTVM FABIVM MAXIMVM Conſulem Romanum commiſſo praelio cum Allobrogibus, Auerniſque a febre quartana in acie fuiſſe liberatum.

§. XCIV.

Allata argumenta refelluntur. Atque haec quidem auctoritate viri ingenio, doctrina, vſu, nominis celebritate, ſi quis alius, ſpectatiſſimi nituntur. Quo minus tamen omni ex parte praepropere recipiantur, pauca quaedam obſtare videntur. Et primum ſumma me ſubit admiratio duos aeque claros, aeque ſapientes, et expertiſſimos Medicos, HOFFMANNVM videlicet vnum, alterum SWIETENIVM ab eiſdem omnino febris phaenomenis, quae vterque eorum ad examen revocauit, in duas prorſus oppoſitas ſententias impulſos fuiſſe. HOFFMANNVS auctum in neruos ſpirituum influxum, auctamque ſolidarum partium reſiſtendi potentiam ex iiſdem prope auguratus eſt ſympto-

ſymptomatibus, ex quibus contra SWIETENIVS cum eorumdem ſpirituum imminutionem, atque inertiam, tum vaſorum, et fibrarum laxitatem, atoniamque ſuſpicatus eſt. Adeo magna ſaepe ingenia in cauſſis morborum, quae plerumque obſcuriſſimae ſunt, eruendis inter ſe diſcrepant, atque in contraria ruunt! Deinde nequaquam mirum SWIETENIO videri debuiſſet, ſolidas partes momento fere temporis ita rigeſcere, vt liquori minima vaſa perfluenti nimium reſiſterent; dummodo eas ſpaſmo affici, et ſic contraniti repente poſſe, meminiſſet.

§. XCV.

Ceterum ſi neruei ſucci inertia, et inopia pro cauſſa febris intermittentis proxima, et perpetua habenda eſſet, atque ab eadem laſſitudo, debilitas, tremor, et reliqua ſymptomata, quae inuadentem febrem comitantur, permanarent; quomodo (liceat argumentum retorquere) inertia iſta ſpirituum in cerebro, et cerebello tam repente locum habeat, nulla facultatum animalium laeſione praecedente? Quare, vbi iam ſpiritus inertia laborant, antequam motus in toto corpore deficiant, aut deprauentur, mentis etiam functiones non laeduntur? Neque quiſpiam reponat, liquorem cerebri, et cerebelli, qui cordi tantum impenditur, tunc vitio aliquo torpeſcere, et minui, quaſi non is, ſed alius eſſet, qui mentis functionibus dicaretur; nondum enim certo demonſtratum eſt, duplicem hunc ſpiritum, aut duplex neruorum genus dari, animalibus alterum, alterum vitalibus facultatibus addictum. Quid porro dixeris de febribus intermittentibus, aut remittentibus, quae ſine frigore, ſine rigore, aliiſque imminutarum virium vitalium ſignis accenduntur, quaeque tamen cortice peruuiano ſiſtuntur? Num harum quoque origo ſpirituum vitalium

Inertia ſucci neruei dubia.

iner-

viscera speciatim pertinent. At quoniam haec non vltra indagari se sinunt, et captum fere nostrum excedere videntur, satius erit eas febrium intermittentium causas enumerare, quae manifestae, quia sensibus peruiae, vocantur.

a) *Comm. in Boerhaav. §. eod. Tom. 3. P. 1. p. 93. ed. Venet.*

*) In historia epidemicae febrium Intermittentium constitutionis anni 1765., quam ego Libro inscripto *Saggi di Medicina Pratica ec. P. I. p. 37.* adieci, a miasmatis, quae e palustri solo, corruptisque aquis erumpebant, earum originem deriuandam duxi. Nolui tamen de peculiari illorum miasmatum natura quidquam pronuntiare, ne ad hypotheses confugere, a quibus quam maxime me temperare debeo, cogerer. Hanc ipsam sententiam aliis placuisse, (*vid. Comm. Med. e Filos. d'una Comp. de' Med. d'Edimb. T. 1. P. 1. cap. 5.*) noui, qui tamen et ipsi veram miasmatum horum indolem se ignorare fatentur. Auctor anonymus (*ib.*) ab hac caussa omnes intermittentes oriri credit; neque discrimen vllum esse inter intermittentes et continuas putridas, siue vt ipse appellat neruosas, nisi varietatem miasmatum, quae eas gignunt. Putridae naturae miasma hoc esse, credidit PRINGLIVS (*Malattie d'Armata P. 3. cap. 4. §. 3.*); venenatae, et putredinis non expertis naturae SENACIVS (*L. C. l. 1. cap. 5. et l. 3. cap. 3.*); MORTONVS (*De Feb. exercit. 1. cap. 3.*) venenum hoc esse ait, sed incognitae indolis spiritibus, siue neruis infensum.

§. XCIX.

Caussae manifestae.

Hae autem sunt quaecumque viscidam, lentam, aut aliter prauam in primis viis materiam cumulare possunt, vti alimenta concoctu difficilia, aut crassiora nimis, aut facile corrumpenda; vina immatura, et faeculenta, aut vapida; quaecumque stomachi cruditates, aut succorum abdominis vitia; vita deses; aër squallidus, et palustер; item quaecumque alia animalem oeconomiam euertunt, vti animi curae grauiores, consuetarum euacuationum suppressio, imprudens corporis refrigeratio, viscerum,

rum, et glandularum lymphaticarum infarctus, halitus, et vapores putridi, inspirati, aliaque his affinia.

Diagnosis.

§. C.

Signa.

De cauſſis ſatis, ni etiam plus, quam par erat. Modo quaedam de ſignis. Communia ſigna iam ſupra propoſita fuere; ſingularum propria alibi tradentur ſuis locis. *Pernicioſarum* tamen, ſiue malignarum, quas *comitatas* dixit TORTIVS, diagnoſis innititur, vt dictum eſt (§. LXIX. LXX.) ferali ſymptomate, a quo febris et nomen, et pernicioſam naturam acquirit. Illud autem ſcire oportet initio quidem mitius apparere, at morbo progrediente grauius fieri, et periculoſius. Quare cum nondum ad intenſiorem gradum peruenerit, ad alia etiam ſigna, vt pernicies eius innoteſcat, ſedulo reſpiciendum eſt. In primis abſoluta acceſſione, quam ſuſpectam reddiderat ſymptoma aliquod graue, inquirere diligenter oportet, vtrum die intermiſſionis ſuperſit linguae ſiccitas, aut ſcabrities, aut inſolita aegri, licet nec febricitantis, nec de vlla re dolentis iactatio, inquietudo, vel frequens ad leuamen captandum ſuſpiriorum emiſſio, vel inanis, nullaque occaſione identidem rediens vomituritio, vel alui deiectio ſincera, vel intempeſtiva in ſomnum propenſio, vel alia eiuſmodi: tunc enim aliquid malitiae ſubeſſe ſuſpicabimur.

In primis pernicioſarum, quae comitatae dicuntur.

§. CI.

Quomodo praenoſcantur.

Quo in caſu, niſi hypochondriaci mali, aut alius cauſſae manifeſtae ſymptomata, aut effecta illa ſint, metuendum ſane eſt, ne proxima acceſſione vera cardialgia, aut affectio cholerica, aut lethargus inexpugnabilis, vel aliud eiuſmodi ſymptoma grauiſſimum

mum palam hominem corripiat. Prae ceteris autem nihil magis ſymptomatis patefacit ſuſpectam, atque inſidioſam naturam, quam pulſus; ſi de primis ſex *pernicioſarum* febrium ſpeciebus loquamur. Septima enim non a pulſu, ſed potius a reſpiratione, quae difficilis, inaequalis, et ſtertoroſa eſſe conſueuit, imo a ſimplici, et ſolitario ſymptomate, videlicet ſopore dignoſcitur. In illis autem pulſus toto tempore, quo ſymptoma vrget, itemque illo tranſacto, inſigniter plus minus deprimitur pro maiore, vel minore ſymptomatis pernicioſi intenſione. Ex aduerſo, vbi ſymptoma, etſi alioquin graue, et non ſpernendum, malignitatis tamen expers eſt, arteria, quae manu explorari ſolet, valide renititur, compreſſaque ſtatim reſilit, et vibrat. Itaque quo magis afficitur pulſus, et languet praeſente ſymptomate, quo minus, eo ſuperato, et diſcuſſo, releuatur, reſurgitque, et quo plus roboris, et virium amiſit, tanto pernicioſius ſymptoma illud habendum eſt. Plena vero pulſus defectio ſummum, atque extremum perniciei gradum deſignabit, eamque ſequetur totius corporis, praeſertim extremorum, refrigeratio, aut liuor, facies Hippocratica, demumque mors.

§. CII.

Signa ſubcontinuarum. Supereſt genus *Subcontinuarum.* Hae, quanquam ex intermittentibus paullo diutius protractis coaleſcant, non tamen eamdem acceſſionum manifeſtam naturam retinent, ſed obſcurato paullatim frigore, et horrore, eodem ferme modo, quo verae continuae, ſuum circuitum obeunt, donec ad declinationem perueniant; quae licet ſudore interdum, vt antea, ſtipetur, numquam tamen ad integritatem perducitur. Nec vllo quidem inſueto peculiari ſymptomate, ſed variis, praeter continuitatem,

tatem, et virium paullo maiorem defectum, timorem incutiunt, tanto grauiorem, quanto longius ab intermittentium periodo, et symptomatibus aberrant. Contra *Subintrantes* eodem prope ordine, quo prius incedunt, etsi non plene intermittant, et non multo aegrius feruntur, quam ferebantur, cum adhuc intermissione gauderent.

Prognosis.

§. CIII.

Quod attinet ad prognosim, exstat apud HIPPOCRATEM huiusmodi aphorismus: *Febres quocunque modo intermiserint, periculum abesse, significatur a).* Qui tamen vniuersim acceptus experientia refellitur; nam pernicioſae, quae HIPPOCRATI, si genuina eius scripta consulantur, ignotae fuisse videntur, quantum periculi afferant, etsi intermittunt, iam supra traditum est. Vera igitur loquitur Medicinae parens, si de benignis, et legitimis intermittentibus sermo sit, aut de iis, quae, amissa continuitate, intermissionem acquisiuerint. Nam benignae, et legitimae generatim periculo vacant, imo salutares interdum a quibusdam habentur, hominemque ad longaeuitatem praeparare dicuntur: contra malignae, et spuriae *), praesertim, quae in acutas continuas degenerauerint. Quod auctor *libri septimi epidemicorum*, qui ad HIPPOCRATEM vere non pertinet, iam monuit, dicens: *Cholerica praecipue in aestate, et febres intermittentes, et quibus rigores accedunt, hae aliquando malignae fiunt, et ad morbos acutos perueniunt; sed cauere oportet. Maxime autem tales morbos arguit quinta, septima, aut nona; melius autem vsque ad decimam quartam obseruare b).*

a) *Sect. 4. aph. 43.*

 *) Quae

*) Quae legitimae, aut ſpuriae ſint, vbi ſpeciatim de his agetur, patebit.

b) *N.* 40.

§. CIV.

Prognoſtica alia.

Ad tutius vero, et certius inſtituendum iudicium plurimum facit tum febris, tum modi, quo inuadit, progreditur, et decedit, tum eius, quem occupat, regiminis, item tempeſtatis, conſtitutionis, atque aliarum huiuſmodi rerum accuratiſſima conſideratio. Nam generatim quotidiana diuturnior eſſe ſolet, quam tertiana, non ita tamen, vt quartana, quae ad menſes, imo ad annos interdum, niſi cortex peruuianus opem ferat, producitur, ſic vt, ante inuentum hoc pene diuinum auxilium, opprobrium medicorum paſſim vocaretur. Intermittentes, quae verno tempore prodeunt, citius deſinunt, quam quae autumno. Viſcerum robur; excretiones per ſuperiora, aut inferiora opportuno tempore, et coctione peracta, ſi coctioni locus eſt, contingentes; ſudor moderatus morbum leuans; non craſſus, non viſcidus, non frigidus, vniuerſo e corpore profluens, neque nimium protractus breviorem morbum efficiunt: contrariae his notae; ſanguinis acritudo vel praeſens, vel imminens; cacochymia, ſolidarum partium debilitas diuturnitatem praeſagiunt, vel aliorum morborum ſucceſſionem, nempe viſcerum obſtructionum, tumorum varii generis *), oedematum, cachexiae, aſcitis, hydrothoracis, anaſarcae, icteri, aliorumque malorum, in quae febres illae, quas ſupra (§. LXVIII.) *corruptiuas* nominauimus, praeſertim terminantur.

*) Triplex genus tumorum ex HAENII fide, atque auctoritate (*Rat. med. P. XI. cap.* 1.) febribus intermittentibus ſuperuenit. Primum genus faciunt lien praedurus, et magnus, pedumque oedemata. Lienis tumor, teſte SYDENHAMIO, ſaepe febrim fugat, maxime in pueris, vt ſaepe euenit; ideoque ſalutaris dicitur, quamquam, vt

ego

ego arbitror, non ſemper. Oedemata vel ſponte, vel leni frictione euaneſcere, idem HAENIVS aſſerit. Sed id quoque minime perpetuum eſt; ſaepe internis auxiliis indigent. Alterum genus thoracis, et abdominis viſcera afficit; hinc hydrops, icterus, rhachitis. *Haec difficillima curatu ſunt. Tertium complectitur ſcirrhos, et cancros ab obſtructionibus viſcerum ortos, quibus aſcites et hydrops ſaccatus accedunt: mala item, vt liquet, vix ſpem vllam relinquentia.

§. CV.

Errores quoque in diaeta commiſſi, cathartico- *Alia ad Prognoſim ſpectantia.*
rum, aut phlebotomiae abuſus diuturniores, pertinacioreſque has febres reddunt, praeſertim quartanas, quarum diuturnitatem etiam appetitus praeter morem auctus praenunciare ſolet. Notatu digna ſunt, quae auctor *coacarum* praenotionum *a*) appoſite habet. En verba: *Qui per febres intermittentes, inaequaliter incaleſcentes, aluum habent flatibus diſtentam, pauca tranſmittentem, iis poſt iudicationem lumborum dolore ſuborto, alui prorumpunt. Qui autem ad manus contactum exardeſcunt, torpore, ſiti, ac corporis incontinenti iactatione vexantur, ii aluo intercepta grauati exſoluuntur. Interdum etiam praerubra in pedibus ambuſta eadem denunciant.* Item huc ſpectat illud Hippocraticum *b*): *Intermittens vero febris, eademque errabunda in quartanam mutabitur, praecipue ſi autumnus proximus eſt.* Reliqua ſingulis harum febrium generibus magis propria alibi.

a) *N.* 158. *b*) *Praeſag. l. 2. n.* 28.

Curatio.

§. CVI.

Alia eſſe debet in benignis, et *depuratiuis*, alia *Monita generalia.*
in *pernicioſis*, et *corruptiuis* (§. LXVIII. LXIX.) curandi ratio. Benignae, exquiſitae, et *depuratiuae* vix medici opera egent. In his enim materia mor-

bifica ſolis naturae viribus ſubigitur, ſingulisque acceſſionibus difflatur, aut ſenſibili aliqua euacuatione ſic excernitur, vt paullatim ſanitas redeat Contrarium euenit in reliquis, quae non, niſi arte, et medicamentis feliciter expugnantur, cortice in primis peruuiano adhibito. In vniuerſum cauſſa materialis, ſiue fomes febrilis corrigi, atque expelli debet. Regendus praeterea febris motus eſt, vt etiam eius ope id conſequamur. Demum ſymptomatibus, atque aliis malis, quae hiſce febribus interdum ſuperueniunt, mature, prudenterque occurrendum. Si materialis cauſſa latet, aut corrigi, expellique non facile poteſt, aut eius indolis eſt, quae naturae vires ſuperet, vt in perniciosis, et malignis, aut corruptiuis vſuuenit, tota curatio cortici peruuiano committenda eſt, qui mirabili quadam virtute omnes intermittentes, dummodo primariae, et legitimae ſint, non vero ſymptomaticae aut ſpuriae, cito, tuto, et iucunde vincit, et depellit.

§. CVII.

In primis ad cauſſas manifeſtas reſpiciendum.

Aduertere in primis animum oportet ad cauſſas remotas, et manifeſtas, quae febri occaſionem dederunt. Vbi ab animi pathemate, veluti ira, vehementi terrore, cupiditate, ſimilibuſque orta febris videatur, tunc vero ſimile eſt, nullum aliud vitium corpori ineſſe, ſi tamen cauſſam eiuſmodi ſufficere crediderimus, quin humoribus aliquid labis illatum ſit. Itaque vt ipſa tollatur, aut conſopiatur, ſufficit animi quies, tempore; aut ſomno procuranda, vel aliud pathema excitatum, quo prioris effectus quodammodo deleatur, quemadmodum ſingultui, aut leuiori haemorrhagiae incuſſum terrorem remedio eſſe ſaepe videmus. Si vero a frigore, aut a cohibita tranſpiratione inducta fuerit febris, probabile eſt, lentorem ſanguinis indenatum

tum per motum febrilem resolutum iri, et perspirabile retentum per sudores exiturum. Cum primae viae peregrinis succis, aut inquinamentis scatent, febrimque alunt, ideoque nausea, lingua sordida, halitus foetens, anorexia, epigastrii, hypochondriorumque tensio, aut grauitas morbum comitantur, aut antecesserunt, aut similia cacochyliae gastricae indicia adsunt; emeticis, catharticis, clysteribus, potu largo, saponaceo, incidenti, salito, atque abstinentia vtendum est, vt sordes omnes expurgentur radicitus. Id autem in iuuenilibus corporibus, et sanguine plenis, praemissa venae sectione, promtius, tutius, feliciusque perficitur. Turgente bile, vt saepe in biliosis temperamentis, aestiuoque tempore, quo febres ardentium naturam facile induunt, turgere consueuit, praeter ea, quae leniter sursum, aut deorsum eiiciunt, subacida quoque in vsum veniant, vtpote quae alkalescenti, aut putrescenti humori obsistunt, quidquid contra obmurmurent, si qui adhuc sunt Syluianae hypotheseos sectatores. Fieri tamen aliquando potest, vt cruditas acida primas vias oppleat, febribusque contumacioribus caussam suppeditet. Id vitii cognoscitur ex victu farinaceo, crudo, vegetabili, acido iam, vel ad acescendum prono, ructibus acidis, facie pallida, ventre tumido, excrementis viridibus, acidumue spirantibus, aetate, aut sexu ad acidum spontaneum procliuiori. Tunc profecto absorbentia, acidumque emendantia cum eccoproticis rhabarbarinis felicissime cedunt. Hinc magnesiae albae, pulueris ostrearum in calcem redactarum, saliumque alkalinorum fixorum ad intermittentes quasdam febres fugandas celebrata virtus.

Quid si a bile?

Quid si a cruditate acida?

§. CVIII.

Quid ſi cum ſanguine phlogiſtico?

Interdum ſanguis diatheſi inflammatoria, ſiue lentore calido, aut copia, aut acrimonia biliosa, aut praua alia ſimili qualitate a naturali ſtatu deflectit, quod praecipue in continuis iam ab initio, aut ad continuitatem pronis non rarum eſt; tunc ſanguinis miſſio, et diaeta ſeuerior requiritur, praeter ea, quae diluunt, refrigerant, et acritudinem notam emendant. In diuturnioribus intermittentibus febribus non nunquam lentor humorum frigidus, ſiue mucus iners, vix acer, difficulter putreſcens occurrit, qui vltima arteriarum, venarumque reticula, aut circumpoſitas cellulas, in quibus tardior circulationis motus eſſe videtur, infarcit, ac lenteſcendo obſtruit. Huiuſmodi vitium plerumque comitem habet ſolidarum partium atoniam, imo ſaepe ab hac, vt cauſſa, dimanat. Tunc ſolvendus mucoſus humor eſt amaris, ſalinis, acribus, calefacientibus, et leniter excitandus viſcerum, vaſorumque omnium tonus, firmandusque corroborantium vſu.

Aut muco inerti?

§. CIX.

Quid ſi a noxiis halitibus?

Si vero noxia effluuia, putridi paludum vapores, miaſmata epidemica, aut ſimile quidpiam veneni inſtar febrim genuiſſe videantur, ad antiſeptica, quorum latiſſima ſupellex eſt, confugere illico oportet; ſed ceteris omnibus antecellit cortex peruuianus, dummodo optimae notae ſit, et liberali manu, vt opus eſt, adhibeatur. Si febris demum intermittens, ſecundaria, aut ſymptomatica eſſe cognoſcatur, vt ea eſt, quae a ſtrumis, a ſcorbuto, a lue venerea, ab hyſterica, aut hypochondriaca paſſione, a catarrho, a rheumate, a tuberculis, a phthiſi pulmonari, aut alio morbo primario, vt ſymptoma, interdum pendet; omiſſo tum cortice,

Curatio ſecundariae aut ſymptomaticae.

vtpote

vtpote inefficaci, et febri, licet intermissionibus distinctae, tollendae impari, transeundum ad ea remedia, quae primario morbo accommodata sunt, diuque in iis persistendum est.

§. CX.

Haec generatim dicta ob oculos semper habeat, oportet, quicumque febribus intermittentibus curandis manum rite admouere cupit. Praeterea quaedam ei scitu necessaria superiunt de recta sanguinis missionem, aliasque euacuationes instituendi ratione, vt fax aliqua Tyroni quasi praeluceat, cuius ductu syrtes, scopulosque in dubio certamine, incertisque rebus ad rationis, experientiaeque normam vitare possit. Et primum quod ad sanguinis missionem attinet, haec communi fere omnium opinione reprobatur in intermittentibus praesertim epidemicis, etiam vernalibus, quia per eam, vti SYDENHAMIVS testatur *a*), saepe efficitur, vt pernicioſiores reddantur, longiusque tempus perdurent, adscitis interea grauissimis symptomatibus non sine vitae ipsius periculo. SYDENHAMIO accedit TORTIVS, qui eandem omnino obseruationem adducit, affirmatque eadem die, qua sanguis e vena missus est, saepe febrem e simplici duplicem *) fieri. Fatetur tamen id ipsum sponte, et sine huiusmodi causſa pluries euenire; tumque illud a venae sectione praestitum esse, cum eam in febribus aestiuis sine prudenti rerum omnium consideratione adhibitam viderit. *Monita circa sanguinis missionem.*

a) *Observ. med. sect.* I. *cap. V.*

*) Nocuam sanguinis missionem repetitam, atque reduplicari inde febres vidit RAMAZZINIVS in *Constitutione epidemica rurali an.* 1690., in qua febres intermittentes ob pluuias immodicas, et annonae caritatem, in primis *corruptiuae* grassabantur. Vid. l. c. §. 9. et 41.

§. CXI.

Qua ratione Medicus se gerere debeat in sanguinis missione deliberanda.

Itaque ratio, et cum ratione coniuncta experientia suadent, hic distinctione aliqua opus esse, nimirum neque semper sanguinis missionem in hisce febribus pertimescendam, neque certe in omnibus indiscriminatim et effuse administrandam. Nam et anni tempus, et febris naturam, atque aegri aetatem, temperiemque considerare oportet, antequam quidpiam deliberetur. Verno tempore, quo corpora turgent sanguine, humores rarescunt, et expanduntur, et quodammodo ad se se defaecandum propendent, si febres eo vergant, vt plerumque solent; si aetas, et temperamentum, et reliqua consentiant, cur non poterit vtiliter humorum copia per venae sectionem minui, spatium maius in vasis parari, vt naturae motus expeditiores facti, citius, et facilius fine suo potiantur? Quid? si etiam paullo acutior sit morbus, et pulsus vehementior, pleniorque? Nonne in tanta vasorum plenitudine, sanguinisque concitatiori motu inflammationes viscerum, congestiones, canaliumque ruptiones liceat per sanguinis missionem praecauere, atque auertere?

§. CXII.

Aestate, et Autumno S. missio minus conuenit.

At vero aestate, cum parcior sit sanguinis quantitas ob subtiliorem partem in vapores resolutam; cum humores omnes ad liquescendum inclinent; cum summa se vbique prodat eorum ad alcalescentiam, et corruptionem procliuitas; cum bilis copiosior, et feruidior praeualeat, non temere vena secanda est; nimirum non, nisi in maiore sanguinis aestu, in diathesi inflammatoria, vasorum, habitusque plenitudine, atque aliis huiusce generis conditionibus. Multo minus autumno sanguinis missioni locum esse, plerique scriptores arbitrantur,

quia

quia disperſa ſubtiliori humorum parte, vapidam, quae remanet, atque effoetam credunt. Quare eo tempore febres profecto lentae, et diuturnae plerumque videntur, ſicut craſſos, lentos, inerteſque liquores decet. Attamen quandoque incidit, vt in tempeſtatibus etiam, quae minus ſanguini mittendo opportunae habentur, eiuſdem conſtitutio ob aliquam intercedentem cauſſam ad inflammationes proniſſima ſit, aliterque de venae ſectione ſentiendum iubeat.

§. CXIII.

Prae ceteris febris ipſa, eiuſque ſymptomata animaduerſionem merentur. Vehemens eius gradus, aut ad continuitatem magna procliuitas venae ſectionem expoſcit, item graue aliquod ſymptoma, vti coma, delirium, pleuriticus dolor, ſanguinis ſputum, ſumma ſpirandi difficultas, eamdem exigunt, modo cetera non aduerſentur. Neque ſola ſanguinis miſſio, ſed cucurbitulae etiam, atque alia reuellentia praeſidia optime tunc adhibentur. Verum haec, vt cuilibet manifeſtum eſt, non ratione febris tantummodo, ſed adiunctorum ſymptomatum cauſſa conueniunt; neque in benignis, atque exquiſitis ſemper, ſed potius in perniciosis, aut corruptiuis opportuna vere ſunt. *Quando febris per ſe S. M. poſtulat.*

§. CXIV.

Aliquid etiam dicendum eſt de tempore, quo mitti ſanguis poteſt. Apud Gallos in ſummo aeſtu febrili mitti ſolet, nec aliter faciunt plerique Italorum. Apud alios vero, et praecipue Galeni, veterumque ſectatores die intermiſſionis, aut ſaltem febre ad finem properante tantum. Sed ſi neceſſitas vrget, quouis febris tempore recte mittitur, excepto primo acceſſionis ſtadio, quo certe hominem venae ſectio iugulare poteſt; quidquid contra aut *Tempus, quo mitti ſanguis poteſt.*

agant, aut iudicent nonnulli, quos nouandi cupiditas audaces reddit, aut temeritas adiuuat.

§. CXV.

De purgendi ratione. Quae de sanguinis missione ex SYDENHTMIO, et TORTIO retulimus, eadem illi habent de purgatione, affirmantes, similes omnino effectus, quos viderunt a venae sectione, etiam purgationem, praesertim in constitutione epidemica, subsequi. Minus tamen noxiam purgationem, et vomitionem fuisse in memorata rurali constitutione (§. CX.) Mutinensi deprehendit RAMAZZINIVS, dummodo prudenter, atque intra moderationis limites adhiberentur. Alias morbum pertinaciorem reddebant, deterioremque. Imo MATHAEVS GEORGI (*Art. giocol. di medicar. p.* 61.) narrat in Dertonensi ditione quodam autumno *febres tertiano typo recurrentes frequenti purgatione tractatas lethales euasisse;* omissa autem purgatione ex consilio *eximii Medici* MORO fere omnes sanatas. Ceterum non pauci vomitionem laudant, in quartanae potissimum initio, et interdum, prout res postulat, repetitam. Ea enim materiam, quae morbum facit, promte, et celeriter tam e primis viis, quam e remotioribus locis educi, aut characterem, vt vocant, quem in neruis tamquam febris proximam caussam, aut potius proegumenam *) ponunt, tolli, et deleri, et sic contumaciores febres exstirpari asserunt. Alii contra cane peius, et angue emetica reformidant, aut inutiliter adhibita non semel fuisse narrant, exemplis in medium allatis. At nobis media via incedendum esse videtur; nimirum emeticis tum vtendum, quando magna putridae, aut viscidae saburrae copia ventriculum grauat, aut bilioso humore deprauato turget cystis fellea, hepar et duodenum. Id autem indicant caussae antecedentes,

et

et procatarcticae; sapor amarus; nausea, stomachi pondus, de quibus aegri, dum mane euigilant, in primis queruntur; flauus oculorum, faciei, aut vrinarum color; appetitus deiectus; hypochondria, aut epigastrium turnidum. Interdum etiam hoc purgationis genus a sola febris diuturnitate, et pertinacia, aut ab autumnali tempore exposcitur, quasi vehementiore quadam concussione opus sit, vt fomes febrilis ab interioribus viscerum latibulis excutiatur. Sed antequam emetica adhibeantur, temperamentum, aetatem, vires, vitae genus, pectoris, et capitis conformationem, morbos antecedentes, aliaque perpendere oportet, verum consentiant. Lenia item apud nos eligantur, atque vbi vasorum aliqua plenitudo appareat, non nisi post ea per venae sectionem depleta propinentur **). De tempore, quo dari debeant, opportuniore, disceptatur inter auctores. Alii tempus ab accessione remotissimum; alii quam proximum ante accessionem praeferendum existimant; atque his suum quoque calculum addit HAENIVS *a*). At spasmi, et turbae, quae incipientem accessionem comitantur, ab emetico ita augeri possunt, vt medicum deinde poeniteat temeritatis.

*) In omnibus morbis solent Pathologi ponere caussam proëgumenam, siue praedisponentem, cui si superueniat caussa procatarctica, siue occasionalis, ex vtriusque confluxu dicunt oriri caussam morbi proximam. Cl. SWIETENIVS (*Comm. ad* §. 755.) in febrium intermittentium aetiologia hanc ipsam sequitur doctrinam, agnoscitque in neruis quamdam mutationem, siue characterem, quo praesente, vti caussa proëgumena, facile ex leui quacunque occasione febris excitatur. Hunc characterem etiam sufficere sine humore vllo, siue fermento, siue fomite, ad febrim statis horis reuocandam, non dubitat. Quare febrili fomiti videtur ipse quodammodo aduersari. Eius opinionem amplexus est ALBRECHTVS THEAR (*De actione systema. nerwosi in febribus. Gotting.* 1774.) aliique nuperiores.

riores. Sed quae de huiusmodi hypothesi in vtramque partem dici possunt, videantur apud TRNKA *Hist. Febrium intermit. vol.* I. *a* §. 37. *vsque ad* §. 52.

**) Neglecta huiusmodi cautione non modo pulmonum vasa lacerari possunt, verum etiam cerebri. Internam cerebri haemorrhagiam inueni in cadauere hominis, qui post emeticum stupidus factus intra viginti quatuor horas grauissima ex apoplexia periit.

a) *Rat. med. T. XI. cap.* I.

§. CXVI.

Damna validioris purgationis. Validiorem alui ductionem complures TORTIVM secuti damnant; damnauerat etiam SYDENHAMIVS modo laudatus, nec immerito: nam quod purgationis amatores sibi proponunt, primas nimirum vias et viscera a prauis succis, obstructionibusque liberare, vix vnquam assequuntur. Vires potius prosternunt, tonum viscerum labefactant, cruditatem augent, febresque reddunt diuturniores, imo periculosiores, in primis, si corruptiuae, aut pernicioſae indolis erant. Quamquam vero exercitatissimus TORTIVS iteratis experimentis id didicit, non tamen is est, qui omnem purgandi rationem reiiciat; blandam videlicet, lenem, et circumspectam. Licet igitur, vbi purgandi indicatio non desit, lenibus medicamentis, et pro humorum peccantium, anni temporis, aetatis, temperamenti, consuetudinis, vitae generis ratione diuersis aluum ducere. In biliosa constitutione, feruidiori anni tempore, similibusque casibus lactis serum aut simplex, aut ex tamarindis decoctum, aut cremore tartari imbutum sufficiet. Cremor item tartari vnciae pondere in aquae fontanae feruentis duabus, vel tribus libris solutus, et potui datus blandissime repurgat. Si acres, et tenues succi ventriculum ad inanem vomitionem, aut intestina ad deiiciendum frustra proritent, nec materia turgeat, oleo vel oliuarum dulci, vel amygdalino recenter sine

Laudatur blanda et circumspecta purgatio.

ignis

ignis ope expreſſo, et ad tres, vel quatuor vncias ex iure tenui propinato moleſtiae huiuſmodi egregie ſedantur. Quod ſi paullo craſſior, aut copioſior materia in primis viis haereat, et tempeſtas autumnalis, temperamentum pituitoſum, aliaque huius generis concurrant, lenientium virtus augeri poterit. Hinc vel ſales medii, et amari cathartici, vel caſſia, vel manna, vel conſerua florum perſici, vel electuarium lenitiuum, vel rhabarbarum, vel ſpecies Hierae ſimplicis Galeni erunt conuenientiſſima. Cl. BECCARIO de me, auditore olim ſuo, optime merito in vſu erat bolus, qui recipit florum caſſiae et conſeruae maluae, vtriuſque drachmas duas, et rhabarbari electi drachmam ſemis; quem ſuauiſſime vrgare ipſe aiebat. Interdum ſolis clyſteribus optatum finem conſequimur, qui tutiſſimi ſunt, et, quoties opus eſt, ſine vllo aegrotantis incommodo iterantur.

§. CXVII.

Expiatis primis viis vtiliter vſurpari ſolent quaedam ex iis, quae peculiari humorum, aut ſolidarum partium vitio cognito opponuntur, et veluti remotas cauſſas emendant, quaeque *febrifuga* vulgo etiam appellantur, quia interdum febrem et ipſa tollunt. *Primum locum obtinet ſerum lactis ſimplex*, vel incoctis herbis amaricantibus alteratum, et per aliquot dies ieiuno ſtomacho ſumendum. Deinde veniunt plantae quaedam, vti Cichoreum, Taraxacum, Fumaria, Agrimonia, Carduus Benedictus, Chamaedrys, Centaurium minus, Abſinthium, Ruta, Marrubium album, Cardiaca, Pentaphyllon, Securidaca; item flores Chamaemeli *a*), Tanaceti Agerati *b*), Arnicae montanae *c*), ſicuti etiam radices Pruni Sylueſtris, mali Perſicae, Serpentariae virginianae, Lappae maioris, Gentianae, aut

Febrifuga varia.

aut cortex Nucis arboris *d*), fecundus Fraxini, Hippocaſtani *e*), Salicis *), Aurantiorum, Caſcarillae, Lignum Quaſſi, ſiue eiuſdem radix *f*), Baccae Cupreſſi, et plantae omnes antiſcorbuticae, in primis Trifolium fibrinum, ex quibus decocta **), diluta, ſucci, extracta, tincturae, pulueres, electuaria, pilulae, mixturae varii generis parantur.

a) Chamaemelum celebratum primum fuit a NECHEPSO, ab AETIO, deinde a MORTONO, a PITCARNIO, a CARTHEVSERO, a LANGIO, aliiſque. Vid. LANGE *Miſc. vericat. faſc.* I. *p.* 79. *b*) Vid. *Saggi di Med. di P. Paolo dall' Arme P.* 2. *p.* 202. *nella nota.* *c*) COLLIN. *Arnicae in febribus vires, ſiue obſeruat. P. V.* *d*) FEBVRE *in not. ad Grantiam de febrib.* *e*) Vid. Cl. ANT. TVRRAE *Lettera, ed alcune oſſervazioni ſulla febbrifuga facoltà dell' Ippocaſtano*, quo in libro hiſtoria huiuſce remedii, quod primus MISTICHELLIVS commendauit, vſque ad noſtra tempora comprehenditur; nouiſque periculis excellens eiuſdem vis aſſeritur, et vindicatur. Anno vero ſuperiore 1782. prodiit Commentarius JO. FRANCISCI ZVLATTI Cephaleni, ANGELI doctiſſimi viri filii, quo ornatiſſimus adoleſcens duodecim medicas periclitationes remedii huius vires explorandi cauſſa in Noſocomio Patauino diligentiſſime inſtitutas profert, quarum euentus Cl. TVRRAE obſervatis omnino aduerſatur. Nec rarum eſt, in huiuſmodi experimentis, ex leuiſſimis quandoque cauſſis, medicos quamplurimum inter ſe diſſidere. Verum ſi *Hippocaſtano* locum inter febrifuga denegat ſuis experimentis ZVLATTVS, auctoritate tamen Cl. JO. MARSILII Botanices Profeſſoris Patauini, et periculis compluribus cum Patauii, tum Parmae factis permotus, alio febrifugo ditandam medicinam contendit, *Datiſca* videlicet *cannabina*, cuius egregiam aduerſus febres intermittentes facultatem concelebrare non dubitat. Vid. eius *Oſſervaz. ſopra la facoltà febbrifuga dell' Ippocaſtano. Firenze* 1782. *p.* 17. Antifebrilium quoque medicamentorum claſſem adaugere ſtuduit Cl. RVDOLPHVS BVCHHAVE. Is enim Hafniae ann. 1781. ſuas *obſeruationes circa radicis Gei Vrbani, ſiue Caryophyllatae vires in febribus praecipue intermittentibus, aliiſque morbis inſtitutas* euulgauit. Centum et viginti tribus medicis hiſtoriis praeſentiſſimas noui huius remedii

vires

vires demonſtrare anniſus eſt. Si experimentorum numerus, ſi auctoris fides, ſi confidentia, quam vbique oſtentat, conſiderentur; nullus profecto de antifebrili Caryophyllatae virtute dubitauerit. Sed neſcio, quo aduerſo fato fiat, vt ſaepe quae alibi remedia laudibus extolluntur, breui apud nos in Italia celebritatem omnem amittant. Id ipſum vehementer doleo contigiſſe Geo vrbano, quod a noſtris auide receptum, et multiplici ratione tentatum votis nequaquam ſatisfecerit. Excipio tamen Cl. FELIC. ASTIVM R. Protophyſicum Mantuanum, qui miram huius remedii facultatem antifebrilem experrus eſt in febribus intermittentibus diuturnis, et admodum recidiuis chinae chinae non amplius auſcultantibus. Vid. eius *Mem. epiſt. intorno le Malattie corſe in Mantova nel* 1782. inſert. *Volum. VII. Opuſcul. med. Prat. p.* 98.

*) Species ſalicis, cuius corticem adhibendum volunt, eſt *ſalix vulgaris alba*. Decerpitur cortex ex ramis minoribus trium, vel quatuor annorum, qui craſſitiem ab vno ad quatuor pollices habent, ſiccatuſque in puluerem redigitur. Huius autem puluerís ſcrupulum vnum, vel duo dari debent quarta quaque hora tempore integritatis. Sic quinquaginta aegros, et vltra, ſine vlla noxa perfecte a ſe ſanatos aſſerit ETMVNDVS STONE. Idem in pertinacibus quartanis, aliiſque morbis, qui difficulter remediis auſcultabant, pulueri corticis ſalicis addidit quintam chinae chinae partem, qua ita eius vires augentur, vt aegri repente conualeſcant. Neque vlla praeparatione ante huius remedii vſum opus eſſe dicitur. *Philoſoph. Tranſactions. Vol. LIII. p.* 195.

f) Vid. *Sebaſtiani Severii*, auditoris olim noſtri, *Commentarius, in quo medicatae Quaſſiae vires expenduntur. Ticini* 1776. Sed exiguas omnino Quaſſiae vires antifebriles eſſe, ſuis experimentis oſtendit Auctor.

**) Cl. HAENIVS ad curandas febres intermittentes commendat ſequens decoctum:

Rec. rad. Gramin.
Taraxaci an. lib. j. ss.
Minut. conciſ. et contuſ indantur in aq. purae qu. ſ. Decoq. per bihorium.
Colatur. praelo expreſſ. lib. iij. add.
Oxymel. ſimplic. lib. ſem.
Sal. Polychreſt. drachm. vj.
M. detur vncia quouis bihorio.

Vid. *Rat. medend. Part. XI. cap. I.*

§. CXVIII.

§. CXVIII.

Sales medii.

His, prout e re fore videtur, adiici poſſunt *ſales digeſtiui* dicti, tartari, abſinthii, tartarus vitriolatus, polychreſtus, de duobus, ſiue arcanum duplicatum, nitrum vitriolatum, digeſtiuus SYLVII, mirabilis GLAVBERI, tartarus ſolubilis, ſimileſque alii. Multa alia commendantur ab Auctoribus, quorum ſingula perſequi longum nimis eſſet.

Riverii et Crollii Specificum.

Non tamen ſilentio praeteriri pauca quaedam debent, vtpote vſitatiora, et longa experientia apud multos veluti comprobata. Tale eſt illud CROLLII et RIVERII ex ſale alkalino fixo, et acido vitrioli-

Specificum Mortoni.

co *) conflatum, aut illud aliud, cui nomen *Specificum* MORTONI, ex floribus chamaemeli, ſale abſinthii, et antimonio diaphoretico conſtans **), quo Auctor eas intermittentes viciſſe narrat, quae cortici peruuiano reſtiterant, quae ſecundariae, aut ſymptomaticae, et ſpuriae fortaſſe fuerunt. Laudantur quoque Sal ammoniacum ad drachmas duas

Sal ammoniacum.

bihorio ante acceſſionem datum ***), Camphora collo appenſa, aut intrinſecus ſumta, ſemina Paſtinacae ad drachmam vnam, itemque teſtae ouorum in calcem igne redactae ad drachmam ſemis bis, aut ter in die adhibitae, quarum SAVVAGESIVS *a*), aliique teſtantur vtilitatem. In Hiſpania frequenti vſu commendatiſſimum eſt AVDONII Febrifugum ex Fabarum *Caffee* ſaturatiore decocto, et citrei mali ſucco compoſitum ****).

Paſtinacae ſemina.

Febrifugum Audonii.

*) Sic paratur: *Rec. aq. cichor. vnc. iij. Sal. abſinth. alcal. drach. ſem. ſpirit. ſulph. aut vitriol. gutt. XII. vel ſcrup. j. M. hauriatur duabus horis ante acceſſionem.*

**) Specificum Mortoni ſic deſcribitur ab auctore ſuo (*De febr. intermitt. cap. VI. exercit. I. p. 50.*)

Rec. Flor. chammemel. ſubtiliſſ. pulv. (plus minus pro aetate) ſcrup. j.

Antimon. diaphor.

Sal.

Sal. absinth. an. scrupul. sem.

M. f. pulv. sumendus in haustu cuiuscunque iulapii temperati; aut in formam boli, aut pil. cum mucilag. gumm. tragacanth. redactus, sexta quoque hora per biduum vel triduum repetendus. Historias hoc remedio curatarum febrium vide sis apud eumdem *l. c. cap. IX. p.* 115. *et seq.*

***) Nocet calidiori temperamento praeditis, et facile intermittentes in continuas commutat; quod non semel vidi egomet ipse, videruntque alii.

a) Nosolog. cl. 2. *Feb. interm. ord.* 3.

****) AVDONII *Febrifugum* sic habet:

Rec. Caffee rost., et trit. drachm. sex, coq. in aquae vnciis tribus ad dimidias. Resid. decantat. add. succi citri vncias binas. M. calide propinatur aegro ieiuno apyrexiae tempore. Aluum, et sudorem mouere dicitur.

§. CXIX.

Quaedam alia celebrantur.

WERLHOFIVS *a) non spernendum* remedium testatur *oleum animale* DIPPELII ad guttas quinque, et viginti haustum, eoque tertianam fugasse refert LINNAEVS *b).* Sulphur quoque *minerale* a drachma dimidia ad vnam aliquoties ante accessionem ingestum ab ETTMVLLERO, RVLANDO, RIVERIO, aliisque *c)* inter antifebrilia recensetur. Inter haec locum aliquem inuenit pariter *Kermes minerale*, cuius semigranum infantibus febre intermittente laborantibus bis, ter, quaterue in die ingestum summopere prodesse, auctor est GEOFFROYVS *c**). Adstringentia etiam extolluntur. Decoctum Plantaginis post DIOSCORIDEM, et GERBEZIVM SENACIVS adhibuit ad febres contumaciores *d).* Gallas a drachma semis ad vnam omni quadrihorio RENEAVLMIVS *e).* Alumen crudum a dimidio scrupulo ad vnum ex decocto centaurei minoris quinque horis ante febris ingressum datum summopere concelebrant HARTMANNVS, GRVNLINGIVS, ETTMVLLERVS, atque alii *f).* A stypticis autem huiusmodi remediis consultius putauerim omnino abstinere. Nec tuta, nec innocua omnino

esse, suadet ratio. Denique Aqua sola affatim per biduum, aut triduum sine alio alimento a veteribus primum, nunc a SENACIO *g*) et DIDELOTIO *h*) tamquam certissimum *antipyreticon* proponitur. Opium etiam non nulli *), et Theriacam ante accessionem dandam iubent, nec desunt, qui venena, et in primis arsenicum, vt FRICCIVS, nucem vomicam, cicutam, fabam sancti Ignatii, araneas, aliaque aut absurda, aut nauseosa, vti vrinam humanam, aut vaccinam, puluerem pyrium, piper, suadeant. Sed pleraque ex his aut noxia, aut futilia factis periculis deprehensa sunt, prae primis arsenicum, a quo Cl. viri HAENIVS, STÖRCKIVS Archiatror. Caesar. comes, et QVARINIVS plurima, et ferme incurabilia mala profecta (1) testantur.

a) *Observ. de febr. section.* 2. §. 3. *b*) *Dissertat. de morb. aduen. in America vexantib.* §. 84. *c*) TRNKA *l. c. P.* 2. *sect.* 2. *cap. V. §. e.* *c**) *Mat. Med. T. I. p.* 126. *d*) TRNKA *l. c. cap. VIII. §. a.* *e*) *Acad. Roy. des Scienc. des Paris an.* 1711. *f*) TRNKA *l. c. §. f. p.* 508. *g*) *L. c. lib.* 3. *cap.* 8. *h*) *Avis aux Gens de la campag. chap.* 20. *p.* 155.

*) Cl. BERRYAT quia verosimilius putat, a spasmis intermittentes oriri, quam ab obstructionibus, praesertim quando magno cum horrore inuadunt, idcirco medicamentum ex opio, quo spasmi tollantur, praebet. Vtitur autem laudano liquido SYDENHAMII, in infantibus ad guttas sex, in adultis ad viginti, ex diluto centaurei minoris, hora vna ante accessum horroris. Sudorem promouet, si aeger lectulo se contineat. Ipse tertianas se curasse ait, quae corticem chinae spreuerant. Vid. *Comm. Lipsi. Vol. VI. P.* 3. *p.* 517. 518. At neque hoc tutum remedium est. Nata inde noui lethalia, et vix superanda symptomata. MORISOTVS, etiam DESLANDES multorum experientia annorum edoctus memoratam BERRYATI methodum nuper vituperauit, et reiecit. Vid. *Journal de Méd. Janvier* 1781. *p.* 23.

(1) HAEN. *Rat. med. T. XI. p.* 64. 65. STÖRCKIVS *Ann. med.* I. *p.* 79. 80. QVARIN. *febr. medend. cap. XII. p.* 138.

§. CXX.

§. CXX.

Praeterea a nonnullis topica quaedam et propo- *Topica sive Epicarpia ante febrilia.*
nuntur, et magno in pretio habentur. Duo tantum *epicarpia* hic commemorabo, quae MORTONVS tamquam vsu comprobata describit. Alterum ex Terebinthinae venetae, et pulueris Olibani aequis partibus constat; alterum vero ex Chelidonio maiore, et Ruta cum fuliginis, saponis veneti, et salis marini idonea quantitate contusis, atque aceto acerrimo subactis. Vtrumque carpis manuum admoueri solet bihorio ante nouam febrim. Neque reticendum est, nuperos quosdam non infimae notae medicos praecipere, vt totum corpus pannis calidis aliquo ante accessum febrilem tempore perfricetur, et deinde decoctum aliquod sudoriferum praebeatur, vt prouocato sic sudore frigus arceatur. Id bis felicissime tentauit Cl. STÖRCKIVS *a*).

a) *Ann. med. 2. p. 161. et seq.*

§. CXXI.

Demum magni interest, quomodo aegri in qua- *Regimen in quauis accessione.*
vis accessione gerere se debeant. Initio accessionis, quo frigus se exserit, *maturius veste multa* aeger *tegendus est;* admouendaque *sicca et calida fomenta* partibus, quae maiori frigore afficiuntur, sic tamen, *vt ne statim*, vt ait CELSVS, *vehementissimi calores incipiant, sed paullatim increscant a*). A potu, quoad fieri potest, abstinendum esse docent plerique clinicorum, quanquam eo tempore sitis quam ardentissima ad bibendum solicitet. A potu enim, praesertim frigido, et copioso non modo frigus molestius, diuturniusque redditur, verum etiam nausea, vomitus, anxietas, et turbationes internae inualescunt. Nihilo tamen minus, vbi sitis intolerabilis est, potus calidiusculus concedi poterit, sed exigua, et parciori manu; quo fauces humectentur,

tur, morbifica materies diluatur, faciliusque properet ad excretionem, et spasticae interiorum, exteriorumque partium contractiones relaxentur. Quo etiam tendere videntur linimenta neruina, et aromatica, quibus scrobiculus cordis, et spina dorsi calide inungi possunt. Oleum nucistae, balsamum peruuianum, oleum stillatitium cerae, succini, terebinthinae, lauendulae, atque alia eiusdem generis ad id opportuna esse solent. Intrinsecus vero ea minime dentur, quae calefaciunt nimis; nam saepe febrim exasperant. Calore autem diffundi coepto, licet largiori potu vti, sed acidulus sit oportet, temperans, atque antiphlogisticus, praesertim si vehementer aestuet corpus. Quod si post aliquot horas sudor non erumpat, aut lente prodeat, neque calidus potus eum satis proliciat; adiuuandus tandem est infusis, aut incoctis potioni floribus Chamaemeli, Sambuci, Tiliae, Arnicae, aut summitatibus Cardui benedicti, Centaurei minoris, Chamaedryos, similiumque.

a) *De Med. l.* 3. *cap. XI.*

§. CXXII.

Victus ratio. Nec minus refert, qua ratione febricitantes nutriendi sunt. Generatim eo tenuior victus esse debet, quo breuiora integritatis interualla; paullo liberalior, quo longiora. Nihil cibi dandum est prope accessionem, et multo minus in ipsa accessione. Alioquin vomitus, anxietas, aut febris vehementior, et longior subsequitur. Neque eo tempore somno indulgere licet, sed quam longissime ab eo, atque in remissionibus tantum. Remittente febre, aut iam finita accessione, quod tutius est, nostri iuscula concedunt, onaque sorbilia. Quando vero diuturnior est morbi continuatio, aliquid etiam carnium et vini dilutioris dant diebus a

febre

febre vacuis. Experientia enim docuit, in hiſce febribus tenuiorem victus rationem, quando trahuntur, viribus maxime noxiam eſſe. Diebus item, quibus acceſſiones non fiunt, leniter exerceri corpus expedit, in primis ante cibum, aut frictionibus vti, vt ne vires, et ſolidarum partium, viſcerumque robur penitus elangueant.

§. CXXIII.

Hac prope ratione benignae intermittentes, et *depuratoriae* curantur, quin imo ſolo diaetetico ſaepe regimine adhibito, plerumque exactis aliquot circuitibus primum miteſcere, deinde penitus deſinere conſueuerunt. Ni vero hoc eueniat, diuque trahantur; aut in vtero gerentes, aut in puerperas cadant; aut contra ſi febres de *corruptiuarum*, aut *pernicioſarum* genere ſe prodant, cortice chinae chinae, qui omnibus quibuſcunque aliis remediis virtute antipyretica antecellit, mox ſupprimendae ſunt. Itaque aliquid de eius vſu ad ſiſtendas febres dicere nunc conuenit. Primis illis temporibus, quibus diuinum hoc remedium innotuit, infundebantur *eius bene in puluerem attenuati* binae drachmae in vncias aliquot vini meracioris, et deinde vna cum vino propinabantur duabus horis ante acceſſionem, et quidem grauiorem, ſi febris duplex erat. Illa acceſſio non cohibebatur, ſed futura, quae ei reſpondebat. Bis aut ter ad ſummum repetitum remedium, ſi optimae notae eſſet, quaſcunque acceſſiones auertebat. Sin minus, augenda erat doſis, vt qualitas quantitate ſuppleretur. Hinc iteratis periclitationibus compertum eſt, corticem, vt ſuam vim exerceat, egere tempore, quod non minus ſit viginti quatuor horis. Quam ob rem non prope ipſam acceſſionem, quo in caſu vomitu ſaepe reiicitur, ſed quam longiſſime a ventura acceſſio-

Quando in benignis cortice opus ſit.

De corticis vſu.

acceſſione dari optimo conſilio coeptus eſt; vt nimirum tantum temporis corpori adhaereat, quantum ad ſuam vim exercendam opus habet.

§. CXXIV.

Eius adulteratio. Paullatim autem cortex tanta celebritate inclaruit, vt per totum ferme terrarum orbem non modo ad febres, verum ad alios etiam morbos curandos adhiberetur. Hinc eius copia et bonitas minui coepit; deinde etiam fieri non potuit, quin a mercatoribus lucri percupidis variis mixtionibus, et artificiis adulteraretur; hinc vires eius medicae a priſca illa, atque admiranda efficacitate non parum defecerunt. Neceſſe igitur fuit ſenſim remedii doſim adaugere, vt quantitate efficacitatis defectus compenſaretur. Imo *noſtris temporibus* ea ipſa remedii quantitas, quam TORTIVS ad febres pernicioſas vincendas neceſſaria ſummo cum generis humani beneficio inuenit, et palam fecit, etſi ſatis amplior et validior (ſi cum vetere, et communi illa, quae adhiberi ſolita erat, comparetur) non raro ob remedii adulterati, aut effoeti imbecillitatem, atque inertiam vix exſpectationi reſpondet. Quare hodie adeo varia, multiplexque chinam chinam adhibendi ratio eſt, vt non facile duo Medici reperiantur, qui in vna, eademque conueniant.

§. CXXV.

Hodie quaenam eius doſis in benignis. Apud pleroſque tamen id vnum ratum, fixumque videtur, ad benignam febrim ſiſtendam tres, aut quatuor remedii drachmas, aut, quod ſummum eſt, tres quartas vnciae partes ſufficere, in plures vices non valde diſſitas, opportune, et prudenter diuiſas. Sed praeſtat in benignis quoque febribus bis ſaltem quolibet die tantum chinae chinae praebere, donec vncia, aut ſeſquiuncia abſumta eius ſit. Et quoniam huiuſmodi febres, poſtquam deſierint,

fierint, facile reuertuntur, id praecaueri oportet, continuato eius vſu, et data per dies aliquot drachma ſemis, vel vna, donec alia nimirum vncia abſoluatur. Neque alienum eſt, juſtis interuallis eamdem medendi rationem repetere ad dies vſque quadraginta; quibus praeterlapſis vix vnquam recidiuae fiunt. At, vbi febris non ſolum benigna eſt, ſed etiam exigua et lenis, et ſola tantum diuturnitate moleſta, tunc cortex minori admodum doſi, et fere in modum alterantis dari poteſt, vt penitus ea exſtinguatur.

§. CXXVI.

Corruptiuae vero febres largiorem doſim*) poſtulant, ideoque toto remiſſionis, intermiſſioniſque interuallo quarta vnciae pars bis, vel ter ſumenda eſt, quouſque febris deceſſerit. Febri omnino cohibita, drachmam vnam bis in die, mane nimirum, et veſpere adhuc ſumere expedit, donec ad duarum vnciarum pondus peruentum ſit. In *perniciosis* demum, atque ad acutas vergentibus maior adhuc remedii vis pro qualibet vice adhibenda eſt; quae tamen ſic definiri haud poteſt, vt omnibus, et ſingulis caſibus accommodetur; ſed pro rerum, et caſuum ratione variari debet. Vniuerſim tamen ſcire licet, in perniciosis comitatis (§. LXIX. LXX.) vnciam chinae chinae requiri, vt acceſſio proxima, quae exitum afferre poteſt, auertatur, nec interdum eam ſatis eſſe, cum ſaepe experientia oſtenderit, ad acceſſionem, febrimque omnino tollendam amplius ſeſquiuncia opus eſſe. Pro vario autem interuallo, quod inter vnam, atque alteram acceſſionem intercedit, breuiori videlicet, aut longiori, vt TORTIVS accuratiſſime docuit, diuerſe etiam totum remedium partiri, et diuidi debet. Vbi breuius interuallum eſt, primo ſtatim remiſſionis

In corruptivis quae doſis eſſe debeat.

Largior adhuc in perniciosis.

Generatim quomodo corticevtendum.

tempore vncia dimidia, imo in grauiori metu drachmae ſex corticis vno hauſtu propinandae ſunt, quatuor deinde aliae, aut ſex diuiſim reliquo, quod ſupereſt, ſpatio, ſiue remiſſionis, ſiue intermiſſionis illud ſit; ita, vt ſingulae doſes ſenſim decreſcant, atque earum minima poſtremo loco detur, nempe aliquot ante horis, quam febris accedat. Quando autem longius integritatis intervallum eſt, tunc poteſt remedium in plures adhuc partes diuidi, et maius inter vnamquamque partem ſpatium relinqui; vt prima et altera aſſumtio tres drachmas non excedat, reliquae vero drachmas duas aequent. Etenim tota artis prouidentia in eo conſiſtit, vt ſex illae drachmae, aut vncia, aut ſeſquiuncia, quae ad febrem pernicioſam comitatam arcendam opus ſunt, ita diuidantur, vt ante exitialem acceſſionem, quae exſpectatur, et praecaveri debet, ex toto abſumantur, hac tamen cautione, vt prima corticis pars aſſumenda omnium reliquarum ſit maxima. Nam, ſi contrario modo fieret, optato fine non potiretur medicamentum, quia prima eius doſis impar eſt febri ſiſtendae, etſi temporis, quo agat, conditio ei non deficiat; poſteriores vero ſero nimis ſuperueniunt, vt febrili cauſſae obſiſtere poſſint.

*) Cl. RAMAZZINIVS in *rurali conſtitutione epidemica* ann. 1690. narrat corticem peruuianum non ſatis proſpere ceſſiſſe. Febres autem illae de genere *corruptiuarum* erant, et cum primarum viarum cacochylia complicabantur. Si Cl. vir primas vias rite prius repurgaſſet, deinde largius et diutius corticem cito dediſſet, quemadmodum *corruptiuarum* natura poſtulat, fortaſſe cauſſam non habuiſſet, cur corticis dati eum poeniteret. Id ego expertus ſum in epidemia quam ſimillima, atque ab eiſdem omnino cauſſis profecta.

§. CXXVII.

§. CXXVII.

Eodem ferme modo variatur corticis adhibendi ratio in eo pernicioſarum febrium genere, quae, quia continuitatem, acutamque indolem aſſumunt, *ſubcontinuae* vocantur. Nam, prout celerior, aut tardior eſt earum ad continuitatem acutam progreſſio, ſic largior, aut parcior eſſe debet eius oblatio; quam etiam pro re nata praecedant oportet ſanguinis miſſiones iteratae, aliaque generaliora auxilia, vt ſupra (§. CVI. etc.) traditum eſt. Itaque ſi ex calore, et ſiticula, aliiſque ſignis (§. LXXI. CII.) iam memoratis, intermiſſionis die ſuperſtitibus, ſi ex frigoris diminutione, acceſſionum productione, et grauitate cognoſcamus, febrem iam *ſubcontinuam* eſſe factam, circuitu nondum ex toto tamen obſcurato, quod earum proprium eſt; protinus mane diei, quae vacua fuiſſet, dentur drachmae binae, veſperi tantumdem, die vero venturae acceſſionis, horis aliquot ante, drachma vna, aut paullo amplius; acceſſione demum remittente iterum duae drachmae, et ſic porro, donec vnciarum duarum pondus inſumtum ſit, febriſque diſcuſſa. Minime vero ex vino tunc corticem dare conuenit, ſed ex aqua quacunque, morbo acuto magis accommodata. Quod ſi continuitas iam inualuerit, obſcurioreſque circuitus facti fuerint, accedentibus inſuper grauioribus ſymptomatibus, videlicet artuum tremoribus, motibus conuulſiuis, ſubdelirio, vrinis ſubiugalibus, voce tremula, ſingultu, aliiſque id genus, validiori forma his obuiam eundum eſt. Tum prima corticis doſis ſit trium, vel quatuor drachmarum, altera duarum, deinde ſeſquidrachmae mane, et veſperi, demum drachmae vnius, et ſic paullatim imminuenda, donec vncia, aut ſeſquiuncia conſumta fuerit.

In ſubcontinuis quo modo dandus cortex.

§. CXXVIII.

Febre sublata continuandus corticis vsus.

Sublata per corticem febre non ſtatim ab eius vſu deſiſtere oportet, ſed in eo adhuc per aliquot dies continuandum eſt, imminuta paullatim doſi, vt omnis febrilis fomes penitus exſtinguatur. Quamdiu autem id fieri debeat, prudentis medici, et ſingula attente perpendentis eſto decernere. In vniverſum tantum corticis ad febrem praecauendam, nam facile reuertitur, dari debet, quantum ad ſiſtendam adhibitum fuit. Iſtud autem praeſtat in quatuor partes diuidere, quarum vna nono et decimo quouis die in minores aliquot doſes partita, et iuſtis interuallis tributa ſumatur.

Quomodo dandus in ſubintrantibus.

Nec diſſimili ratione (§. CXXVII.) cortex adhibendus eſt iis febribus, quae ob anticipantes acceſſiones continuae fiunt, et peculiari nomine, vt a *ſubcontinuis* proprie dictis diſcriminentur, *ſubintrantes* (§. LXXI.) appellari ſolent.

§. CXXIX.

An parca manu datus praeferri debeat?

In more medicorum poſitum eſt apud quaſdam nationes chinam chinam parca manu, ſed breuibus interuallis repetitam, adhibere, ad drachmam vnam nimirum tertiá, vel quarta quaque hora, donec febris ceſſet, vel ad idem pondus ſingulis diebus per aliquot hebdomadas, vt febris reuerſio arceatur *). Sed experientia docuit, vtilius certiuſque largiori eam doſi pro qualibet vice, quanquam longioribus interuallis, adhiberi. Priori enim modo, cum febrili fomiti ſupprimendo non valeat, aut febrim non ſiſtit, aut ſub ipſomet remedii vſu, quando deſierit, eam repullulare et recidiuam fieri, nequaquam impedit. Accedit praeterea, quod ſomni moleſtiſſime interrumpantur, capiendique cibi hora difficilius inueniatur. Quae omnia, altero, quem dixi, modo, commodiſſime euitantur. At vbi ampliori vtimur corticis doſi, ſaepe accidit, vt al-

vus

vus laxetur. Si hoc poſt primas tantum doſes, vt plerumque fit, eueniat, ſinere oportet: ſin vero vlterius alui fluxus producatur, aut ingraueſcat, tum *Diaſcordio Fracaſtorii*, aut *Theriaca Andromachi*, aut *Laudano liquido Sydenhamii* ſeorſum datis, vel chinae chinae prudenter adiectis cohiberi debet; fluente enim aluo, cortex prius deſcenderet, prodiretque, quam morbi cauſſam emendaſſet. *Quid agendum, ſi aluum laxet?*

*) Haec methodus, ſi vnquam locum habet, in pueris, moroſiſque foeminis, et naufeantibus aegris tantummodo tentari poterit.

§. CXXX.

Peſſime igitur conſulunt ſuis aegrotantibus, qui corticem cum aluum ducentibus coniungendum proponunt, aut eo maximam curam dirigunt, vt confeſtim aluo demittatur. SYDENHAMIVS *a*), et TORTIVS *b*), multique alii *c*) obſeruarunt febrim iam cohibitam dato cathartico, quin etiam emetico i e um exſuſcitari. Id negant alii, qui aut felicius catharticis admixtis, quae deprauatos humores educant, aut obſtructiones, neſcio quas, reſerent, aut mala, quae a ligneo, et ſtyptico medicamento ſibi confingunt, auertant, febrem tolli contendunt. Ego vero priorum, experientia ductus, ſequor rationem, et, ſi purgandi indicationes adſint, aluum blande, et repetitis vicibus, vt ſupra (§. CXV. CXVI.) poſui, expiare ſoleo, antequam ad corticem deueniam. Tum a catharticis aegros prohibeo, itemque ab iis omnibus, quae aluum laxare poſſunt, fructibus nempe, oleribus, bellariis, ſimilibuſque. Quod ſi aluus praeter modum adſtricta molliri quandoque debeat, ſoli clyſteres, aut rhabarbari grana aliquot innoxie id praeſtabunt. Non omittam tamen cum SYDENHAMIO *d*) et SWIETENIO *e*) advertere, febres autumnales, poſtquam china *Cortex cum catharticis non debet commiſceri.*

china

china suppressae fuerint, catharsim saepe requirere; nam ea neglecta, vel recidiuae fiunt, vel alii morbi succedunt, vt arbitrantur. Purgationem autem hanc post quadragesimam a febre finita diem instituendam solum monet SYDENHAMIVS, dandumque vesperi paregoricum, ne catharseos irritatione febris reuocetur. Cauendum praeterea a nimia ciborum repletione est, atque ab aëre frigidiore ad aliquot hebdomadas, ne deprauata digestio, aut inhibita transpiratio caussam praebeat, cur febris recidiua repullulet.

a) *Epist.* I. *responsor. p.* 331. *b*) *L. c.* *c*) GEOFFROY *Mat. med. T.* I. *p.* 280. SWIETEN. §. 757. GORTER *comp. med. Tr.* 52. §. 33. *d*) *Ib.* *e*) *Ibid.* §. 766.

§. CXXXI.

Puluis cuicunque praeparationi praestat.

Praesentissimum Chinae Chinae praesidium, quocunque modo vsurpetur, siue diluti, siue decocti, siue tincturae, extracti, elixirii, syrupi, electuarii, pilularum, aut puluerís forma, tam ore sumtum, quam ano iniectum miros semper effectus praestat. Fidissimis tamen ex obseruationibus constat, nullam praeparationem simplici eius puluere, dummodo recens *) ex optimo, et tenuiori cortice peruviano sit confectus, efficaciorem, aut praestantiorem esse. Peculiares vero circumstantiae interdum faciunt, vt vna potius forma, quam alia aegrotantibus commodior, iucundiorque existat, ideoque altera alteri praeferatur. Et quamquam ore assumtum et deglutitum valentius procul dubio agat; non tamen effectu caret, sed lentiori, etiam clysteris ope subter datum. Tum decoctum saturatius, aut extractum in aqua, aut lacte solutum magis huic vsui accommodatum est, et pueris in primis, qui a remediis etiam edulcatis, atque elegantioribus interdum inuicte abhorrent, adultisque, quos vomitus

Quando alia forma dandus cortex.

vomitus perpetuus, aut ex morbo, aut ex medicamento vexat, non parum proficuum.

*) Puluis chinae chinae, licet in pyxide, aut vasculis clausis seruetur, plurimum deperdit suarum virium. Oportet igitur eam in puluerem tum solum contundi, et redigi, cum eadem vti volumus. JO. FRID. MAVTTII *Dissert. de Cortice peruuiano* exstat in *Thesauro Dissertation. Programmat. etc.* EDVARDI SANDIFORTII *Vol.* I. *p.* 277. *Roterodami* 1778. *in* 4. in qua diligentissime traditur historia corticis huius botanica, chymica, et medica cum notis bonitatis eiusdem. Notae bonitatis sunt huiusmodi: exterius cortex peruuianus esse debet scaber, asper, fuscus, pallidis punctis hinc illinc maculatus, muscо quandoque canescens, interius laeuis, politus, colore cinnamomi, sed paullo obscuriori, et ferrugineo; in frusta diffractus, et soli aduersus ostendat puncta splendentia, ac si inesset nitrum crystallinum; odore sit mucido, et leuiter aromatico, sapore aromatice amaro, leuiter styptico; dentibus friabilis, non viscidus, non glutinosus, non ligneus. Addi potest, oportere, vt sit e ramis minoribus, iunioribusque decerptus. Contra suspecta est exterior facies alba, aut plane flaua, quam flauedinem inducere solent curcumae radice adulteratores *lucri caussa*, *vt quoscunque alios cortices* peruviano similes reddant. Si sapor eius sit nimium amarus, tum indicium est, corticem succo aloës fuisse imbutum, ne effoetus appareret. Reiiciendus omnino est vetus, vermibus exesus, corruptus, crassus nimis, et nimis lignosus, itemque ille, qui iamdiu in puluerem redactus obsoleuerit. De variis eius speciebus, et adulterationibus, itemque viribus, visibusque consulatur Cl. MVRRAYVS, *Apparat. Medicamin. Vol.* I sub nomine *Cinchonae officinalis Linn.*, siue *Chinchinae n.* 201. *pag.* 546. nam ibi locupletissima auctorum series opportune inuenietur commemorata. Legi quoque debent ea, quae de variis chinae chinae speciebus, earum analysi, et viribus traduntur in *vol.* 3. *pro ann.* 1779. *Reg. Soc. Med. part. historic. p.* 252. *et seqq.* vbi praestantior corticis species quaedam rubri coloris celebratur, quae olim adhiberi solita fuit, sed rarior facta apud nos deinde desueuit. Nunc iterum in Anglia in vsum reuocatur, postquam SAVNDERSIVS eius laudes typis vulgauit.

§. CXXXII.

§. CXXXII.

Innoxium remedium eſt.

Non ergo audiendi ſunt imperiti quidam homines, qui multis de cauſſis praeſtantiſſimum hocce remedium criminantur, neque fides habenda vituperationibus quorumdam Medicorum, qui ex praeconceptis opinionibus de eo iudicium tulerunt; quorum tamen hodie exiguus adeo eſt numerus etiam apud Germanos, et Gallos, apud quos olim male audire ſolebat, vt eius oſoribus ſilentium iam impoſuiſſe optimam magiſtram experientiam, dicendum ſit. Non obſtructiones, non infarctus progignit, et ſi qui a febre ipſa, in primis diuturniore geniti fuerint, eos paullatim reſoluit, et referat; non ventriculo infenſum eſt, cum potius, exceptis paucis caſibus *), eum firmet, et recreet; nec febrim ſopit tantummodo, ſed penitus exſtinguit, dummodo ſatis valida manu, et quamdiu opus eſt, adhibeatur, et criſes, quas promouere certo ſolet **), non impediantur neglectu diaetetici regiminis.

*) Interdum tanta eſt ventriculi ſenſibilitas, aut talis eius idioſyncraſia, vt reuera ferri id remedium non poſſit, niſi arte quodammodo contemperetur. Tum vel infuſi, vel extracti forma, vel cum mucilaginoſis, aut demulcentibus iunctum ſaepe tutius aſſumitur.

**) Modo hanc, modo illam excretionem promouet, ſed praecipue et ſemper perſpirationem auget. ALBERTIN. *Comment. Acad. Bonon. T. I. p. 405.* GORTER *Comp. med. Tr. 52. §. 27.*

§. CXXXIII.

Febris reuerſio communis eſt cum aliis antidotis.

At, inquis, eo curati ſaepe in febrem relabuntur. Hoc vero nec perpetuum eſt, nec ſolius corticis peruuiani vitium, cum aliis quoque medicamentis, quae febres intermittentes propulſant, commune id eſſe ſoleat. Sed quando poſt febres, eo ſublatas, relapſus huiuſmodi contingit, non ideo ineffi-

inefficax, aut infida eius virtus illico dicenda eſt. Plerumque aut medici culpa, qui effoetum nimis remedium, aut nimis parca manu, aut non ſatis diu dederit *a*), aut aegroti, qui diaetetica praecepta neglexerit, reuocari febrim crediderim. Saepiſſime etiam id fieri veroſimillimum eſt, quod cauſſae remotae, a quibus febris primum orta eſt, vti aëris, regioniſque conſtitutio, aut cibi, et potus deterior indoles, aut humorum cacochymia, aut vetus viſcerum prima labes perſeuerant; nec mirum proinde eſt, ſi vt primum, ſic iterum, et tertio, et quarto febrim non reuocent modo, ſed etiam excitent, atque inducant. Quare ſaepiſſime accidit, vt aegri non perfecte reconualeſcant, niſi et aërem, et regionem, et victum, et potum cum ſalubriore commutent, peregrinentur, equitent, vehantur, et antiqua vitia, quae morbum fouent, aperientibus, antiſcorbuticis, martialibus, aut antivenereis medicamentis oppugnent. Hinc fortaſſe ratio petenda eſt, cur contumaciſſimas interdum febres intermittentes, tam periodicas, quam erraticas, et vagas, aut recidiuas, aut chronicas devictas narrent Clinicorum non pauci, adiectis cortici ſuccis antiſcorbuticis, ſalibus mediis, chalybe, mercurio *) dulci, aliiſque alioquin nullo modo neceſſariis *b*). Aquis quoque medicatis tam ſalſis, et catharticis, quam acidulis, et ferratis febres huiuſmodi exſtinctas noui. Semeſtrem tertianam aqua *S. Chriſtophori* in Aemilia, quae ſalſis adnumeratur, potui largiter data radicitus ſuſtuli. Neque rarum eſt, ruricolas a febribus aeſtiuis ad autumnum protenſis ſolo continuato, et largo eſu vuarum, mane rore adhuc madentium, e vitibus recens decerptarum quibuſdam in regionibus conualeſcere ſolitos eſſe.

Cauſſae recidiuarum.

a) cor-

a) GORTERIVS *Compend. med.* Tract. 52. §. 32. inquit: *cortex si magna copia detur, febrim sistit sine recidiua.* Verum id esse, pluries, et pluries comperi. Confirmatur id obseruatione, et experientia Cl. GVSMANI GALEATII, qui (*Comment. Instit. Scient. Bonon. T. V. P. 2. p. 224.*) in quibusdam febribus perdifficilibus ad quinque, sex, et vltra vnciarum quantitatem adscendere debuit, vt eas infringeret, et cohiberet. Hac eadem quantitate opus fuit in epidemica constitutione ann. 1765. quam alibi (*Sagg. di Med. Prat. di P. P. Dall' Arm. P. I. p. 37.*) descripsi.

*) Mercurium dulcem praeter RIVERIVM, laudant aduersus febres intermittentes SCHVLZIVS, VOGELIVS, BÜCHNERVS, LVDWIGIVS aliique; sed praecipue tum mirifice prodesse, ait FRIDERICVS CASIMIRVS MEDICVS, cum labes venerea simul sublit. Nec Mercurius crudus sua laude fraudandus est. Cl. JOSEPH BENVENVTVS in quadam epidemica constitutione febrium pernicioſarum, quae in continuas petechiales facillime degenerabant, corticem solum imparem iis subigendis deprehendisse narrat; efficacissimum vero factum additione hydrargyri. Addebat autem Hydrargyri scrupulum cuilibet corticis drachmae, sicque eius vim nouo, et felici experimento auctam summopere fuisse testatur. Videatur eius *Dissertatio historico-epistolaris ad Cl. virum Bartholomaeum Beccarium, qua epidemicae febres in Lucensis Dominii quibusdam pagis grassantes describuntur etc. Lucae* 1754. Aliquot ante annis DVMONIVS coepit chinae chinae adiicere magnam Tartari emetici dosim, nempe singulis chinae chinae vnciis grana quindecim, aut viginti, aut etiam viginti quinque Tartari emetici, vt quartanas contumaciores expugnaret. Eius exemplum sequuti sunt alii non pauci deinceps. Mirabantur autem omnes, tam magnam Tartari emetici dosim nec vomitum, nec catharsim mouere. Sed scire conuenit, corticem ipsum, vt styptica reliqua, resoluere, siue, vt aiunt, decomponere tartarum emeticum, et praecipitare eius partem regulinam ab amplexu acidi tartarei deiectam. Experimenta, quae id ostendunt, a Cl. CORNETTO referuntur in *vol. 3. Reg. Soc. Med. Parisf. in part. historic. p. 249.* Hinc Tartari emetici vis emetica omnino destruitur; vt destruitur, si cum magnesia alba, aliisue absorbentibus probe misceatur.

b) GORTER l. c. §. ead. *cortici nihil addendum, nisi symptoma aliter exigat.* Symptomata autem saepe aliter exigunt

exigunt, quorum ni ratio habeatur, saepe cortex ipse effectu caret. His igitur medendum quandoque est idoneis medicamentis, aut haec cortici adiicienda sunt, vt votis respondeat. Hoc etiam animaduertitur a Cl. GALEATIO loco supra citato; quod in tertiana dysenterica et sanguinis missionem, et cascarillam, et paregorica adhibere debuerit, praeter chinam chinam, vt morbum depelleret, quamquam dysenteria fortasse tum complicata potius cum tertiana, quam eius symptoma dicenda fuit.

§. CXXXIV.

Nulla eget plerumque additione.

Nulla enim per se indiget additione, si febres purae, simplices, primariae, non complicatae sint; aegrique aut venae sectione, aut purgatione, aut aliis praesidiis rite ad eius vsum praeparati, vt decet, fuerint. Amplius triginta annis hoc pene diuino remedii genere vsus sum, nec vnquam vidi in hisce, quos memoraui, casibus aut effectu caruisse, aut mala post se reliquisse, quorum falso insimulatur. Neque eius laudibus quidquam detrahit, quod minime notum sit, qua ratione febres istas profliget; nam siue acido sale, siue alkalino, siue vtroque, siue gummoso, aut resinoso principio, quo scatet, illud agere velis, siue antiseptica vi, siue styptica, siue neruina, siue stomachica, siue vno modo, siue alio malueris, nobis perinde videtur. Id vnum certe nouimus, quamquam modum, quo agit, sapientiores se ignorare fateantur, tutissimum, efficacissimumque in manu exercitati, et periti medici esse, et nostra hac aetate ab ignari vulgi calumniis satis, superque per doctissimos viros *) vindicatum.

*) Innumeri fere scriptores exstant, qui de corticis peruuiani viribus, rectoque vsu non modo in febribus, verum in aliis etiam morbis praeclarissimas obseruationes ediderunt. Sed pro millenis profecto erit J. H. RAHN M. D., qui *Volumen primum*, quod inscribitur *Aduersaria Medico-Practica*, Turici an. 1779. editum impen-

dit, vt absolutissima eruditione vndique conquisita, et interposito vbique aequissimo iudicio ostendatur *vsus Corticis Peruuiani salutaris, et noxius.* Sciendum tamen est hoc eodem volumine, quod paginis 408. in 8. constat, contineri tantum priorem partem, quae sistit *Corticis Peruuiani vsum in Febribus* tam intermittentibus, quam continuis cuiusque generis; alteram auidissime a nobis exspectari, qua de eius vsu in aliis morbis Cl. Auctor, vt speramus, differens, parem doctrinae vbertatem communi omnium bono nobiscum communicet.

QVOTIDIANA INTERMITTENS.

§. CXXXV.

Quotidiana intermittens *) quodnam febris genus sit, vel nomen ipsum statim significat. Est autem febris, quae singulis diebus easdem, similesque habet accessiones, et decessiones. Distingui solet in *veram*, siue *exquisitam*, et in *spuriam*, siue *notham*. Vtraque a tempore diei, quo inuadit, videtur indicari; sed hac de re non satis conuenit inter Auctores. Quidam enim, inter quos veterum plerique, illam horis pomeridianis, vespertinis, aut nocturnis suos circuitus obire tradunt; alii contra, in primis neoterici *exquisitam* vocant eam, quae matutinis horis, *spuriam*, quae vespertinis accedit, et decedit. Rectius fortasse illam *diurnam*, hanc *vespertinam*, et *nocturnam*, cum HIPPOCRATE dicerent. Attamen, quoniam quae vespere, aut nocte accedunt, plerumque longiores esse solent, quam *matutinae*, siue *diurnae*, et non parum a reliquarum intermittentium indole, si communia spectentur symptomata, discrepant; ideo hae, siue vespertinae frequentius *spuriarum* nomen, illae, siue diurnae *exquisitarum* mereri videntur.

Quotidianae differentiae.

*) Negant non nulli scriptores quotidianam intermittentem vere inueniri; quod ipsi eam non viderint. Sed accurata

accurata aliorum, noſtraque obſeruatio eos deceptos fuiſſe euincit.

§. CXXXVI.

Quotidiana item vel eſt *ſimplex* vel *duplex*, et fortaſſe interdum *triplex*, prout nempe ſemel, bis, aut ter intra vnius diei naturalis ſpatium, ſiue nychthemerum recurrit. Duplicem, ſiue reduplicatam egomet ipſe pluries obſeruaui. Scire autem licet, raro in hac inter vnam, atque alteram acceſſionem veram intercedere integritatem. Praeterea huic quoque febri communes ſunt reliquarum intermittentium differentiae; atque adeo *benigna* eſſe poteſt, vel *pernicioſa* *), et *maligna;* vel *corruptiva; primaria*, vel *ſecundaria;* vel *ſymptomatica; periodica; erratica; laruata; partialis; ſporadica; endemica; epidemica;* et ſic porro.

*) Pernicioſae quotidianae mirum exemplum proſtat in *Diario Medico ann.* 1757. *menſ. Aug. p.* 98. Ipſemet Diarii Auctor VANDERMONDIVS eam memoriae prodidit. En breuem morbi hiſtoriam. Iuuenis quidam viginti annorum ceterum ſanus, primum aliquot febris quartanae acceſſiones paſſus eſt, quae deinde in tertianam tranſmutata eſt. Sanguinis miſſione, emeſi, catharſi, et demum cortice peruuiano febris depulſa ſiluit per binos, vel tres dies. Sed ei mox ſuperuenit quotidiana continua, veſperi quotidie acceſſiones habens a delirio vehementi comitata, et calore magno. Mane, id eſt, in remiſſionibus aeger immobilis, et ſtupidus, fere aphonus videbatur. Toto corpore rigebat, niſi quod ſubinde tendinum ſubſultibus conuellebatur. Nullus in toto corporis habitu calor erat praeter naturam; pulſus debilis, paruus, et celerrimus; abdomen planum, et rigidum, penis tentus, vt chorda, ſed ſine tumore; obtutus defixus; verba interrupta, mutilata, incongrua; querelae de difficultate mingendi; os ſiccum, aridumque; lingua, cum vellet eam exſerere, tremula, et motibus variis impedita; aluus clauſa: lotium paucum, et rariſſime emiſſum; et iam ab aliquot diebus haec eum conflictabant. Enematibus blandis, et laxantibus, potu aqueo temperanti, ſale ſedati-

tiuo Hombergii, et corticis peruuiani vſu largiore in remiſſionibus adhibito febris, quae ab intermittenti originem ducebat, cum omnibus prauis eius ſymptomatibus profligata eſt. Hanc ſpeciem *Amphimerinam ſpaſmodicam* nominauit SAVVAGESIVS. Mihi videtur fuiſſe *quotidiana ſubcontinua perniciosa* tam ob continuitatem, quam ob delirium, et ſpaſmos, a quibus ſtipabatur. *Quotidianam* pariter *perniciosam*, ſpaſmis, et conuulſionibus *comitatam*, extenſam, et *ſubintrantem* vidit CASIMIRVS MEDICVS. Vid. *Comm. Lipſ. Supplem. 2. ad Decad. 2. pag.* 204. *et ſeq.* Ante hunc vero GALEATIVS deſcripſit miram quotidianam febrem cum ſopore, et conuulſiua quadam, et ſpaſmodica affectione coniunctam, comitatis pernicioſis adnumerandam, et propera corticis vberioris exhibitione curauit. Vid. eius deſcriptio in *Vol. V. part. 2. Comm. Acad. Bonon. p.* 220. Nouum genus *quotidianae perniciosae* albo cutis tumore *comitatae* a Cl. STÖRCKIO (*Ann. Med. 2. p.* 163.) deſcriptum hic addam. Quotidie eadem hora aegri per omnia membra primo formicationis ſenſum percipiunt, deinde dolorem tenſiuum, dilacerantem. Huic ſuccedit totius cutis tumor albus, ſed mollis, et flaccidus cum magna pectoris anxietate, ſiti ingenti, pulſu paruo, inaequali, intermittenti. Increſcente acceſſione anxium delirium, et continua membrorum iactatio ſuperueniunt. Haec plerumque quinque, vel ſex horas perdurant; poſtea ſomnus, et quies ſponte obrepit, ſudor copioſus emanat, et tumor vniuerſae cutis cum ipſa febre euaneſcit. Poſt ſomnum aegri valde debiles remanent, cum pulſu lento, et paruo, et appetitu languido. Saturata infuſa amaricantia abſinthii, centaurei minoris, chamaedryos, fumariae, cardui benedicti, radicum helenii, pyrethri, gentianae pleriſque remedio eſſe teſtatur auctor. Quibus vero poſt paucos paroxyſmos vires deiici vidit, cortice peruuiano opus fuiſſe fatetur, *qui tantos illico praeſtitit effectus, vt non tantum febris ceſſauerit, ſed et omnis tumor diſparuerit, et breui redierint vires, et ſanitas.* Notandum eſt, frictiones in paroxyſmo auxiſſe febrem, et anxietatem, extra paroxyſmum vero ad reliquias tumoris reſoluendas multum contuliſſe.

Cauſſae

Cauſſae et Symptomata.

§. CXXXVII.

Cauſſae, et ſymptomata non differunt a generalibus iis, quae de intermittentibus vniuerſim loquentes enumerauimus. Speciatim vero in hac frigus tenue eſt, vt JODOCI LOMMII verbis vtar; nempe ſine rigore, aut exiguo tantum horrore incipit; calor ſegnius, et magis inaequaliter ſe exſerit, et mitior, humidiorque apparet, licet aliquam acrimoniam manui tangenti exhibeat. Febrilis motus plerumque lento paſſu progreditur; ſaepe ad horas octodecim, et vltra protrahitur, antequam deſinat. Id vero nequaquam, vt perpetuum, accipi debet; nam exſtant apud clinicos exempla quotidianarum, quae breuiſſimis circuitibus continebantur. Phlegmatici, torpidiores, cacochymici, pueri, foeminae frequentius in eam incidere dicuntur, praeſertim autumnali, atque hyberno tempore, aut tempeſtate praehumida. Neque rarum eſt, quotidianam ab aliis intermittentium generibus per ſucceſſionem et quamdam periodi mutationem deriuari. Sudor, ſi *legitima*, et *exquiſita* fuerit, licet non multus, ea tamen remittente erumpit; nullus vero, aut ferme nullus, ſi *ſpuria*, et *notha*. Vrina pariter poſt remiſſionem in illa prodit pauca, ſubiugalis, lateritia; in hac vero multa, alba, tenuis et minime ſubſidens.

§. CXXXVIII.

Ad ſpurias in primis ſpectare videntur *Quotidianae ſecundariae*, et *ſymptomaticae*, quae frequentiſſimae omnium clinicos exercent. Harum duplex genus conſtitui poteſt, alteruni, quod a morbo totum corpus afficiente, alterum, quod ab alicuius tantum partis vitio ſit. Morbi totum corpus afficientes ſpeciatim ſunt hypochondriaca, hyſterica, ſcorbu-

Secundariae duplex genus.

ſcorbutica paſſio, aut ſimilis alia totius corporis affectio, vt cachexia, cacochymia, lues venerea, arthritis. Qui vero ab alicuius tantum partis labe pendent, atque huc referri poſſunt, hi in obſcuris praecipue, et latentibus quibuſdam pulmonum, aut viſcerum abdominalium affectibus conſiſtunt, vnde huiuſmodi febres et oriuntur, et fouentur.

§. CXXXIX.

Quotidianae hyſtericae et hypochondriacae ſigna.

Quotidiana ab hypochondriaca, aut hyſterica affectione proficiſcens, frequentiſſime occurrit. Eam plerumque antecedunt grauiora animi pathemata, in primis moeror, et triſtitia, et taedium, dyſpepſia, viſcerum imi ventris obſtructiones, alui adſtrictio, interdum immodicae haemorrhoidum, vteri, alui euacuationes, ſpaſtici, et conuulſiui affectus, aliquando etiam epileptici; ſaepiſſime vero catameniorum ſuppreſſio; aut difficilis, et parcior eorumdem fluxus. Initio acceſſionis pedes frigent; caput calet, et dolet; frequens oſcitatio, et mingendi neceſſitas eſt; vrinae tenues et percolatae, ſaepe magna copia, redduntur; cor palpitat; pulſus inaequaliter ſubſilit, et crebrius ſolito micat; tuſſicula ſicca interdum vexat; reſpiratio quodammodo arctatur, ſenſus quidam quaſi globi oeſophago infixi percipitur; ventriculi regio tenditur, atque intumeſcit, et quaſi inſolito pondere grauatur. Poſt aliquot horas omnia remittunt, et paullatim febris ſine vlla ſenſibili euacuatione ſoluitur. Comitantur eam vigiliae, appetitus deiectio, prauus oris ſapor, ſitis, et totius corporis languor. Virgines, in primis veſtales, hyſtericae, et vitae genus, cui addictae ſunt, iamdiu pertaeſae, prae ceteris ea corripiuntur. Saepe eam poſt vehementes motus conuulſiuos, aut poſt ſanguinis miſſionem vidit antiqua amicitia mihi coniunctus, et doctrina medica

medica olim praestantissimus PETRVS PAVLVS DALLARMIVS *a*).

a) Vid. *Saggi di Medicina Pratica P.* 2. *p.* 108. a me edit. cum additam. *Faenza in* 4. 1768.

§. CXL.

Quotidianae scorbuticae diagnesis.

Similia quotidiana laborantibus a scorbutica affectione eueniunt; sed in his praeterea maculae, suggillationes, ecchymoses corpus deturpant; membra, in primis crura, doloribus vagis, et punctionibus conflictantur; halitus oris foetet; gingiuae flaccescunt, turgent, nigricant, aut intensius rubent, sanguinem facile fundunt; dentes vacillant, saepe carie exeduntur, aut decidunt; vrinae rubent, cito perturbantur, sedimentum rubrum, interdum arenulas lucentes demittunt, et superficiem exhibent colore variegatam, et quasi pellicula quadam pingui, aut salinis crystallis conspersam. Maior in his quoque crurum imbecillitas, et torpor, palpitatio, pulsuum inaequalitas, et debilitas, et ad quemuis corporis motum anhelatio est.

§. CXLI.

Aliae secundariae vt cognoscuntur.

Si a cachexia, aut cacochymia, a lue venerea, ab arthritica labe, aut alia lymphae vniuersae dyscrasia profluat, externus habitus, color cutis, oedematosi tumores, rheumaticae affectiones, dolores articulorum, modo vnam, modo alteram partem occupantes, fluxiones, vt vocant, et distillationes catarrhales, glandularum conglobatarum obstructiones, indurationesque; aut, cum virus venereum caussam praebet, gonorrhoea, vlcera penis, bubones praegressi, dolores artuum in primis noctu ingrauescentes, pustulae crustosae faciem, et caput praecipue multantes, tophi, gummata, exostoses, aliaque syphilitica symptomata diagnosim attentiori, et sagaciori medico commonstrant.

§. CXLII.

Notae quotidianae pulmoniacae. Paullo difficilior cognitu est ea, quam pulmonum abdita vitia, vti tubercula cruda, incipientia, strumosa, aut phthisica alia quaecunque diathesis fovent. Tussicula sicca, et respiratio aliquanto impeditior signa haberi solent huius magis propria. Sed haec quoque in *hysterica*, atque *hypochondriaca* (§. CXXXIX.) praesto esse solent. Si tamen hystericae, aut hypochondriacae, spasmodicaeue alius affectionis signa deficiant; si habitus corporis tenuior, et gracilior sit; si collum longum, pectus depressum, atque angustum contra obseruetur; si hereditariae labis timor aliquis adsit; si morbi antecedentes pectori praecipue vim intulerint; si tussicula, et respirandi difficultas etiam extra febrim aegrotantem non deserant, aut ad quemuis corporis citatiorem motum excitentur, aut intendantur; si decubitus in alterutro latere tussim magis moveat, aut respirationem laedat; si sputa glutinosa, aut salsa, aut dulcia, aut striis sanguineis tincta interdum prodeant; si demum febris erratico, et vago typo suos circuitus obeat, si macies corpus extenuet; si haec, inquam, omnia, aut plura concurrant, de pulmonum abdito quodam vitio, a quo quotidiana febris symptomatica *) oriatur, iure, et merito erit iudicandum.

*) Ad hanc speciem pertinet *febris intermittens pectoralis*, quam vidit descripsitque Cl. STÖRCKIVS (*Ann. med. 2. p. 167. edit. nov. Amstelodam.*). In hac pulmones muco viscido, et glutinoso obstruebantur; isque erat morbus primarius; febris vero symptomatica. Nil mirum ergo, si cortex frustra datus fuit.

§. CXLIII.

Secundariae a visceribus imi ventris. Abdominis viscera, quando ab his quotidiana est, plerumque antiquis infarctibus, atque obstructionibus laborant. Hepar, pancreas, lien, mesenterium

ſenterium frequentius huiuſmodi vitiis obnoxia videntur. Deteguntur aut manus exploratione, aut functionum noxa; et laeſione. Si igitur alicubi manus offendat aut tumorem, aut duritiem, aut dolorem, aut inflationem, ibi ſedem habere morbum, facile patet. Sin autem nihil horum manui obiicitur, aut ambiguum negotium videtur, proſpiciendum eſt, vtrum ciborum concoctio, chylificatio, bilis ſecretio, faecum egeſtio, vrinae color, murmura ventris aliquid vitii prae ſe ferant, quod viſcerum illorum oppilationi tribui poſſit. Luridus quoque faciei color, aut ſubflauus, aut ſubuiridis, abdomen vndequaque tumidum, vrinae paucitas, praua victus ratio praecedens, aquarum paluſtrium potus, glutinoſorum ciborum abuſus, regio, atque aër ipſe, in quo aeger degit, non parum lucis afferent.

Prognoſis.

§. CXLIV.

Omnis quotidiana febris diuturnitatem, et longitudinem affectat; ſed prae primis ſymptomatica et ſecundaria. Hinc facile in continuam lentam, aut hecticam degenerat, niſi, cum pura, et primaria eſt, eius progreſſionem intercipere artis adiumento enitamur. *Hyſterica*, *hypochondriaca*, aut *ſpaſmodica* (§. CXXXIX.) contumacior eſt, magiſque medicamentis obſiſtit, faciliuſque, ſi aliquando ſubſtiterit, reuertitur, ad magnas ſpeciatim anni temporum mutationes. *Scorbutica*, etſi pertinax et ipſa, et diuturna ſit, minus tamen periculi habet, dummodo ſanguinis dyſcraſia nondum confirmati ſcorbuti naturam attigerit. Ceterum haec quoque, vti et ea, quae a viſcerum abdominalium vitiis (§. CXLIII.) gignitur, non raro in hydropem, aut alia exitioſiora mala, acutas nimirum febres, in-

Diuerſarum ſpecierum prognoſis.

flammatorias, ſuppurationes, abſceſſuſue terminatur. In phthiſim vero ſaepius, aut tabem *pulmonica* (§. CXLII.) *ſyphilitica*, *rheumatica*, *arthritica*, et *cacochymica* (§. CXXXVIII. CXLI.) tranſeunt.

Curatio.

§. CXLV.

Primaria, ſimplex, pura curari debet, quemadmodum in curatione generali febrium intermittentium (§. CVI.) praeceptum eſt. Lenium tamen purgantium, et ſalium neutrorum vſum haec magis expoſcit, et bene fert, quia plerumque primarum viarum pituitoſa ſaburra eam, niſi gignat, certe alit, et fouet. Saepe his ſolis exſtirpatur, aut ſaltem ita miteſcit, vt cortici peruuiano confeſtim cedat. *Maligna*, et *pernicioſa*, aut *corruptiua* continuo poſt venaeſectionem, aut purgationem, ſi indicentur, antidoto ſupprimenda eſt. *Spuria*, etſi primaria, catharſim adhuc magis requirit, at per epicraſim, et quandoque, quia cum lymphae vitiis coniungitur, aut ab his originem trahit, anticatarrhalia, et ſudorifera remedia etiam expoſtulat. In ſecundariis, et in ſymptomaticis ad morbos primarios animum aduertere oportet. Quae *pulmonum infarctus*, catarrhum, rheuma, aut cruda et lymphatica tubercula pro cauſſa agnoſcit, (§. CXLII.) chinae chinae vim aſpernatur, imo ab eius vſu intenditur, atque ingraueſcit. In hac contra proficuum plane eſt, ſanguinem parce, ſed iteratis vicibus et per interualla mittere; bechicis oleoſis, mucilagineis, et demulcentibus tuſſim lenire; congeſtiones, concretioneſque lymphaticas ſero lactis, decoctis herbarum pectoralium leniter aperientium, atque attenuantium, ſapone veneto, aſellorum puluere cum ſucco fumariae, aut hederae terreſtris ſubacto reſoluere. Interdum iura tenuia

nuia ranarum et cancrorum fluuiatilium, quibus succus nasturtii ad aliquot cochlearia adiectus sit; alias lac dilutum, et radicis chinae, aut arundinis montanae decocta magis profuisse visa sunt.

§. CXLVI.

Hysstericae, et hypochondriacae curatio.

Quotidianae hysstericae, aut hypochondriacae (§. CXXXIX.) causa cum multiplex sit, pro eius varietate curandi etiam ratio differat, necesse est. Quando a neruorum systemate nimium mobili, atque ad spasmos prono ea fit, neque febrilis fomes valde multus, neque valde conspicuus arguitur, vtpote animo potius affecto, quam corpore, tunc *spasmodica*, *siue conuulsiua*, *siue neruosa* vulgo nominari consueuit, curarique debet animi quiete, atque hilaritate, anthystericis, et neruinis, vti castoreo, camphora, moscho, succino, galbano, et praecipue opio ante accessiones dato. Mox ab initio SELLIVS *a*) suadet vsum corticis peruuiani cum cardiacis, et chalybeatis copulati. Verum hocce remedium vix aliquid praestat boni in febre huius speciei, quae cortice plerumque nequaquam tollitur; et si quando cardiaca, et chalybeata dari debent, tum solum debent, cum malo corporis habitu, chlorosi, viscerum atonia stipatur, aut diuturnitate corpus vniuersum fregerit. Horis a febre vacuis vt extra lectum aegri maneant, et deambulent, quoad fieri potest, imperandum est. Sic enim viribus prospicitur, et febris paullatim temperatur, obseruante DALLARMIO. At si nimiae euacuationes morbo occasionem dederint, tum debilitati inde natae, humorumque acritudini occurrendum est analepticis, corroborantibus, et euchymis alimentis. Contra vbi consuetae euacuationes deficiunt, aut imminutae sunt, aut viscera obstructa videntur, omni cura illae reuocentur, haec

vero

vero referentur aperientibus, saponaceis, gummosis, et tonicis. Hic purgantia, ni mitissima fuerint, summopere noxia esse solent. In casu pertinaciore aëris mutatio, vectio, rusticatio, animi quaeuis oblectamenta omnibus reliquis artis praesidiis antecellunt, sensimque febrem arcent.

a) *Rudim. Pyretolog. method. p. mihi* 315.

§. CXLVII.

Scorbuticae quae conueniant, et reliquis speciebus.

Scorbuticae (§. CXL.) succi recentes, aut concreti herbarum cichorei, beccabungae, acetosae, nasturtii aquatici, cochleariae, raphani rusticani, trifolii fibrini, similiumque temperamento aegrotantium accommodati, potus acidulati, fructus maturi, victus vegetabilis, peregrinatio, aquae thermales, lactis serum, lac ipsum egregie prosunt. Succos plantarum antiscorbuticarum cum china china subactos summis laudibus efferunt aduersus diuturnas, rebellesque febres; ideo fortasse quod saepe a scorbutica labe ortae, aut complicatae chinae chinae purae, et soli renituntur, nisi eius vis additione antiscorbuticorum acuatur. *Rheumaticam*, *arthriticam*, *cacochymicam*, *veneream*, siue *syphiliticam* tollunt ea, quae morbis primariis tollendis idonea sunt. Demum de quotidiana dicam, quam viscerum abdominalium obstructiones (§. CXXXVIII. CXLIII.) antecedunt, non subsequuntur; quamque ideo ad symptomaticas retulimus. In hac obstructiones, vt eius caussa, prius auferendae sunt salibus neutris, rhabarbaro, extractis amaris, decoctis aperientibus; deinde cortice peruuiano vtendum, et ferro. Raro sanguinis missione opus est. Interdum tamen si febris vehementior videatur, et timorem inflammationis incutiat, nec quidquam aliud contra indicet, sanguis tum e brachio, tum e venis haemorrhoidalibus

Quotidianae ab obstructionibus.

mitti

mitti poteſt. Sin vero ſanguinem educi omnino vetent res aegrotantis in ſummo diſcrimine poſitae, tunc antiphlogiſtica, atque enemata feruorem, aeſtumque febris, SYDENHAMIO obſeruante, mirifice compeſcunt. Ceterum quando obſtructiones febri ſuperueniunt, vt eius ſymptomata, inutiliter deterenda viſcera non ſunt, neque catharticis, neque aperientibus, ſed ad corticem illico properare expedit. Eo enim non ſolum febris, ſed etiam eius effecta protinus euaneſcunt; quod millies expertus ſum. Lienes praegrandes, qui in acceſſionibus enormiter intumeſcebant, detumeſcebant vero non parum finita acceſſione, ſolo cortice peruuiano, quo febris ſiſtebatur, continuato ad priſtinam molem, et ſedem ſaepiſſime redegi.

TERTIANA INTERMITTENS.

§. CXLVIII.

In hoc febris genere acceſſio tertio quoque die, ſiue alternis redit, deceditque, ſic, vt inter vnam, alteramque dies integer excurrat a febre vacuus. Hinc *tertiana intermittens ſimplex* tunc ei nomen eſt. Si vero acceſſiones quotidie fiant, et quotidie eas integritas, ſiue intermiſſio ſubſequatur, ita tamen, vt alternis ſolum diebus tam hora inuaſionis, quam circuitus gradu, et duratione ſimiles inter ſe reperiantur, atque adamuſſim ſibi reſpondeant; non ſimplex, ſed *duplex tertiana intermittens* habetur. Haec autem duplex tertiana, etſi quotidianum typum, ſiue ordinem ſeruet, differt tamen a Quotidiana (§. CXXXV.), in qua acceſſiones quotidie quidem recurrunt, ſed non alterne, vti in illa, ſibi inuicem reſpondent.

Tertiana ſimplex et duplex.

Quomodo differat a quotidiana.

§. CXLIX.

§. CXLIX.

Tertiana duplicata. Interdum in ea die, qua tertianae ſimplicis acceſſio redire deberet, vnius loco binae contingunt acceſſiones, intermedia die libera relicta. Hanc SAVVAGESIVS *a*), vt a tertiana duplici, de qua ſupra, diſtingueret, *tertianam duplicatam* vocauit.

Triplex. *Triplex* vero *tertiana* eſſe dicitur, quando alterno quouis die binae acceſſiones, vti in *duplicata* redeunt, intermedio vero vna, vt in *ſimplici*. Talem deſcripſit SCHENCKIVS, et BRENDELIVS, quos excitat idem SAVVAGESIVS.

a) *Noſolog. method. cl.* 2. *O.* 3. *G. X. ſp. XV.*

§. CL.

Legitima et notha. Animaduerſione prae ceteris digna eſt Tertianae febris communiſſima diſtinctio in *legitimam*, ſiue *exquiſitam*, ſiue *puram*, vt alii vocant, et in *nothan*, ſiue *ſpuriam*, ſiue *extenſam*, quam IVNCKERO placuit etiam *ſubcontinuam* appellare. *Tertiana* igitur *legitima* ea exſiſtit, quae ſex, vel octo horis acceſſiones ſingulas abſoluit, vel ſaltem non vltra duodecim horas producit, nulliſque prauis ſymptomatibus ſtipatur. Haec verno, et aeſtiuo tempore frequentius corripit, atque his fere ſignis ſe prodit.

Tertiana legitima.

§. CLI.

Signa tertianae legitimae. Protinus ab initio, ſicque deinceps, alternis diebus, modo nocturno tempore, modo diurno accedit cum rigore, vel frigore breui, quod toti corpori punctionum quarundam ſenſum affert. Rigor interdum tantus eſt, vt aegri non modo contremiſcant, verum etiam dentes dentibus allidant, et membris omnibus, ſpeciatim toto dorſi, et ſpinae tractu vehementer doleant. Saepe frigo-

ris

ris tempore quaedam conſtrictionis, anxietatiſque ſpecies a dorſo ad ſcrobiculum cordis vſque protenditur, reſpirationiſque adimit libertatem. Interdum frigus refrigerationi ſimilius eſt; quod potiſſimum incidit, vbi leuior morbus tenet. Sub rigoris finem plerumque nauſea mouetur, aut vomitus bilioſus; aut ſoluitur aluus, bile fortaſſe copioſius in duodenum per febrilem ſpaſmum expreſſa. Tum calor per totum corpus, exteriores praeſertim partes ſe diffundere incipit, et paullatim ita increſcit, acerque fit, vt aeger ob aeſtum, quo exuritur, ſtragula, et membra quaquauerſum incondite proiiciat. Hinc ſequitur reſpiratio frequens, ingens ſitis, dolor capitis, peruigilium, et quandoque vaniloquentia, et leuis mentis aberratio. Pulſus ingruente acceſſione eſt paruus, contractus, obſcurus, ſaepe rarus; mox magnus, vehemens, elatus, frequens euadit, non tamen inaequalis, aut certe parum. Poſt aliquot horas laxatur vniuerſa cutis; arteriae placidius micant, atque oborto ſudore febris cum ſuis ſymptomatibus ſe ſe remittit, deinde penitus deſinit. Quod intra memoratum octo, vel duodecim horarum ſpatium accidit. Tum aeger bene ſe habet, viribus ſolum aliquanto languidior.

§. CLII.

Tempore frigoris, ſiue in primo ſtadio vrinae prodeunt tenues, decolores et aqueae; in altero, et tertio, ſiue augmenti, et remiſſionis ſubſtauae, aut rubrae, pauciſſimae, maleque olentes, ſed non ita croceae; vt in aliis tertianae ſpeciebus. Neque adeo foedatur lingua bilioſo glutine, neque ſtomachus valde ſubuertitur. Peculiare vero, et fere proprium huic febri eſt, qualibet acceſſione, poſt primas, breuiorem et mitiorem paullatim fieri; iuuenes

Quae vrinae ſint et quae magis eius propria.

iuuenes vt plurimum, ſanguineos, bilioſoſue, alioquin ſanos, et nulla ſanguinis aut viſcerum alia labe affectos corripere; horis matutinis potius, quam veſpertinis exacerbari, noctemque futurae acceſſioni praeuiam, inſomnem reddere, atque irrequietam. Quod etiam cognouerat Auctor libri ſexti Epidemiorum, vbi ſcriptum eſt: *quae febres propius ad tertianae naturam accedunt, his nox ante acceſſionem implacida eſt.* Hinc qui duplici tertiana laborant, noctes plerumque inſomnes tranſigunt, ſi horis antemeridianis acceſſiones habeant: ſin vero pomeridianis, cum potior noctis pars a febris ingreſſu longius abſit, in eamque cadat remiſſio, aut integritas, maiorem noctu quietem obtinent, et placido ſomno reficiuntur.

Prognoſis.

§. CLIII.

HIPPOCRATES *a*) *Tertiana*, inquit, *exquiſita in ſeptem ad ſummum circuitibus iudicatur.* Item Auctor Coacarum *b*): *Tertiana exquiſita quinto, aut ſeptimo, aut ad ſummum nono circuitu terminatur.* Hippocraticis oraculis adſtipulatur SYDENHAMIVS, qui non ſolum quatuordecim diebus hanc febrim ſponte ſolui teſtatur, ſed etiam ſalutarem eſſe pronunciat *c*). Id ipſum docuerat antea LOMMIVS *d*), et nuper SENACIVS, qui ſcriptum reliquit, his *quandoque* tolli *ſtagnationes*, aperiri *vaſa minima, quibus imminebat obſtructio*, addi *robur partibus, et inprimis vitalium functionum organis*; eliminari *per ſudoris ſpiracula noxios humores; liquidis remanentibus nouam* induci *craſim, ſeu totum* immutari *corporis e*) *habitum.* Morbi ſolutionem ex vrinis ominabatur GALENVS *f*); ſi rubrae eſſent, aut flaueſcentes cum enaeoremate, poſt quartum circuitum eam exſpectabat; ſi rubrae tantummodo prodirent,

poſt

poſt ſeptimum; et poſt tertium futuram, ſi prima die deiicerent ſedimentum leue, et aequale. Verum incerta haec omnino eſſe ſolent; neque melius ex vrinis febrim ſolutum iri, noſcitur, niſi tum, cum copioſiores fluunt, et ad naturaliorem ſtatum redeunt. Frequentius criſeos imminentis indicium praebent puſtulae, vel ſciſſurae circa labia apparentes. Quandoque in ſummo febris ardore maculae ad cutim erumpunt, *morbillos*, aut *purpuram vrticatam* aemulantes, aut *peticulis* ſimiles; ſed minime hae terrere debent, nam ſudore manante, remittenteque febrili motu euaneſcunt, nec quidquam mali portendunt in tertiana legitima, a qua alias malignitatis notas, quibus eae ſuſpectae reddantur, abeſſe pro certo habemus.

a) Aph. 59. *ſect. IV. b) N.* 148. *c) Oper. p.* 89. *d) Med. Obſerv. l.* 1. *p.* 118. *e) De recondit. febr. intermitt. etc. l.* 1. *cap.* 20. *p.* 126. 127. *f)* SENAC. *l. c. l.* 1. *cap.* 10. *p.* 64. *et* 65.

Curatio Tertianae exquiſitae.

§. CLIV.

Plerumque ſola quiete, potu aqueo, acidulo, reſoluenti, victuque tenui curatur. Reliquum ſuis viribus, motibuſque praeſtat natura. In plethoricis ſanguinis miſſio; in aliis, ſi ſaburra, aut biliosa colluuies primas vias inquinet, purgatio lenis naturae conatus feliciter adiuuat. Interdum vtraque opus eſt. Raro corticem peruuianum poſtulat, et tunc ſolum, cum febris moras nectit, et diutius, quam ſolet, trahitur, aut cum e ſimplici in duplicem commutatur. SAVVAGESIVS eius drachmam quarta quaque hora, integritatis tempore, die, noctuque ſumendam iubet, donec acceſſiones non amplius redeant; deinde per dies ſeptem bis quotidie, et tandem ſemel per ſeptem alios. Verum,

quod supra (§. CXXIX.) monitum est, incommoda, et taedii plena haec corticis adhibendi ratio est. Rectius binae drachmae mane et vesperi, die intermissionis, dantur, donec sesquiuncia, aut vnciae duae captae sint, et simul abacta febris; deinde alia vncia in octo partes tributa prophylaxeos caussa.

Tertiana notha.

§. CLV.

Signa tertianae nothae.

Absoluto de tertiana exquisita sermone, superest, vt de *notha* dicamus. Habet haec, vt illa, accessiones alternis diebus, sed longiores; calorem vero, ardoremque, si plerisque scriptoribus credere velimus, minorem. Sin JVNCKERO aures praebeantur *a*), calor maior, et diuturnior in *notha* est, quam in *exquisita*. Id vero fortasse euenit in ea, quae ad ardentis naturam accedit, vt quandoque fieri posse arbitramur. Sudor etiam in *notha* citius erumpit, sed minori copia, et parum leuans; interdum nullus. Nullus item anticipantium, aut cunctantium accessionum certus ordo obseruatur, nec rigor valde magnus est; diutius vero protrahitur; non tamen aequaliter vniuersum corpus affligit. Quilibet circuitus ad decem et octo horas, interdum vltra extenditur. Nunquam septimo, raro quartodecimo, saepius primo et vigesimo circuitu finitur. Circa vesperas vt plurimum adoritur; noctu inualescit, et somnum saepe aufert.

a) *Conspect. medic. Theoretic. Practic. Tab.* 80. *n.* 2.

§. CLVI.

Non solum lingua muco flauo obducta cernitur, verum etiam tota facies flauescit quasi, vt in ictericis. Exserto calore, concitatus quidem pulsus, et frequens deprehenditur, non vero magnus, vt in exquisita. Crocea magis vrina apparet, et sedimentum

tum lateri contuſo ſimile deponit. Cibi praeterea faſtidium, amarus oris ſapor, et ſtomachi dolor, ſiue gaſtrodynia, imo cardialgia ipſa aegros perſaepe diſcruciant. Addit JVNCKERVS, tuſſim quoque adeſſe, et poſt quamlibet acceſſionem aegros conqueri de languore ſuperſtite, de laſſitudine artuum, vertiginoſa capitis grauitate, ſiti, calore, ſtomachi debilitate, agrypnia, aut ſomno interrupto, et perturbato. Quae ſi quando incidant, me quidem iudice, de pernicioſa natura ſuſpicari liceret. SAVVAGESIVS meminit de aliis etiam ſymptomatibus, tamquam huic febri propriis, nempe de linguae ſiccitate, dolore capitis, et facili typi permutatione. Saepe enim poſt quatuor, aut quinque circuitus eam continuam remittentem, hoc eſt, tritaeophyam fieri, ſcribit; quam mutationem, vbi imminet, indicari a breuiſſima intermiſſione, ſiue apyrexia, ſudoris defectu in remiſſionibus, nulloque leuamine, quo aeger ad reſidendum alliciatur.

Prognoſis.

§. CLVII.

Rariſſimum tamen eſt, eam in continuam mutari, quouſque ſimplicis tertianae ordinem ſeruat; frequentiſſimum vero, vbi duplex facta fuerit. *Pernicioſa* etiam ratione ſymptomatum, videlicet vomitus, cardialgiae, alui fluxus dyſenterici, delirii, aliorumque, quae eidem interdum ſuperueniunt, fieri poteſt: at tum non *ſpuriae* ſolum, ſed etiam malignae, et *pernicioſae comitatae* naturam induit. Communiter *tertiana notha* e corruptiuarum genere eſt, ideoque diutiſſime protrahitur, et pluries, ſi quando ſuppreſſa fuit, reuertitur, et recrudeſcit. Hinc ſaepiſſime, poſtquam diu ipſa vexauerit, tonuſque viſcerum labefactatus ab ea ſit, hepar, lien, pancreas, meſenterium infarciuntur, intu-

Prognoſtica Tertianae Nothae.

intumeſcunt, indurantur ſic, vt deinde cachexia, hydrops, et febris lenta ſubſequantur. Non ſemper tamen obſtructiones eiuſmodi habendae ſunt pro effectis, quae eius diuturnitati debentur, ac ſuccedunt. Interdum enim eam antecedunt, et comitantur, et tunc ab his flauus ille faciei, totiuſque corporis color, quem in ea obſeruari ſupra adnotauimus, repeti fortaſſe poteſt; quamquam is vt plurimum a ſpaſmis abdominalium viſcerum, et duodeni inprimis, qui choledochi oſtium claudunt, bilemque refluere in hepar, venaſque cogunt, proficiſci *) videatur; niſi etiam malueris interdum id vitii in pituitoſam, viſcidamque ſaburram, quae in ventriculo non minus, quam in duodeno collecta ſit, choledochique orificium obſtruat, transferre; vel in ipſam bilem, quae copia et lentore, praeter naturam peccet, atque in biliferis canalibus congeſta reſiſtat, haereatque. Quemadmodum enim in tertiana *legitima*, vt eius concitatior motus, calorque acrior oſtendit, acrimoniam quamdam calidam, bilioſamque, ſic in *notha* pituitam potius, craſſoſque humores, et bilis inertiam praepollere, veroſimile eſt.

*) Quando ictericus color ab eiuſmodi cauſſa, vt febris ſymptoma tantum eſt, in qualibet acceſſione ipſe appareret, aut in ea intenſior euadit, et contra in intermiſſionis interuallo euaneſcit, vel ſaltem multum diluitur; ſicque cum ipſa febre accedit, receditque.

Curatio tertianae nothae.

§. CLVIII.

Quare ſi ex antecedentibus pateat, iam pridem obſtructa viſcera eſſe, ſi temperamentum, corporis habitus, vitae genus, victus ratio, aetas, anni tempus cruditatibus congerendis, lentiſque humoribus accumulandis, et condenſandae, coacervandaeque

daeque bili accommodata videantur; illico proſpiciendum eſt, vt plenitudine primum vaſorum, ſi qua eſt, per venae ſectionem ablata, aut ſymptomatibus, quae eam poſtulent, per eamdem mitigatis, ſaburra primarum viarum deturbetur; pituitoſi et viſcidi humores, nec non amurcoſa bilis attenuentur, ſoluantur, et foras emittantur; atque obſtructa viſcera liberentur. Itaque id praeſtari oportet aut emetico, ſi aetas, temperamentum, anni tempus aeſtiuum, aut autumnale, et reliqua ferant, aut cathartico, etiam iterato; quod ſemper tutius eſt; et ſaponaceis, incidentibus, amaris, atque in primis ſalibus neutris apte, prudenter, ordinateque, vt alibi praeceptum eſt, adhibitis. Si his, quamdiu opus viſum fuerit, vſurpatis febris neque decedat, neque miteſcat, mature ad corticem peruuianum tranſeundum eſt, vt ea quantocius deſinat. Neque expedit exſpectare, donec obſtructiones omnino ſublatae ſint; nam quae remanſerint, poſtea commodius, et tutius aperientibus medicamentis, atque amaris, in quorum vſu diu perſeuerandum eſt, auferentur; et contra quae diuturniori morbo ſuperuenire poſſunt, ſic optime praecaueri poterunt.

§. CLIX.

Cum vero flauus faciei, corporis, aut vrinarum color (§. CLVII.), rebus omnibus bene perpenſis, a bile ob ſpaſmos regurgitare coacta, aut a febrili fomite hepar (§. LXXXVI.) aggrediente *) potius, quam a lenta bile, craſſiſque obſtruentibus humoribus oriri videatur, cortice item audacter febris oppugnanda illico eſt; quo non modo febris, ſed etiam eius ſymptoma ictericum euaneſcunt. Quod ſi pernicioſarum *comitatarum*, aut *ſubcontinuarum* grauiori aliquo ſymptomate, aut continui-

tate similitudinem prae se ferat, sine vlla cunctatione vel in ipsis initiis ad corticem pariter confugere oportet; quo nihil ad pernicioſum, venenatumque principium, quod morbum facit, ſiue emendandum, ſiue expellendum valentius, nihil praeſtantius, nihil innoxius. At febris haec ſaepe recidiua reuertitur, praeſertim autumnali tempore. Tum lenia purgantia, incidentia, et amara iteranda ſunt, et demum, ni decedat, china china diu, liberaliterque adhibenda, cui tandem cedat, neceſſe eſt; modo diaeteticum regimen eius vſum fruſtraneum non reddiderit, aut infirmauerit.

*) Mos vulgarium eſt medicorum, ſimul ac vident aurigine corripi febri intermittente laborantes, a cortice peruviano eos prohibere, et ſolis purgantibus, atque aperientibus addicere. Interim febris in dies fit grauior, aut pertinacior, et non modo morbus regius, eius ſymptoma, altiores radices figit, vt ex periodico, qualis ab initio erat, aſſiduus, perpetuuſque euadat, verum etiam hepar obſtruitur, atque intumeſcit, et quae fortaſſe prius aberant mala, vere accedunt. Quae omnia euitari ſine moleſtia, et ſine noxa potuiſſent, dato propere antipyretico; quod centies mihi feliciter ceſſit. Non me tamen latet, viros doctiſſimos, experientiſſimoſque docuiſſe, ſaepe in febribus huiuſce generis, praeſertim autumnalibus, ictericum hunc colorem leuioris, occultaeque hepatitidis, quam lentus, craſſus, inerſque ſanguis venas porrarum opplens inducit, indicium eſſe; tuncque datum corticem exaſperare malum, perniciemque afferre. Ego vero arbitror diſquirendum eſſe, vtrum iſta hepatitis, ſiue leuis, ſiue grauis fuerit, primaria dicenda ſit, an ſymptomatica? Si primaria videatur, profecto tunc nocet cortex peruuianus, vtpote qui febrim, quae hepatis inflammationis eo in caſu ſymptoma eſt, nullo modo fugare queat; augeat vero ipſam inflammationem. Sed tum febris continua potius eſſe ſolet, neque verum tertianae intermittentis typum, atque ordinem tenet. Sin autem febris primarius morbus eſt, hepatitis vero ſymptoma, tolle febrim cortice peruuiano, et tolletur quoque hepatitis. Quo vero certius vim ſuam cortex exerceat, neceſſe prius eſt, vt ſanguis ſemel, iterumque

rumque mittatur, quemadmodum in *tertiana pleuritica* fieri oportet, de qua infra opportunius. Diathesis enim inflammatoria, nisi cura antiphlogistica, et praecipue sanguinis missione imminuatur, corticis antifebrilem facultatem irritam facit.

Tertiana Cholerica.

§. CLX.

Ex pernicioſis febribus comitatis TORTII pleraeque typum tertianae ſeruant. Ergo de his, vt earum diagnoſis, tum curatio recte inſtitui poſſit, agam ſingillatim initio a *Tertiana cholerica* facto. Haec circa acceſſionis ingreſſum, in quo de more vomitum bilioſum, interdum etiam copioſum, et ſimilem alui deiectionem cieri, ſupra (§. C. CI.) praemonui, vehementi ſtipatur, et ſimultanea ſurſum, deorſumque excretione humorum tam qualitate, quam quantitate peccantium, qui modo *ſinceri* ſunt, modo *variegati*, *et bile vt plurimum praſina, vel aeruginoſa referti.* His *vomitibus*, et *deiectionibus copioſis et crebris* non nunquam *adiungitur* ſingultus, *vox rauca*, et quaſi clangori ſimilis, oculorum depreſſio, *angor ſtomachi*, *ſudatiuncula circa frontem*, *pulſus exilis*, *extremorum perfrigeratio*, aut liuidus color, cuncta ſcilicet, quae propria ſunt cholerae morbi, a qua tamen diſtingui debent, quia ſymptomata haec febris ſolito grauioris effecta ſunt, eamque ſequuntur; ea vero remittente paullatim ceſſant, neque redeunt, niſi noua eius acceſſione periodice redeunte *a*).

a) TORTII *Therap. Special. l.* 3. *cap.* 1.

Curatio.

§. CLXI.

Curatio Tertianae cholericae.

Haec igitur, quocunque tempore apparent, quamquam neque omnia vna concurrant, neque ſemper eius, quam diximus, intenſionis ſint, ſe-

quenti tamen circuitu intenſiora fiunt, et mortem minantur, niſi eodem, proximo non euitandam, *intermedia quiete* nequidquam iuuante. Quare protinus, ac cholerica huiuſmodi affectio ſe prodit, non ſolum eam cardiacis, alexipharmacis, et paregoricis compeſcere oportet, verum, abſoluta accessione, cortice validiſſimo modo (§. CXXVI.) adhibere, vt proxima acceſſio, fortaſſe exitium allatura auertatur, aut ſaltem ita infringatur, vt tempus deinde ſuppetat ad ſubſequentem aliam penitus inhibendam. Praeſtat vero hoc in caſu corticem ex vino porrigere, aut in bolos ſyrupo quodam gratiore redactum; ſic enim facilius remedium retinetur, et fertur, vt optatum effectum conſequamur. Quod multo certius euenit, ſi aliquid etiam cortici adiiciatur Theriacae, aut Diaſcordii FRACASTORII, vt quae remanet ad vomendum, et egerendum propenſio conſopiatur.

Tertiana Dyſenterica.

§. CLXII.

Quo differat a cholerica.

Tertianae cholericae valde affinis eſt *affectio, fere dixerim, ſemidyſenterica potius, quam cholerica*: in qua nimirum qualibet acceſſione, *humores in primis bilioſi, et alius etiam naturae tam acres ac erodentes excernuntur, vt poſt ipſos mucus cruentus exeat tam ſurſum, quam deorſum cum teneſmo, et torminibus, ſtomachique dolore, perinde*, ac ſi *illius membranae diuellerentur*, atque eroſionem ſubirent; et reuera oeſophagus ab *humoris excreti tranſitu, et vomendi conatu* erodi videtur. Haec tamen cruenta, et dolorifica excretio *minus* habet *periculi*, quam cholerica ipſa, modo deſcripta *a*). Febris enim etſi intenſior videatur, et *ſingultum*, et *iactationem irrequietam*, et croceum *vrinarum* colorem, et *linguae aridita tem*, et *ſcabritiem* ſecum trahat; ab ea tamen abeſt

abeſt *funeſta illa extremorum perfrigeratio*, angor, et ſudatiuncula, quarum in deſcriptione cholericae mentionem fecimus; et pulſus magis, quam in illa, expanduntur. Quoniam vero facile ex ſimplici in duplicem, et ex duplici in continuam migrat, aut inflammationem aliquam infert, non parum et ipſa diſcriminis continet, atque eamdem omnino (§. CLXI.) medelam requirit. Cl. GALEATIVS *b*) duas obſeruationes habet, in quibus vtiliter cortici peruuiano admiſcuit caſcarillam. Sine hac additione cortex mitiorem quidem febrim reddere viſus eſt, non vero dyſenteriam ſiſtere. Hinc Cl. vir in eam ſententiam vergit, interdum non ſatis ipſam Chinamchinam valere ad pernicioſas febres penitus ſubigendas. Sed animaduertere oportet, febrem iſtam, de qua ille ſcribit, fuiſſe continuam remittentem, et fortaſſe proportionatam, ſic, vt non mirum videatur, ſi morbus cortici ex toto non obtemperarit, niſi multo ſerius, quam in vere intermittentibus, et ſimplicibus euenire ſoleat.

a) TORTIVS *l. c.* *b*) *Comment. Acad. Bonon. T. V. P. 2. p. 221. et 222.*

Tertiana ſubcruenta, vel Atrabilaris.

§. CLXIII.

Aliud ſymptoma pernicioſum, quod Tertianae comitatae ſpeciem conſtituit, eſt quidam alui fluxus aquae, in qua caro lota ſit, perſimilis, *qualem* nimirum *veteres fluxum hepaticum* dixerunt. Hinc febris *ſubcruenta* appellatur. *Solet* autem *non nunquam vel inuadente*, vel *etiam declinante acceſſione* placide, et frequenter laxari aluus, tantaque ſeroſae, et ſubcruentae materiae copia deiici, vt *intra paucas horas nullo fere ſenſibili aegrotantis incommodo* eum *nil tale* primo *timentem* ad *ſummam* tandem deducat *virium imbecillitatem.* Tunc pulſus fit minutus, et exilis;

extrema insigniter frigescunt; vox gracilescit; oculique veluti incauantur. Interea nulla *fitis molestat*, mens viget; *nec de alia re* aeger *conqueritur*, *nisi de summa virium prostratione, ac procliuitate in lipothymiam*, siue animi defectionem, *quae facile quoque* vel e lectulo surgere volentem corripit. Decedente febri *sensim sedatur tumultus*, *qui raro ad diem intermissionis* producitur. At si producatur, *vae* aegro *die sequenti*, in quam cadit proxima accessio. Recurrente igitur cum accessionibus pernicioso huiusmodi alui fluxu, et *vires* cum febris augmento acquirente, breui, hoc est, *intra duos, vel tres ab inuasione symptomatis* circuitus aeger certissimo exitio succumbit. Interdum tamen in obesis hominibus, non adeo exitiale malum deprehenditur; sed, primo morbi impetu quodammodo superato, potius in diuturnitatem definit. Verum si loco serosi, et subcruenti fluxus, sanguis ater et nigricans, modo concretus, modo diffluens, modo ex vtroque genere coalescens copiose, et ad libras aliquot deiiciatur; tunc febris *atrabilaris* dici potest; et certius, citiusque sub placidae cuiusdam defectionis specie mortem arcessit *a*). Vtraque autem species cortice adhibito (§. CLXI.) feliciſſime, et prodigii instar curatur.

a) TORT. *l. c. ib.*

Tertiana Cardiaca *).

§. CLXIV.

Cardiacae, siue potius *cardialgicae* nomen, et lethalitatem accipit tertiana a cardialgia, quae eam comitatur. Initio enim accessionis, rigente, aut horrescente adhuc aegro, aut incalescere iam incipiente *acerrimus oris ventriculi morsus*, siue stomachi dolor exoritur, cum exigua *vt plurimum aut inani* vomendi cupiditate. Si cum eodem frequens

animi

animi deliquium, pulſus exilis, facies Hippocratica, luctuoſa ſuſpiria coniungantur; *ſitque dolor ille, ſeu mordicatio tam ferox, vt quandoque pro exſpiratione reddantur clangores, et vlulatus* (nam ſic vera cardialgia a ſimplici gaſtrodynia diſtinguitur); vitae periculum imminet, eo certius, et propinquius, quo longius ſymptomata haec protrahuntur, et contra. Quacunque autem in acceſſione, ſiue ſecunda, ſiue tertia (nam raro in prima id accidit) haec inſurgant, *metuendum eſt, ne vno adhuc, vel altero ingruente* circuitu *de vita ſit actum a)*. Vix enim quintam acceſſionem tale ſymptoma attingit, quin interficiat. Scire autem licet, quando enarrata phaenomena vnà concurrunt, *legitimam* eſſe *tertianam cardiacam;* quando pauciora, et leuiora *ſpuriam.*

*) Ad hanc fortaſſe ſpeciem referenda eſt illa, quam deſcribit MORTONVS *exercitat. I. de proteiform. febr. intermitt. gen. cap. IX. hiſtor.* 13. etſi a ſpaſmo diaphragmatis, et partium reſpirationi inſeruientium eam appellet.

a) *Id. ib.*

Tertiana emetica Sauvageſii.

§. CLXV.

Huc referenda videtur *Tertiana emetica* SAVVAGESII, in qua ſub acceſſionis initium ingens vomitus bilis flauae, et viridis, aut mucoſae pituitae cietur cum non leui cardialgia, calore, atque intenſiſſima ſiti per plures horas grauiter affligentibus. In *Cardiaca* aeque, ac in *Emetica* vitentur omnia, quae vomitum, aut aluum mouent, exceptis tantummodo diluentibus potionibus, atque enematibus blandiſſimis. Solo Cortice peruuiano, *omiſſis aliis inutilibus*, quibus fruſtra vſos eſſe interdum medicos obſeruatione conſtitit, curatio tentetur. Sanguinis miſſio non nunquam in febrilis acceſſionis augmento, ſi pulſus validi, et vehemen- *Curatio.*

tes

tes sint, si inflammationis, in primis ventriculum occupantis suspicio vrgeat, locum habere potest. Non raro enim ventriculum in huiusmodi febribus inflammari vidi, *Lipyriamque* morbum aemulari; quo in casu ante corticis vsum venam semel, aut bis secari in brachio oportet.

Tertiana Diaphoretica.

§. CLXVI.

Fraudulentior, et cognitu difficilior est febris *tertiana diaphoretica*, vtpote quae *nullo praecedente prauitatis indicio* tertianae benignae instar *inuadit cum horrore, et rigore, et frigore, cui deinde* solitus calor succedit. At *statim sudor aliquantum* certe *praecox erumpit*, quo febris primum subleuari videtur, licet postea reapse intendatur. Intenditur vero, quo vberior sudor manauerit. Postea sudor refrigescit, id quod fraudem in primis detegit. *Sudat* enim *perpetuo aegrotans et diffluit vndequaque frigido sudore perfusus, sicque perpetuo algens, et sudans sicut cera liquatur, dissoluitur, et deficit.* Interim *pulsus celer est, minutus, ac debilis; respiratio fit anhelosa et frequens*; vires vniuersae exsoluuntur; *sola mens lucidissima* perstat; et *sentit homo se paullatim mori.* Quod nisi in *illa ipsa accessione* mors accedat, in proxima certissime exspectanda est. Non nunquam diaphoresis non ita mature apparet, sed tantum circa accessionis remissionem. Quod etsi rarum, non minus tamen perniciei, et malignitatis recondit. Nam, fere tota feliciter transacta accessione, et iam ad *tempus declinationi proximum* perducta, incipit aeger minuto, pauco, viscido, et frigido *sudore perfundi*, inalgescitque totus, vt marmor, et morte, quam facies Hippocratica praemonstrat, declinationis loco succedente de medio tollitur *a*). At tantam perniciem

niciem ſola china china praepropere adhibita poteſt auertere.

a) TORT. *l. c.*

Tertiana Syncopalis.

§. CLXVII.

Syncope vera, ſimplex, et ſolitaria, nimirum nec cardialgiae comes, nec diaphoreſim ſubſequens, ſaepe ſe pernicioſae tertianae acceſſionibus adiungit. *Syncopalem* tunc febrim vocant. Qui tali febre corripitur, licet nullo dolore conflictetur, *frequenter* tamen, *grauiter*, *et abſque cauſſa manifeſta languet*, *exſoluitur*, *et animo deficit*, dum praecipue ſe de latere in latus conuertit, vel *brachium*, vel *manum* tantummodo tentat *loco mouere*. Pulſum praeterea exhibet languidum, paruum, celerem, obſcurum, ſubinde deficientem; ſudore tenui circa collum, et frontem madet; oculis eſt cauis, et caligantibus; atque ita viribus omnibus deſtituitur, vt odoramentis, cardiaciſque perpetuo indigeat, quibus reficiatur, recreetur, et, quoad fieri poteſt, deliquium imminens, quo tamen crebro afficitur, praecaueat. Si haec durante febris augmento, aut ſtatu perſiſtant, etſi deinde omnino ceſſent, et tranquilla integritas ſubſequatur; ni tamen futurae acceſſioni dato largius cortice proſpiciatur, fortaſſe vltima inſtabit vitae dies.

Tertiana algida.

§. CLXVIII.

Frigus etiam quoddam mortiferum ab initio ad finem vſque acceſſionum quaſdam tertianas comitatur. Hinc *algidae* appellantur. In his nec corpus, vt ſolet, recaleſcit, nec pulſus attollitur. Sitis ingens interea vrget; anxietas ſumma angit; et facies cadaueris imaginem refert. Si in ipſa acceſſione,

ceſſione, qua ferale iſtud ſymptoma ſe primum iſiſtit, febricitans non pereat, aegre poſtea, et poſt longum tempus incipit pauxillum calefieri, et pulſus, qui antea erat depreſſus, ſe ſe non nihil expedit, ita tamen, vt parum naturali frequentior, celeriorque percipiatur, cum *miti* ad manum *calore*, voce paululum rauca, *lingua non nunquam ſcabra*, *vrina* aut *copioſa*, et *tenui*, aut *pauca*, *et* intenſius *rubra*. In eodem ferme ſtatu totum integritatis tempus perſeuerat alioquin ſatis tranquillus; at redeunte nouo circuitu, vt plurimum fatis concedit. Interdum algor nec valde protrahitur, nec pulſus adeo ſubit, nec deſideratur quaedam vaporoſi caloris redintegratio. Quando haec fiunt, diuturniorem potius fore morbum, quam lethiferum, quandoque ſignificant. Quam citiſſime ergo huic quoque per corticem peruuianum eo, quem diximus, efficaciori modo occurrendum eſt.

Tertiana Lethargica.

§. CLXIX.

Grauium denique ſymptomatum, quibus pernicioſae febres TORTII ſtipantur, agmen claudit ſo-
Deſcriptio. poroſus affectus, modo *comatis* ſomnolenti, modo *lethargi*, modo *cari*, imo interdum *apoplexiae*, *hemiplegiae*, affinium morborum ſpeciem referens: qui non vni ſolum tertianae, ſed omnibus aliis intermittentibus febribus ſuperuenire conſueuit. Hinc febris *comatoſa*, *lethargica*, *carotica*, *apoplectica*, *hemiplegiaca*, aut ſimpliciter *ſoporoſa* pro diverſo eius ſymptomatis gradu apud Auctores nominatur. Pernicioſum hoc ſymptoma incidit tam in initio, quam in augmento acceſſionis, et cum eadem proportionate increſcit, donec, remittente ea, paullatim et ipſum diſcutitur. Non euaneſcit tamen ex toto, cum etiam intermiſſionis tempore

tempore vt plurimum aliqua in somnum propensio remaneat; *quae*, vbi id contingit, *affectum paullatim* radices agere, atque in *idiopathicum tendere satis admonet.* Quapropter, *si negligatur*, lethargus *vna; vel altera accessione* lethalis, nullaque arte superandus, *fortis apoplexiae instar*, euadet, in primis si aegri, vt WERLHOFIVS *a*) animaduertit, senes iam sint.

a) *Obseruation. de Febrib. praecipue intermittent., et ex earum genere continuis. Sect.* I. §. 3.

§. CLXX.

Soporosus autem huiusmodi affectus quando incipit, aeger quidem ab eo facile excitatur primum, sed mox in eumdem recidit; paullo post magna obliuione rerum omnium ante gestarum tenetur sic, vt, si quid aut dixerit, aut petierit, non amplius recordetur, interim dormitans, et nonnumquam obloquens, aut balbutiens, et verba mutilans, aut vnum pro alio proferens, *non secus ac si leui apoplexia in linguae paralysin degenerante foret detentus.* Tandem sic veterno opprimitur, vt supinus iaceat, et naribus stertat, nec vlla voce, aut arte, aut vellicatione excitari queat, aut, si aliquantulum excuti videatur, iterum statim profundiori sopore occupetur, donec remittente accessione paullatim mens, et sensus redeant. *Quod si vna, vel altera vice* reuiuiscat, id *semper paullo difficilius* fit, et serius; aut si sopori accedat singultus, tum *tertia ad summum, vel quarta accessione*, certissimam fere mortem, ni cortice anteuertatur *a*), occumbit. In ipso autem soporis tempore ea omnia in vsum vocari possunt, quae lethargo, aut apoplexiae opportuna sunt, nimirum sanguinis missiones, cucurbitulae, epispastica, frictiones, clysmata acria, atque odoramenta naribus admo-

Soporis diuersa ratio.

Curatio.

venda.

venda. Haec tamen nequaquam impediunt, quo minus proxima acceſſione teterrimus affectus reuertatur. His igitur omnibus, quae ſymptomati aliquo modo leuando ſeruiunt, curatio per corticem ſuperaddi debet, vt febris ſymptomatis illius cauſſa remoueatur. Hic vero non praetermittam, ſeniores hac febre correptos, quamquam admirabili hoc remedio ſemel, iterumque ſeruari fuerint, interdum tamen poſt aliquod tempus in eamdem relabi, et praecipiti apoplexia rapi, quin antidoto vti liceat, vel lenta et continua febri conſumi, quemadmodum mihi pluries obſeruare contigit. Credibile enim eſt, cerebrum tantam labem a graviſſimo huiuſmodi ſymptomate accepiſſe, vt deinde leui negotio idiopathice afficiatur, ſine vlla ſalutis ſpe.

Obſeruatio.

a) TORT. *L. c.*

Tertiana catarrhalis Morandii *).

§. CLXXI.

Atque hae ſunt praecipuae, et frequentiores *comitatarum* ſpecies, quas TORTIVS obſeruauit, et poſterorum memoriae concredendas duxit: quamquam non negarit, alias, atque alias eſſe, quas cum LVDOVICVS MERCATVS, tum RICHARDVS MORTONVS commemorarunt. Ex his totidem, ac habet TORTIVS, depromſit MORANDVS MORANDIVS, quarum quatuor propria experientia illuſtravit, etſi ab aliis iam viſas; tres vero ipſe primus omnium protulit, illiſque addidit *a*). Harum igitur prima eſt *tertiana*, vt ipſe vocat, *catarrhalis*, quia catarrho quaſi ſuffocatiuo ſtipatur. Accidit enim quandoque, vt, ineunte tertianae febris acceſſione aliqua, pulmones veluti catarrhali colluuie obrui videantur; ſiue id vere a ſeroſo, mucoſoque humore in pulmones irruente, ſiue a ſpaſmodica

dica tantum pectoris oppreſſione pendeat. Hinc ſenſim *reſpiratio* fit *perdifficilis* cum intus quaſi ebullientis, et ſpumantis materiae ſibilo, et ſtrepitu. Huic ſenſim *iuxta febris motum* adiungitur *pectoris plenitudo; et iactatio irrequieta; vox humide rauca; facies turgida, oculi fulgentes; ſudores circa frontem, et pectus*; *pulſus exilis*, et demum *virium defectus* tam ad extuſſiendum, quam ad exſcreandum; ita vt *catarrhum ſuffocatiuum* praeſentem diceres. Remittente, atque euaneſcente acceſſione omnia iſta ſymptomata ſedantur; redeunte vero, iterum reſurgunt, atque exacerbantur, vt iure metui poſſit, ne intra quatuor, aut quinque circuitus, ex quo primum apparuerunt, exitium ineuitabile afferant. Remedio vero eſt cortex mature, et valide datus, quemadmodum ſupra praeſcriptum eſt, aut infra dicetur, vbi cl. Auctoris eo vtendi rationem exponemus. Non tamen durante acceſſione negligenda ea ſunt, quae catarrho ſuffocatiuo mederi ſolent, vti venae ſectio, balnea pedum tepida, frictiones artuum, vapores aquae calentis inſpirati, bechica incidentia, oxymel ſcilliticum, ſpiritus fuliginis, gummi ammoniacum, diluta herbarum reſoluentium, et ſimilia.

*) Ad hanc ſpectat tertiana pernicioſa *catarrhalis*, et *aſthmatica* BONETI, (*Polyalth. T.* I. *p.* 250.) quando nimirum catarrhus, vel aſthma eam comitatur, et pernicioſam efficit. Aſthmaticae pariter ab aſthmate comitante pernicioſae binas hiſtorias refert GALEATIVS (*l. c. p.* 217.), in quibus corticem peruuianum vtiliter adhibuit. Sed in his febris non intermittebat, ſed remittebat tantum. TORTIVS quoque de eiuſmodi pernicioſae ſpecie mentionem facit, ſed ex MERCATI tantum et CORGHII medici Mantuani experientia, a quorum altero miram *aſthmaticae* febris hiſtoriam mutuatus eſt.

a) *De quibuſdam tertianis pernicioſis commentatio, cap.* 3.

Tertiana Colica.

§. CLXXII.

Deſcriptio. Interdum tertiana, inchoante acceſſione, vterum, vel inteſtina ſpeciatim aggreditur; atque hinc dolores vehementes earum partium cum ſenſu *modo torſionis*, modo moleſtiſſimae *tenſionis*, modo *fremitus cuiuſdam et tremoris*, pulſu paruo, anxietate ſumma, ſpaſmis, conuolutionibuſque internis, vomituritione, vagis corporis exterioris viciſſitudinibus, ſudore non nunquam frigido, ſiti, et linguae ariditate ingenti eam comitantur. Haec vero non ſemper omnia, ſed modo plura, modo pauciora conueniunt, et prout febris decedit, reuertiturque, abeunt et ipſa, et redeunt. Dolores autem huiuſmodi ſemper magnum periculum portendunt, et tum potiſſimum, cum obſcurato acceſſionum typo, aſſidui cum ipſa febre facti ex ſymptomate in morbum *eſſentialem* tranſeunt, breui lethalem futurum. MORTONVS *colicas* huiuſmodi ſaepe cum immodico vomitu, lipothymiis, extremorumque algore coniungi vidit *a*), interdum etiam cum aphthis tum oris, tum faucium. Tempore acceſſionum nihil vtilius videtur enematibus, fomentis, iure pulli copioſe hauſto, theriaca, laudano, aliiſque ſpaſmis laxandis idoneis; et ſi timor inflammationis ſubſit, pulſusque, et vires conſentiant, ſanguinis miſſione. Soluta vero acceſſione, ſtatim cortici tota ſalus committatur. Interdum poſt fugatam ope corticis febrem oculorum ophthalmia ſuccedere viſa eſt *b*), quae phlebotomiis, et catharticis de more curanda eſt, atque iterum, ſi febris redeat, cortice, quod ſine noxa deinde fieri ſolet, expugnanda.

Curatio.

a) *De proteiform. febr. interm. genio, Hiſt.* 16. 17. 18.
b) *Id. ib.*

Tertia-

Tertiana arthritica.

§. CLXXIII.

Pernicioſam quoque febris indolem indicant dolores, vniuerſum corpus infeſtantes, rheumatiſmi, aut arthritidis inſtar, et febrilium acceſſionum circuitum ſequentes. Initio hi *tenſiui*, *grauatiui*, *preſſorii* ſunt, et liberum membrorum motum impediunt; deinde *vibratiles*, *lancinantes*, *vellicanteſque* fiunt. Ad hos accedunt *aeſtus modo volatici*, *modo ardentes*, *circa febris ſtatum praecordiorum anxietates*, *pulſus depreſſio*, *virium collapſus*, et *ſitis inexplebilis*. Solent dolores iſti cum febre euaneſcere, iterumque cum ea redire periodice. Sed ſi, finita acceſſione, aliquid eorum ſupereſt; noua redeunte, ita increſcunt, vt *facile in ſpaſmum* deſinant vniverſalem. Praeterea interdum acceſſiones diutius protrahuntur, et continuitatem affectant, obſcuriori quotidie earum typo reddito. Quo in caſu periculoſa circa abdominalia viſcera ſymptomata enaſcuntur; *vnde hepatis*, *lienis*, *aut ventriculi inflammatio* imminet, vel *ſaltem febri lentae*, *et habituali ſplenica pathemata* ſuperueniunt. Haec omnia data tempore china china auertit, febrimque de more iugulat. Sub ipſis autem dolorum, et ſpaſmorum cruciatibus in hac febris ſpecie, quae dolorem *vniuerſalem rheumatiſmo ſpaſmodico ſimilem* inducit, vt ait MORTONVS *a*), ipſe non timet venaeſectione, emeticis, *veſicatoriis*, et paregoricis, in primis laudano liquido eum mitigare, et demulcere. *Deſcriptio.* *Curatio.*

a) *L. c. Hiſtor.* 12. *et* 22.

Tertiana Pleuritica.

§. CLXXIV.

Nec minus pernicioſa eſt tertiana, quacum dolor pleuritidem adamuſſim referens conſociatur. Ac- *Deſcriptio.*

ceſſiones vt plurimum antecedit vertiginoſa capitis perturbatio; deinde horror incipit, qui magis, magiſque increſcit, vſquedum nauſeam, cardialgiam, et vomitum excitet. Interim paullo infra mamillam, aut circa eam dolor acutus, et pungens, quandoque obtuſus tantum, et grauans, ſed iugis, interdum cum ardoris ſenſu coniunctus, plerumque inſpiratione recrudeſcens ſuperuenit, quem reliqua pleuritidis ſigna non deficiunt, vti pulſus celer, durus, non raro inaequalis, reſpiratio parua, frequens, difficilis, erecto capite, tuſſis moleſtiſſima, ſitis fere inexſtinguibilis, cum oris non dubia amaritudine. *Circa febris ſtatum* aegri vehementer aeſtuant, delirant, ſputa excernunt varie colorata, cruenta, et puri ſimilia, vrinaſque emittunt craſſas, turbidas, quales iumentorum. Nec rarum eſt, adeo malum augeri vt peripneumoniam ſuffocantem cum exteriorum partium perfrigeratione imitetur *a*). Quando haec febris ipſius vices ſubeunt, ideoque eius ſymptomata haberi debent, non ſolum corticis citum vſum poſtulant, vt in aliarum curatione febrium, perniciem minitantium, verum ea quoque omnia, quae verae pleuritidi conueniunt, atque in primis iteratam ſanguinis miſſionem; quae adeo neceſſaria eſt, vt ſaepe ipſe viderim, febrem cortici non obtemperaſſe, niſi ſanguine prius largiter miſſo, hoc eſt diatheſi inflammatoria per ſectionem venae quodammodo retuſa. Nec quidquam metuendum tum eſt ab remedio, quod alias in inflammationibus vulgo male audit. Tutiſſime, atque ſaluberrime tunc adhiberi, certiſſima obſeruata euicere.

Curatio.

a) MORT. *l. c. Hiſtor.* 21.

Tertiana coeca Morandii.

§. CLXXV.

Tres, quae sequuntur, tertianae species, *coeca, scorbutica*, et *petechizans* a MORANDIO primum, vt ipse *sine arrogantia* contendit *a*), et obseruatae, et curatae fuerunt *). Et primum, quod ad *coecam* pertinet, haec incipit a lassitudine, debilitate, oscitatione frequenti, *pandiculatione*; deinde se exserit *horrore, rigore, tremore, pallore extremorum, anxietate, nausea, dolore capitis grauatiuo, obtuso, vomitu, pulsu depresso, citato, duro, aliquaque vertiginosa affectione visionem aliquantisper hebetante.* Calore, et febre inualescente, succedunt inquies, garrulitas, obliuio, visus obfuscatio, sitis, sopor, linguae tarditas, delirium, coecitas, facies luctuosa, vrina sedimentum habens lateritium. Simul ac vero remittit febris, paullatim visus restituitur, obiectorum imagines primum confuse, mox clare, et distincte cernuntur, mens redit, et resipiscit, superstite aliqua in soporem modo, modo in garrulitatem propensione: quae, vbi remanet, superestque, opportune admonet, non omnem e cerebro caussam excussam esse, sed ibi figi, ac stabiliri, remediaque *illico*, *vel saltem ante quartam* opportuna exposcere, ne sera nimis poenitentia nos subeat. Necesse ergo est continuo aluum lenire, venam secare, alioque epispasticis reuellere, et corticem validissime propinare. Coecitatem ex huiusmodi caussa in quodam medico aetate, atque ingenio florente, patria Caesenate ortam, et post febrem discussam corticis ope, diu adhuc permanentem solo continuato antidoti huius vsu tandem curatam perfecte laetus memini. *Descriptio.* *Curatio.*

a) MORAND. *l. c. cap.* 3.

*) Nempe iam ab anno 1729., quo epidemicae cuidam

febrium pernicioſarum conſtitutioni ipſe interfuit, multoſque ſeruauit.

Tertiana ſcorbutica eiuſdem *).

§. CLXXVI.

Deſcriptio. Haec a *ſcorbuto*, cuius ſymptomata prae ſe fert, nomen habet; ſed *pernicioſa* vt dici poſſit, (nam maculae *regularis figurae*, *coloriſque rubeſcentis*, quae remittente acceſſione euaneſcunt, a legitima, et benigna tertiana ſaepe non abſunt) hiſce ſe debet patefacere ſymptomatibus. Initium acceſſionis facit ſenſus quidam ſpaſticus perfrigerationis, qui a regione lumborum orſus, ſenſim iuxta totius *dorſi longitudinem* ad *ſcrobiculum cordis* vſque porrigitur, proceditque, cum *vomendi conatu*, *cum rigoribus toto acceſſionis tempore inordinatis*, *et in flatu exaſperatis*, *cum anguſtiis et anxietatibus praecordiorum*, *difficili reſpiratione*, *cum deliriis*, *aut ſomni profunditate*, *cum paruitate pulſus*, *ac depreſſione*, *cum vrinis nimium craſſis*, *cum maculis irregularibus*, *latis*, *violaceis*, *parumque in die quietis euaneſcentibus*. Vbi febris hanc ſequitur ſymptomatum rationem, non temere fidendum eſt; nam verſus *quintam* acceſſionem *haemorrhagia narium vel inteſtinorum* occidet, *vel poſt ſeptimam*, ſi non occiderit, *in alium* ipſa *morbum*, *et praecipue in tabem*, *vel hydropem* migrabit. *Curatio.* Salus hic quoque a china china **) exſpectari debet, quamquam non me latet, non defuiſſe olim medicos, et quidem non ignobiles, qui eius vſu viam ſcorbuto parari crediderint, idque poſteros etiam, atque etiam monuerint, vt cauerent. Sed hodie, poſtquam compertum eſt, ſcorbuto quoque chinam chinam remedio eſſe, vix fidem vllam amplius obtinent. Graſſabatur hieme ann. 1765. Fauentiae ſcorbutus epidemicus, et grauiſſime graſſabatur. Omnes ab eo immunes exſtitere,

ſtitere, quibus cortex peruuianus ob praegreſſas febres autumnales pernicioſiſſimas, et ſummopere recidiuas diu, et liberali manu *a*) datus fuerat.

*) Tertianae ſcorbuticae meminit quoque ETTMVLLERVS, quem deinde ſequutus eſt SAVVAGESIVS. Verum Tertiana ſcorbutica ETTMVLLERI maxime differt a tertiana ſcorbutica MORANDII. Illa ſcorbuti ſymptoma eſt, benigna plerumque, ſaepe ſpuria, pertinaciſſima, diuturna, facile recidiua, ſolis antiſcorbuticis curanda, raro chinae chinae obtemperans. Vid. ETTMVLL. *Colleg. Pract. ſect. XV. cap. 2. oper. T. 2. pag. mihi* 324. *et ſeq.* Contra haec MORANDII primaria eſt, pernicioſa, breui exitium afferens, cortice illico fuganda, cuius ſymptoma, non cauſſa, ſcorbutus apparet Vid. ſupra §. CXL. CXLVII.

**) Si quis tamen eodem tempore antiſcorbuticis putridae diſſolutioni occurrat, et praecipue acidis mineralibus, eo felicior erit euentus.

a) *Sagg. di Medic. Prat. di Pietro Paolo Dall' Armi P. I. p. 37. Giunta*; nempe hiſtoria epidemicae conſtitutionis ann. 1765. a me addita.

Tertiana petechizans eiuſdem.

§. CLXXVII.

Horror in huius febris acceſſionibus dimidiam circiter horam, aliquando integram, raro diutius aegrum pertinaciter concutit; interimque doloribus torquetur dorſum, vt inquiunt, *tenſuis*, repente viribus exſolutis, et crebris lipothymiis intercedentibus. Calor horrori mox ſuccedit, nunc ſatis quidem tolerabilis, nunc ingens, ſed ſemper cum praecordiorum anxietate coniunctus. Pulſus eſſe ſolet paruus, celer, depreſſus; ſomni imminuti; caput imbecillum, *parumque dolens;* vrina aurantio colore tincta, craſſum ſedimentum exhibens. *Tertio*, aut *octauo*, quod tardiſſimum eſt, *febris circuitu efflorescunt peticulae rubicundae, vel liuescentes, et circa collum, pectus, humeros copioſae, cum inſigni animi angore, delirioque febris ſtatum praemonſtrantibus.* Quae omnia intermiſſionis tempore *Deſcriptio.*

miteſcunt quidem: noua vero acceſſione reſurgunt, atque exacerbantur, exceptis peticulis, quae etiam intermiſſionis tempore aſſiduae perſtant. Quamquam haec febris, teſte MORANDIO, vt plurimum proſpere finiatur *), interdum tamen exitium vitae comminatur. Quare ab eodem monemur, caute prognoſim tamdiu differendam eſſe, donec certa boni, aut mali exitus indicia ſe praebeant. Bonum augurari licet in primis ex peticulis, ſi poſt *ſeptimam* eruperint, atque ex pulſu, ſi magnus, ſi validus, ſi aequalis fuerit: contra malum ex iis *circa tertium* prodeuntibus, et pulſu paruo, inordinato, inaequali, et imbecillo. Praeſtabit ergo, ſi quid iudico, in tam ancipiti rei euentu ad corticem **), vt ad ſacram ancoram, confugere; quandoquidem tutiſſimum, et certiſſimum eſt iſtiuſmodi praeſidium.

*) Peticulae enim quandoque benignae ſunt, nec perniciem aut malignitatem recondunt. Tales fuere in tertiana petechiali MARCELLI DONATI *de med. hiſtor. lib. 3. cap. 14.* quam excitat SAVVAGESIVS. Sed tertiana eiuſmodi non erat pernicioſa, vt ea, quae a MORANDIO *petechizans* vocatur. *Petechizanti* vero huic propius accedit *tertiana epidemica petechialis*, quam obſeruauit an. 1652. in Dania BARTHOLINVS. Vid. *Bonet. Polyalth. T. 1. p. 252.* Igitur, vt dignoſcamus, vtrum peticulae ſymptoma pernicioſum exhibeant, nec ne, reliqua etiam ſymptomata ad examen vocentur, ne errore implicemur.

**) MORANDIVS (*l. c. cap. 4.*) hanc proponit corticis peruuiani adhibendi rationem *aduerſus ſingulas*, de quibus egit, *intermittentium febrium ſpecies*, plus minus efficacem pro maiore, vel minore periculi proximitate. Cum citius ad exitium properant *catarrhalis*, *colica*, *pleuritica*, et *coeca*, ſic validiore methodo indigent: contra leniore *arthritica*, *ſcorbutica*, et *petechizans*, quia hae lentiore paſſu vitam adimere ſolent. Itaque ſi praua ſymptomata, quae antecedentes omnes acceſſiones, praecipue poſtremam, comitata ſunt, ita intenſa viſa ſint, vt in celerem mortem tendere morbum ſignificent; totis viribus futurus acceſſus illico arcendus eſt. Cum primum igitur febris acceſſio praeſens remittere inceperit, mox chinae chinae drachmae

ſex

sex vno haustu porrigantur, deinde aliae tres post tres circiter horas, iterumque eadem quantitas post alias tres horas; et demum post quatuor iterum eadem dosis. Profligata sic certissime proxima accessione, detur drachma vna quotidie per octiduum, deinde alternis diebus vsque ad vigesimam diem. Tum quinque vel sex sine cortice transactis diebus, iterentur drachmae duae, et demum quinto quoque die semidrachma per tres alias vices. Cum vero non adeo proximum vrget periculum, leniorique modo agere licet, tunc prima vice quatuor corticis drachmas dare satis est, deinde binas alias post quatuor horas, et vnam non modo quotidie per sex dies, verum etiam postea alternis diebus ad vigesimum vsque; demum quinto quoque die semidrachmam ad diem vsque quadragesimum.

§. CLXXVIII.

Huc fortasse spectat *tertiana vrticata* PLANCHONII *a*), in cuius quauis accessione apparebat pura pura vrticata; et decedebat, febre sudoribus euanescente. Curatur haec quoque cortice peruuiano, diluentibus, et blandis eccoproticis. Fortasse quae a WEDELIO visa, et *scorbutica tertiana b*) appellata fuit, aut ad *urticatam*, aut ad *petechizantem* referenda est. In quouis enim eius circuitu erumpebant maculae *instar petechiarum*. Curata autem fuit iure viperino. Symptoma *purpuram scarlatinam* referens tertianis addi posse, non est, cur dubitemus; nam *quotidianam* cum huiusmodi exanthemate coniunctam, et mali moris, vidit MORTONVS *c*). Exanthemata quoque *miliaria* non raro intermittentibus superueniunt *d*), nec semper sudori, et regimini calefacienti debentur. Quidni ergo et tertianis? Ego equidem quibusdam in constitutionibus pluries vidi sine regimine calefaciente, imo cum refrigerante, tertianis intermittentibus superuenire pustulas miliares, papulas vrticatas, peticulas, aliasque exanthematum species. SAVVAGESIVS, et CVLLENIVS speciebus tertianarum adnumerant *Tertianam Miliarem* WALTHIERI *e*), sed

Tertiana vrticata scarlatina etc.

Miliaris.

Error Sauvageſii et Cullenii.

perperam; nam WALTHIERIVS veram febrem miliarem eo, quo citatur, loco deſcripſit, non tertianam comitatam exanthemate miliari: nec obſtat, ab initio febrem illam primis diebus ſub tertianae intermittentis ſpecie luſiſſe; cum hoc ſaepe eidem ſolemne ſit, nec ideo cortici obtemperare ſoleat, niſi tum, cum reuera intermittens ſua natura fuerit; exanthema vero ſymptomaticum *f*).

a) *Journal de Médec. Tom.* 17. *pag.* 75. *b*) *Medicina Septentrion.* BONETI *T.* 2. *p.* 552. *obſ.* 22. *ſub finem. c*) *De proteif. febr. intermitt. genio exercit.* I. *cap.* 9. *hiſtor.* 24. *d*) GASTELLIER *Eſſai ſur la fievre miliaire. Introduct. p.* 21. *e*) *Noſol. meth. claſſ.* 2. *ord.* 3. *Gen.* 10. *ſpec.* 21. CVLL. *Gen. morb. cl.* I. *Sec.* I. *Gen.* 1. *Tertiana efflorescentia cutis ſtipata* 1. *f*) *Vid.* RONCALLI *Europ. Medicin. p.* 151. vbi *Walthierii epiſtola.*

§. CLXXIX.

Aliae comitatis febribus addi poſſunt.

Comitatis accenſeri debent non paucae aliae tertianae, etſi non ſemper, neque adeo, vt ſuperius expoſitae, pernicioſae, neque valde frequentes, quarum tamen aliquam mentionem faciunt Noſologi. Interdum acceſſiones vel hyſteriſmum, vel ſuffocationem, vel flatus immodicos, et borborygmos, vel motus conuulſiuos, vel ſpaſmum, vel epilepſiam periodice comitem habent. Hinc tertianam huiuſmodi ſymptomate comitatam vocant *hyſtericam a*), *hypochondriacam b*), *conuulſiuam c*), *ſpaſmodicam d*), *epilepticam e*). Nec deſunt, qui *lyngodem*, nempe ſingultum excitantem *f*) viderint, quam alii *verminoſam*, vtpote a vermibus ventriculum irritantibus ortam, licet non ſatis id comper-

Quae excludi debeant.

tum eſſet *), vocare maluerint *g*). Quae autem *ſyphilitica* a DEIDIERIO *h*), aut *ſcabioſa* a JVNCKERO *i*), aut *ſcorbutica* ab ETTMVLLERO *l*), et BARTHOLINO *m*) dicuntur, ſimileſque aliae, aut *ſymptomaticae* tantum ſunt, aut *complicatae*, ſic vt ad comitatas minime pertineant.

a) WEDE-

a) WEDELIVS *A. N. C. Dec.* I. *A.* 2. *obſ.* 193. et *Medic. ſept.* BONETI *P.* 2. *lib.* 7. *Paraleipom. obſ.* 22. *p.* 552. *b*) DVNCAN-BAINE *Eſſais de Méd. d'Edimb. T.* 5. *P.* 2. *p.* 137. (*) Quotidie recurrebat febris cum motibus conuulſiuis et ſpaſmis. An tertiana duplex? *c*) WEDEL. *l. c. d*) *Beobacht.* I. *Band. p.* 24. FR. CASIMIR. MEDIC. *T.* I. *vid. comm. Lipſienſ. ſuppl.* 2. *ad decad.* 2. *p.* 204. *et ſeq.* vbi tamen Auctor obſeruationes habet de *quotidiana* ſpaſmis et conuulſionibus *comitata*, extenſa, et ſubintrante, *maligna*; niſi fortaſſe mauis, eam fuiſſe tertianam duplicem pernicioſam, communicantem, conuulſionibus, et ſpaſmis ſtipatam. *e*) CALDERA *Trib. med. p.* 225. LAVTTER *Hiſt. med. bienn. cap.* II. *caſ.* 2. *f*) RAMAZZINIVS *l. c.* §. *XI. p.* 14.

*) RAMAZZINIVS enimuero, eo quod in illa epidemica conſtitutione ſaepe vermes complicari viderat, facile coniecturam fecit, ſingultum, quo febris tertiana ſimplex ſtipabatur, a vermibus excitatum eſſe. Sed quonam remedio eum ſedatum fuiſſe credis? Febre nimirum per corticem ſublata. Ni ergo ſingultus febris ſymptoma fuiſſet, cortici non certe obtemperaſſet. Quae enim ei tribuitur vis anthelminthica, incerta valde, ſi non fictitia, eſt. Nec ex eiuſmodi felici curatione, meo quidem iudicio, magis ea euincitur, aut eluceſcit.

g) SAVVAG. *l. c. ſpec.* 18. CVLLEN. *l. c.* 4. *h*) *De morb. ven. ſect.* 4. *i*) *Tab.* 80. HOFFM. II. *p.* 12. *l*) *l. c. m*) *l. c.*

§. CLXXX.

Quae ratione curandae ſint.

Singulis hiſce *comitatis* (§. CLXXIX.) varia pro ſymptomatum ratione adhibenda quidem curatio eſt, qualem nempe hyſteriſmus, hypochondriaſis, conuulſiones, motuſue epileptici alias poſcunt, et prae ceteris antiſpaſmodica, neruina, atque antepileptica, praeter generales euacuationes, quae a plethora, aut cacochylia indicantur. Sed cortex peruuianus his quoque neceſſarius eſt, qui eas vel ſolus, vel aliis, quae modo memoraui, remediis admixtus certiſſime diſcutit. *Symptomaticae* vero iis curantur, quibus morbi primarii, quorum ſymptomata ſunt; vel ſi *complicatae* fuerint, mixta

cura-

curatione opus est, febri nimirum, et morbo, quocum copulatur, accommodata. Hinc *syphiliticae*, *scorbuticae*, *verminosae* antiuenerea, in primis mercurialia, antiscorbutica, anthelminthica, et sic porro, opem afferunt praestantissimam.

QVARTANA INTERMITTENS.

§. CXXXXI.

Cum accessiones quarto quouis die ordinate fiunt, et vacuum duorum dierum interuallum relinquunt, tunc febris *Quartana intermittens* est. *Descriptio.* Haec autumno praesertim, atque hieme insolescit; horisque vt plurimum pomeridianis suos habet circuitus. A frigore ingenti, dolorifico, delassante, atque ossa ipsa quasi frangente, siue osteocopo incipit. Post primam accessionem, in qua plerumque aegri non admodum rigent, tantus in subsequentibus rigor, et tremor est, vt dentes interdum, etiam satis firmi inter se collisi e suis alueolis eiiciantur. Solet frigoris tempus ad duas, tres, aut plures horas protendi, diutiusque affligere, quam in quotidiana, et tertiana. Calor succedens frigoris intensioni nequaquam respondet, sed leuior est, quam in tertiana, maior tamen, quam in quotidiana, saltem vt plurimum, atque ad quinque, vel sex horas cum aliqua capitis molestia, et grauitate protrahitur. Deinde sensim remittit, et sudore exiguo, interdum etiam nullo, soluitur accessio. Pulsuum micatus inchoante frigore, imo toto eius curriculo parui, profundi, inaequales, tardi, et rari exsistunt, neque, accedente calore, quamquam celeriores, aut crebriores fiant, ad eum vnquam gradum perueniunt celeritatis, et frequentiae, qui in tertianae vigore deprehendi solet. Vomitus, atque alui solutio plerumque abest, quemadmodum

ex

ex SYDENHAMIO animaduertit SAVVAGESIVS. Attamen ante eos aliter visum est GALENO *a*), qui copiosiores excretiones Quartanae attribuit, quam Quotidianae, vomitus in primis pituitosos, vrinas tenues, aquosas, et albas. Intermissio vero nunc perfecta consequitur, nunc imperfecta, prout sudor manauerit, vel defuerit.

a) *Differ. febr. l. 2. cap. 5. de Typ. cap. 5. De crif. l. 2. cap. 4. ex* TRNKA *l. c. P. 1. cap. 4. f.*

Differentiae.

§. CLXXXII.

Atque haec de *Quartana legitima* intelligantur: nam in ea, quam *spuriam* siue *notham* dicunt, cuncta symptomata, praesertim calor, sitis, peruigilium, vehementius vrgent, accessiones diutius trahuntur, et saepenumero ad perfectam apyrexiam nequaquam pertingunt. Praeterea vtplurimum haec aliis febribus tam continuis, quam intermittentibus succedere consueuit. Quartana item alia *simplex* est, qualem supra (§. CLXXXI.) posui, alia *duplex*, *duplicata*, *triplex*, et *triplicata*. In *duplici* accessiones duobus primis diebus reuertuntur, tertio libero manente, sic tamen, vt accessioni primae diei accessio quarta die rediens; secundae vero ea, quae quinta die recurrit, similis sit, atque ad amussim respondeat. Si quarto quouis die non semel, sed bis accedat febris, recedatque intermedio biduo libero, *duplicata* dicitur. *Triplex* autem ea est, in qua singulis diebus quotidianae in modum accessiones habentur, sed primae quarta, secundae quinta, tertiae sexta aequari debent. *Triplicata* demum vocatur, quae quarto quolibet die tantummodo corripit, sed tres habet intra idem nychthemerum accessiones. Hac per sex menses conflictatum fuisse FEOVIVM narrat SAVVAGESIVS *a*), tandem ope chinae

chinae chinae cum ſalibus alkalinis fixis commixtae curatum.

a) *Noſol. cl.* 2. *g.* II. *ſpec.* 16.

§. CLXXXIII.

Quartana inſuper, vt de quotidiana, et tertiana dictum eſt, communibus illis differentiis, toties iam inculcatis ſubiicitur. Quare et ipſa diſtinguatur neceſſe eſt, in *benignam*, *perniciosam*, *comitatam*, *primariam*, *ſecundariam*, *ſymptomaticam*, *complicatam*, et ſic porro. Quartanam *catalepticam* vide ſis apud BONETVM *a*), *comatoſam* apud CAROLVM PISONEM *b*), *epilepticam* apud SCHOLZIVM *c*), *hyſtericam* apud MORTONVM *d*), *nephralgicam* apud LEMERYVM *e*), *amentem* apud SYDENHAMIVM *f*), *ſpleneticam* apud SENNERTVM *g*), et ETTMVLLERVM *h*), *arthriticam* apud MVSGRAVIVM *i*), *ſyphiliticam* apud MONROVM *l*), et BALLONIVM *m*), et PLATERVM *n*), *ſcorbuticam* apud BARTHOLINVM *o*), et TIMAEVM *p*); quod SAVVAGESIVS, et CVLLENIVS erudite aduertunt.

a) *Polyalt. vol.* I. *p.* 805. et SAVVAG. *Noſol. method.* Cl. *VI. ord. V. gen. XXIV. catalepſis*, *ſpec.* 7. *b*) *Obſerv. de morb. a colluv. ſeroſ. obſ.* 167. 168. *et ſeq. ad* 174. *c*) *Conſ.* 379. 380. *d*) *Pyretol. exerc.* I. *cap. IX. h. X. et XI.* *e*) *Sauvag. ſp.* 9. *qui* citat *Diar. erudit. f*) *De morb. acut. cap. V.* g) *De febr.* *h*) *Colleg. Conſultat. caſ.* 25. *i*) *De arthrit. ſymptom. cap. IX. hiſt.* 4. *et* 5. *l*) *Eſſ. d'Edimburg. vol. VI. art.* 47. *obſ.* 9. *m*) *Epid. l.* 2. *p.* 131. *n*) *Obſerv. l. III. p.* 676. *o*) *De med. Danic. Diſſ. IV. p*) *Lib. VIII. caſ.* 18.

Prognoſis.

§. CLXXXIV.

Quartana alias omnes febres diuturnitate longe ſuperat, excepta fortaſſe quotidianae ſpecie aliqua, ac in primis ſymptomatica, et ſpuria, quibus conveniunt

veniunt ea, quae passim memoriae prodita sunt de eius pertinacissima natura. Plerumque autumno incipit, et tota hieme, si sibi ipsi relinquatur, prosequitur, donec vere aduentante paullatim desinat. *Aestiua*, et *spuria* breuiores esse solent; ideoque scripsit HIPPOCRATES *a*): *Quartanae aestiuae plerumque fiunt breues; autumnales vero longae, et maxime quae prope hiemem incidunt.* Raro vltra annum producitur; quamquam plurium etiam annorum quartanae contumaciores, interdum visae fuerunt. Insolita, et vix credenda diuturnae quartanae exempla, per octodecim scilicet, triginta tres, et quadraginta etiam octo annos affligentis exstant apud IO. WIERVM, et WOLFGANGVM GABELCOVERVM, aliosque mirabilia sectantes *b*). At non audiendus omnino est HIPPOCRATES, vbi inquit *c*), *omnium febrium* tutissimam, et placidissimam esse quartanam; neque tanti GALENI locus, in quo eam periculi expertem pronunciat *d*), faciendus est, vt obliuiscamur alterius *e*), in quo grauiter eam etiam vexare, et in lethalem hydropem interdum desinere fatetur, experientia quotidiana id confirmante.

a) *Aphor.* 25. *sect.* 2. *b*) Vid. haec fusius allata a Cl. TRNKA *in Historia Febr. Intermittent. omnis aeui Vol.* I. *P.* I. *cap.* 9. §. *LXXIV. et seq.* *c*) *Epid.* I. III. 17. *d*) *De art. curand. ad Glauconem l.* I. *c.* 8. *e*) *Comment. III. in Hipp. Epid. l.* I. *n.* 4.

§. CLXXXV.

Quartana interdum maligna et mortifera.

Imo quandoque epidemicas, et malignas, mortiferasque esse quartanas, praesertim senibus, qui plerumque in ipso frigoris stadio enecantur, non modo FORESTVS *a*), atque alii multi *b*) asserunt, verum etiam nos ipsi pluries obseruauimus. Quare ad *benignas*, *legitimas*, *depuratiuasque* coarctanda sunt ea, quae a BOERHAAVIO *c*), HOFFMANNO *d*), aliisque

aliisque dicuntur de Quartanae salubritate, et de longaeuitate ab eadem exspectanda. Limitandae item sunt laudes, quas ei impertit HIPPOCRATES hisce verbis: *A quartana correpti non admodum conuulsionibus capiuntur; si vero prius capiantur, et quartana superuenerit, liberantur e).* Nam non modo epilepticos insultus cum ea coniungi, supra indicatum est; verum etiam alios spasticos neruorum affectus ab eadem natos non raro vidimus. Neque vniuersim, et absolute vera sunt, quae habet auctor *sexti libri epidemiorum f)*, sic loquens: *Qui quartana vexantur, non vllo magno aliquo morbo corripiuntur. Quod si aliquo corripiuntur, quartana succedente, liberantur.* Vtrumque enim saepe falsum experientia demonstrauit. Exstant apud clinicos obseruationes, ex quibus discimus, quartanae, praesertim hibernae pleuritidem, aut alios morbos acutos non raro superuenire, neque ab eadem eos, qui iam erant, semper depelli. Nouerunt id vel antiquissimi *g)* Medicorum. Neque quidquam boni est fortasse a quartana profluxurum, quod ab aliis febribus tam continuis, quam intermittentibus exspectari, aut haberi non possit, vt variis in locis HIPPOCRATES *h)* spopondit.

Limitandae laudes Quartanae.

Si quid boni a Quartana exspectatur, id commune cum quanis intermittente alia febre.

a) L. III. observ. 32. schol. et 35. b) Vid. TRNKA *l. c. c) De cognosc. et curand. morb. §. 745. d) Med. Syst. T. IV. P. I. sect. I. c. 2. Thes. pathiolog. §. IX. e) Aphor. 70. sect. V. f) Sect. VI. n. 9. g) Coac. 159. h) Aph. 5. sect. V. 57. sect. IV. Coac. 354. aphor. 51. sect. VI. 52. sect. VII. Coac. 449. aph. 40. sect. VI. 44. sect. VI. Coac. 475. 222. 477. 479.*

§. CLXXXVI.

Recidiua valde est.

Recidiua autem valde est quartana, sed qualibet vice mitior, minusque pertinax sensim euadit, et plerumque post aliquot tum circuitus facile, aut sponte decedit. Vetus etiam opinio obtinuit, eum, qui

qui semel hac febre laborarit, nunquam in eam dem relabi. Verum id a SENNERTI, HEVERMANNI, MARC. DONATI, GASP. a REIES, WIERII, MADAI, BENIVENIIQVE obseruatis *a*) omnino refellitur. Vt tertiana, et quotidiana saepe in quartanam mutantur, sic quartana in tertianam, aut quotidianam vicissim degenerat; imo interdum in continuam, et lentam; quod minus tutum est. Grauidas ad partum vsque comitari ea dicitur; posthac cessare, sed in infantem natum transfundi, qua deinde hic conflictetur. Non solum sudoribus et temperie verna, vt aliae intermittentes, solvitur, sed etiam non raro scabie *), purpura, haemorrhoidum fluxu, ptyalismo, vlcusculis labiorum, vrinis nigris *a**) superuenientibus. Interdum furunculo in buccis nato ex VOGELII testimonio *b*) amandatur, itemque abdominis tumore, aut diarrhoea. Contra si quartana affectis *sanguis ex naribus fluxerit*, malum *c*) portendit; et multo pernicioſius adhuc est, eum concretum magna copia ano deiici; postridie enim mortem subsecutam, *teste* HEVRNIVS *d*).

Qui semel ea laborauit, iterum in eam potest incidere.

In grauidis pertinax.

Quibus euacuationibus soluatur.

Sanguinis fluxus quinam noxius?

a) Vid. loca apud TRNKA *l. c.* *a**) HAEN. *Rat. med. continuat. T.* 3. *p.* 174. (*) Sed non solum Quartanae scabie solui visae sunt; verum etiam aliae febres intermittentes, maxime recidiuae. Hac excretione intermittentes recidiuas autumnales anni 1765. verno tempore vidi iudicatas. *b*) *De cogn. et curand. morb.* §. *XIX.* *c*) HIPP. *aph.* 3. *sect. VIII.* *d*) *In Hipp. aph.* 23. *sect. IV.*

Curatio.

§. CLXXXVII.

Isthaec febris, antequam cortex peruuianus cognosceretur, opprobrium medicorum passim habebatur, quod vt plurimum quaeuis artis adiumenta aspernaretur. Hodie vero non item; nam eius

ope aeque, ac reliquae intermittentes, facile ſubiugari conſueuit. Paranda tamen eidem via ſaepe eſt ſanguinis miſſione *); qua ſola in manu inſtituta diuturnas quandoque quartanas deuictas perhibent; emeticis, catharticis, ſalibus tam *fixis*, quam neutris, atque aperientibus, amariſque medicamentis, prudenter, et opportune adhibitis. At lectiſſimus, nec effoetus ſit, oportet, vt votis omni ex parte reſpondeat; danduſque eſt liberaliori, quam alias ſolet, manu, ne optato effectu careat. Compertum enim habemus, ſub parciore eius vſu febrem aut nihilo minus inuictam progredi, aut, ſi victa eo fuerit, facile poſt aliquod tempus recidiuam fieri, quae iterum largiori, et validiori remedii ſumtioni cedere ſolet. Si igitur febrim, quando ea vehementior vrget, largius datus cortex ſupprimit, cur non eodem modo ſumtus eius reuerſionem auertat? Augenda igitur eius doſis ita eſt, vt cauſſae, quae quartanam efficit, fouetque, ſiue maiori, ſiue difficiliori ſubigendae ſufficiat. Quod non ſemel expertus ſum ego, exemplo a pernicioſarum curatione ducto, expertique ſunt alii exercitatiſſimi viri *a*).

*) Cl. STÖRCKIVS (*Ann. Med. 2. p. 164. ed. Amſtelod.* 1779.) binos ex quartana laborantes habuit, quibus pulſus tempore apyrexiae erat fortis, aequalis; appetitus bonus, et vires validae. Febris qualibet acceſſione nullo ſudore ſoluebatur. Cum febris vehemens progrederetur et vires infringeret, maciemque induceret, dedit corticem, ſed incaſſum. Vncia eius data neque mitiorem reddidit febrim, neque frigus imminuit, ſed longe maius, et moleſtius factum eſt. Altero integritatis interuallo auxit doſim remedii ad vnciam cum dimidia; ſed fruſtra. Tum extractum adhibuit eadem doſi, eodemque effectu; nec mirum, cum extractum minus efficax eſt. Multa tentauit, et quidem ſudorifera; tandem frictiones in frigoris ſtadio ad ſpinam dorſi, et os ſacrum pannis laneis vapore camphorae

fae impraegnatis adhibuit, totumque dorſum, et corpus *iiſdem*, ſtraguliſque tegendos curauit. Sic ſudore elicito ambos reſtituit. Nullam mentionem fecit de purgatione, nullam de ſanguinis miſſione. Pulſus etiam apyrexiae tempore erant validi. Num depletis vaſis, expiatiſque primis viis cortex irritus fuiſſet? Num ſeſquiuncia, aut binae etiam vnciae cum dimidia corticis ſumma eſt doſis, qua data, in quartanis generoſiorem fere doſim poſtulantibus eius inutilitas appareat?

a) TRNKA *l. c. P. 2. ſect. 2. cap. X.* quod totum legendum eſt, quia omnium auctorum de chinae chinae vſu ſententiae ibi afferuntur. Sed nullibi plura, quae ad corticis delectum, et praeparationem, et vires ſpectant, reperies, quam apud RAHNIVM *Adv. Med. Pract. Vol. I. ſect. I.* neque ſaniora conſilia, quae ad eiuſdem vſum reſpiciunt, quam in ſect. 2, in qua recte et vere de aliorum obſeruationibus ſententiiſque iudicium fertur.

§. CLXXXVIII.

Quae cortici vtiliter adiici interdum poſſint.

Non diffiteor tamen, interdum peculiaria quaedam humorum, aut viſcerum vitia cum cauſſa febrim efficiente conſociari, quae non modo, vt cortici pertinacius reluctetur, ſed etiam vt leuiſſima de cauſſa reuiuiſcat, praeter morem faciunt. Quamobrem interdum maxime proficuum eſt cortici adiicere modo ſalem ammoniacum, modo radicem gentianae, modo ſuccos concretos plantarum amaricantium, aut antiſcorbuticarum, modo extractum Cicutae *), modo mercurium dulcem ſepties, aut nouies ſublimatum *a*), modo chalybem. Hinc innumerabiles apud auctores compoſitionum huiuſmodi formulae inueniuntur, et ſummis laudibus ad quartanas in primis contumaciores curandas *b*) extolluntur. His addenda quoque eſt vis electrica, qua ſola Quartanam iam ab aliquot menſibus affligentem media in hieme in Clerico fugaui. Poſt quamlibet electricitatis applicationem ſudor largus manabat.

nabat. Sic paucos intra dies febris omnino diſcuſſa eſt.

*) Qui Cl. ANT. STÖRCKII Archiatror. Caeſareor. Comitis *libellum de Cicuta* cum adiectis aliorum obſeruationibus, *Vindobonae ann.* 1761. recuſum perlegerit, cognoueritque eius vires medicas multis in morbis, non mirabitur, Cicutae extractum corticis facultatem in pertinaciſſimis quartanis augere poſſe. Narrauit mihi Medicus praeſtantiſſimus, amiciſſimuſque FRAMBAGLIA, ſe in quadam epidemica febrium intermittentium conſtitutione, quando viſcera abdominis obſtructa reperiebat, vſum feliciſſime extracto Cicutae eſſe, et quandoque hoc ſolo febres pertinaciores ſuperaſſe.

a) Calomelanon TVRQVETI RIVERIVS vocabat, vt videre eſt in eius obſeruationibus medicis. Hoc intermittentibus diuturnis, et rebellibus feliciter medebatur. Imo celebratiſſimum eius ſpecificum *antiquartium*, quo quartanas chronicas cito tollebat, *calomelano* potiorem ſuam vim debere, veroſimillimum eſt; etſi vera eius compoſitio nunquam innotuerit. Si vero coniecturis locus detur, inter varias, quae de *Antiquartio* RIVERII exſtant opiniones, Cl. TRNKAE in primis videtur probanda, qui illud conſtare autumat ex *Mercurio vitae*, ſiue rectius *praecipitato antimonii*, in patina terrea vitreata ad ignem exſiccato, donec non amplius fumet, *Calomelano Turqueti*, et *Diaphoretico*. Vid. TRNKA *l. c. P. 2. ſect. 2. cap. 3. §. XCII. h.* Sequens etiam compoſitio a quibuſdam habetur pro vero RIVERII Antiquartio. *Rec. Merc. dulc. gr. XII., Mart. diaphor. gr. XV., ſulph. aurat. antim. gr. IV. M. f. pulv. Detur quatuor horis ante acceſſionem; et repetatur deinceps ad tertiam vicem.* Sed RIVERIVS negat, ſe vnquam antimoniatis remediis vſum eſſe. Debet etiam conſuli Jo. HENR. SCHVLZII *Diſſert. de Mercurialium vſu in febre quartana curanda.*

b) Vid. TRNKA *l. c. XI. de Febrifugis compoſitis §. CXXVIII.*, vbi ſpeciatim varii generis formulae ex clarioribus ſcriptoribus depromtae adducuntur.

§. CLXXXIX.

§. CLXXXIX.

Mercurii autem dulcis, aut calomelani egregia vis ad quartanas eradicandas merito celebratur, praesertim si luis venereae, siue syphilidis aliquid subsit, quod eam alat. Verum etiam extra huiusmodi suspicionem miros saepe effectus praestat, tam solus, quam cortici adiunctus, non modo *cathartici*, sed etiam *alterantis* in modum. Vtor ego feliciter ad quatuor, vel sex grana in singulos dies, quae cortici admisceo, diuque eius vsum produco, sic tamen, vt etiam minori dosi contentus interdum sim, aut etiam subinde intermittam, si ptyalismum moueat, aut aluum nimium laxet. Cl. HOFFMANNVS *a*) commendat puluerem, vt efficacissimum aduersus quartanam, in cuius compositionem ingreditur Mercurius dulcis. Idem quoque celebrat *electuarium* quoddam *b*), nec non *Infusum vinosum* mirae efficaciae *c*), ad quorum exemplum quilibet alia, atque alia pro varia indicationum, et circumstantiarum ratione poterit sibi componere, et comparare.

Mercurii dulcis vis febrifuga.

a) *Med. Rat. systemat. T. IV. P. I. sect.* 1. *c.* 2. *method. med.* §. *VIII.* Pulvis autem est huiusmodi: *Rec. Pulv. cortic. peruv. drachm. iij. Regul. antim. medicin. drachm. ij. Mercur. dulc. rite parat., croc. Mart. tenuiss., Arcan. duplicat.* MYNSICHT. *an. drachm. j. ol. destillat. Menth. gutt. iv. M. f. pulv.*

NB. Mercurius non terendus cum puluere, sed cuspide tantum cultelli permiscendus est.

Dosis puluueris est a drach. sem. ad drachm. j. cum Roob. Sambuci, vel iuleb. rosar. in elect. form. redact. D. mane et vesperi tempore apyrexiae. Recens debet parari, ne noceat; sed non detur, nisi robustis, seruata opportuna victus ratione. Laudatur etiam ab aliis.

b) *L. c. sect.* 1. *cap.* 1. §. *IX.*

Electuarium antifebrile Hoffman.

Rec. Roob. Sambuc. vnc. ſem. Pulv. cortic. peruuian. drachm. vi. pulv. flor. chamom. vulgaris drachm. ij. Ex. tract. cent. min., pulv. caryophyll. an. drachm. ſem., ſyr. acetoſ. citri vnc. j. et ſemiſ. M. f. elect.

NB. addi quandoque poteſt antim. diaphor., Theriac., vel ſal. etiam ammoniaci drachm. ſem. Finito paroxyſmo altera quaque hora detur drachm. ſem.

Pro iis vero, qui ſunt tenerioris texturae, et ſtomachum habent imbecilliorem, parari poteſt remedium in forma liquida ſic:

Rec. Cortic. chin. vnc. j. caſcarill., cinnam. acuti, ſal. tartari an. drach. j. Aqu. flor. chamom. vulg. lib. j. vini tantumdem. Digerantur leni calore. Colat. add. ſyr. cortic. aurant. vnc. ſem.

Doſ. vnc. j. quouis bihorio, vel *vnc. ij.*

c) L. c. §. VII.

Infuſum vinoſum Hoffm.

Rec. Fibrar. hellebor. nigr., rad. polypod. querni, fol. ſenn. ſ. ſ. an. vnc. j. herb. abſinth., centaur. minor., card. bened., trifol. fibrini an. m. ſem. Raſur. ligni Colubrin., cortic. chin., aurant. recent. an. drach. iij. Limatur. Mart. vnc. ſem. Tart. Tartariſati tantumdem. Cont. contund. irrorentur drachmis duabus ſpirit. ſal. amm. vrinoſ. Miſceantur, et duabus vini menſuris infundantur.

Omnibus indicationibus curatoriis ſatisfacit; de quo matutino tempore quotidie liberalis hauſtus ſumatur.

§. CXC.

Quando chalybis vſus locum habeat.

Chalybe vero nihil praeſtantius eſt, vbi febres intermittentes cuiuſcunque typi diuturnitate ſolidarum partium tonum, fluidarumque craſim peſſundederint, ſic, vt non ſolum malus corporis habitus, verum virium languor, et coctionum deprauatio conſequantur. Tunc enim tonica corticis vis impar eſt ad corpus firmandum, atque ad febris, etſi eo cohibita ſubinde ſit, reuerſionem impe-

impediendam. Hinc corticis adaugenda virtus eſt vel chalybis adiectione, vel interpoſito opportune eius vſu. Hunc in finem ALLENIVS *a*) *decoctum nigrum* *) commendat, cui interdum pro delicatulis adiiciendam ſuadet *Tincturam Burgundicam* **). Ego quoque non ſemel ALLENII auctoritate ductus corticem cum chalybe coniunctum forma liquida ad praecauendos febrium recurſus *b*) ſummo cum aegrotantium emolumento adhibui, aſſertaſque medicamenti huiuſmodi vires comprobaui.

a) *Synopſ. vniuerſ. med. pract. cap.* I. *artic.* 48.

*) *Decoctum nigrum.*

Rec. Cortic. Peruuian. pulv. vnc. ij. chalyb. cum tart. praep. vnc. j. coq. in aq. font. lib. iij. lento igne ad lib. j. et ſem. addend. ſub finem coction. cinnamom. acutiſſ. drachm. ij. Colatur. add. aq. abſinth. magis compoſit. ℥. ſem. M.

**) *Tinctura Burgundica.*

Rec. Cortic. peruu. pulv. drach. x.
Calam. aromatic.
Cinnam. an. drachm. j.
Cortic. aurant. drachm. ij.
Cochinell. drach. ſem.
Macera per biduum in vin. alb. Vliſſoponenſ. lib. ij, et ſem. filtretur etc.
Doſ. cochl. n. iij. vel iv.

b) HAMILTONIVS (*de Prax. regul. et febr. miliari c.* 9.) praeſtantiſſimum praedicat ſalem abſinthii ad praecauendas febris reuerſiones. Formula vero, qua ego corticem, et chalybem coniungere ſoleo, differt aliquantum ab illa ALLENII modo deſcripta. Eſt autem huiuſmodi:

Rec. Cortic. peruuian. contuſ. vnc. ij.
Limatur. Martis vnc. ſem.
Tartari albiſſ. vnc. j.
Aq. flor. chamom.
Vini albi an. lib. j. ſem.
Decoq. ad tertiae partis conſumt. Colat. vnc. iij. vel iv. dentur quotid. mane, et repet. per dies XXX., vel XL.

Edulcari poteſt additione ſyrupi alicuius gratioris prout libuerit.

§. CXCI.

Oedemata, hydrops, obſtructiones quartanae ſuperuenientes cortice tolluntur.

Si oedemata, aut aqua intercus, aut obſtructiones a diuturniori praeſertim quartana, ſuperuenant, ſola china china diu vſurpata cum ipſa febre tolluntur; in primis ſi aeger non modo a febris diuturnitate, verum etiam repetitis catharticis fuerit eneruatus. Demum chalybis vſu firmandus eſt*). Oedemata praecipue diſcuti dicuntur ſale Tartari ad grana XV vel XX ſingulis diebus mane per hebdomadem dato, feliciuſque id obtineri aiunt, ſi ex diluto Baccarum Iuniperi contuſarum ſal iſtud praebeatur *a*). Qui hiſce (§. CLXXXVII. ad CXCI.) opportune vti nouerit; omnibus aliis arcanis, atque antidotis, quae paſſim ab auctoribus celebrantur, facile carebit.

*) Laborabat quartana intermittenti ab aliquot menſibus illuſtris quidam Iuriſconſultus Alexandrinus aetate florens, et bono alioquin corporis habitu praeditus: ex qua non ſolum ei magno oedemate pedes, crura, et femora intumuerant, verum etiam vrinae ſubſtiterant, et quae parciſſime fluebant, rubrae erant, craſſae, et lateritiae cum eiuſdem generis ſedimento. Nec deerat moleſta ſitis. Faciei, totiuſque cutis color ad pallidum, flauumque vergebat. Abdomen flatibus diſtendebatur. Languebant vires. Appetitus erat pene delectus. Hinc non ſine cauſſa vehementer timebat aſcitem ſibi imminentem. Hactenus catharticis pluries iteratis, ſalibus neutris magna copia ſumtis, et diu continuatis, decoctis amaris, atque aperientibus febrem depellere tentauerat, nec ſalem eſſentialem Chinae Chinae, quem magni, licet immerito faciebat, experiri neglexerat; ſed incaſſum hercle. A china china in pollinem redacta, et valido modo ſumenda, cane peius, et angue ſibi cauerat. Diuturnitate morbi pene fractus ſe Ticinum transferendum curauit, quamquam iam hiems ingruerat, vt opem ſuis malis, ſi qua eſſet, quaereret. Febris quartanae adhuc regularis typum ſeruabat, ad continuitatem tamen aſſu-

mendam

mendam propendens. Cuncta coram diligenter ſcrutatus in eam ſententiam veni, morbum principem quartanam adhuc eſſe, cetera incommoda vt eius ſymptomata habenda, originemque ſuam debere nimiae ſolidarum partium atoniae, fluidarum vero aquoſae diſſolutioni, et tenuitati. Auctor igitur fui, vt dimiſſis quibuſcunque aliis medicamentis, extemplo ſolum chinae chinae puluerem oprimae notae, et largiori manu ſumerer, confidereque, eo ſolo febrim non modo deſituram, ſed reliqua etiam ſymptomata continuato eius vſu profligatum iri. Ita enimuero factum. Hinc illico febris deceſſit, nec amplius reuerſa eſt; oedemata paullatim diſcuſſa; vrinae vbertim fluere, appetitus reuiuiſcere, vires inſtaurari, vno verbo priſtina valetudo redire. Poſt quadrageſimam ab incepto, continuatoque remedio diem bene valens domum repetiit. Ad corpus vero etiam atque etiam firmandum proximo vere, quod aduentabat, ei ſuaſi, vt diu tinctura martis vinoſa Boerhaavii vteretur, ſeque moderato motu pedes, aut vectus exerceret. Quo factum eſt, vt priſtinum robur, firmitatemque recuperaret. Aliquot iam anni exacti ſunt, ex quo conualuit. Nuper cl. virum, qui me peramanter conuenit, ita proſpera vtentem valetudine vidi, vt qui nunquam aegrotauerit.

a) LANGE *Miſcel. veriſat, Faſc.* I. *p.* 68.

Febres longiora interualla habentes.

§. CXCII.

Quod ad reliquas intermittentes longioribus interuallis diſtinctas (§. LXIV. LXV.) ſpectat, cum hae neque natura differant, neque quidquam habeant, quod curandi rationem variari iubeat, niſi per ſe ſenſim omnino deſinant, iiſdem propemodum artis auxiliis, quae in curatione generali febrium intermittentium (§. CVI.) propoſuimus, et demum cortici peruuiano et ipſae libentiſſime obediunt. Idem dicito de febribus *ſaruatis*, et *topicis* (§. LXVII.), ſiue potius de morbis periodice reuertentibus ſine manifeſta pulſuum mutatione; nam non quidem aliud poſtulant curationis genus,

quam quod febres intermittentes, quarum naturam ſequuntur.

Subcontinua, et ſubintrans.

§. CXCIII.

Quae febris *ſubcontinua*, quae *ſubintrans* (§. LXIX. LXXI. CXXVII.) a nobis dicatur, iam ſupra explicatum eſt. In eas migrare, et verti poteſt quaecunque febris intermittens, ſiue quotidiana, ſiue tertiana, ſiue quartana fuerit. Quando id euenit, protinus poſt generales euacuationes (§. CVIII. ad CXVI.) ad corticem eo, quem tradidimus modo (§. CXXVII. CXXVIII.) deueniendum eſt. Naturam enim intermittentium, etſi non amplius intermittant, adhuc tamen retinent.

INSTITVTIONVM
MEDICINAE
PRACTICAE

VOL. I. PARS ALTERA.

PARS ALTERA.

DE FEBRIBVS CONTINVIS CONTINENTIBVS.

§. CXCIV.

Continuas continentes *) appellauimus (§. LXI.) eas febres, quae vno quasi circuitu sua stadia, siue tempora percurrunt, et σύνοχοι a Graecis dicuntur. Hinc *simplices*, siue vnius circuitus praeliquis febrium generibus et videntur esse, et reputantur. Ita tamen earum continuitas accipienda est, vt non quouis tempore, vna, eademque febris vis, atque eadem symptomatum intensio vrgeat, sed in principio, et remissione morbi omnia mitiora sint; grauiora vero in augmento, et statu, quemadmodum in aliis morbis fieri consueuit. *Synochi.*

*). Scire autem oportet, MORTONVM febres, quas alii *remittentes*, et synecheas vocant, *continentes* nominasse, noua sane, et insolita vocis vsurpatione; quod errorene, an studio fecerit, non satis liquet.

§. CXCV.

Non tamen putandum est, vt apposite, rectequemonent TORTIVS *a*), LIEVTAVDIVS *b*), SAVVAGESIVS *c*), HAENIVS *d*), aliique optimi harum rerum iudices, huiusmodi febres sine vlla omnino grauioris intensionis vicissitudine vsque ad finem procedere. Nam etsi neque, vt *Remittentes*, statis quibusdam horis manifesto ingraueſcant et remittant, neque intermissionem habeant, vt *Intermittentes*; *Quaenam in his continuitas?*

tentes; plerumque tamen matutino tempore non nihil deferuescunt, siue paullo lenius affligunt: a pastu vero, vel post meridiem, vel ad solis occasum, vel ex quacunque caussa euidenti, vti medela, animi affectibus, sermone, vigilia paullatim et lente inualescunt, vel demum ex ipsa caussarum intensione, aut symptomatum, accidentiumque accumulatione subinde et sine ordine exacerbantur. Non ergo tantam in iis esse quisquam credat continuitatis vniformitatem, vt nulla vnquam remissio, nullumque incrementum obseruetur: nam vno, vel altero tempore mitius, aut grauius habent aegrotantes; sed huiusmodi variationes neque adeo manifestae, neque adeo constantes, ordinataeque, vt in vere remittentibus, esse solent. Quod si probe animaduertissent illi, qui *continentis* vocabulum strictim, et prout rigor significatus exigit, sumserunt, fortasse non dubitassent, an vnquam (§. LXI.) huiusmodi febres incidant, aut visae a quopiam fuerint, cum licet rariores, non tamen clinicorum effugiant diligentiam *e*).

a) *Therap. special. l.* 1. *cap. VIII. p.* 63. *b*) *Précis de Méd. livr.* 1. *sect.* 1. *p.* 2. *c*) *Nosol. method. cl.* 2. *ord.* 1. *charact. ord. et gen.* 2. *d*) *De febr. diuis. Diuis. IV. schol.* 1. *e*) Vid. SELLIVS *Rudiment. Pyretolog. Ord.* 1. *Gen.* 1. *p.* 94. *sub fin.* qui *propria obseruatione* exsistere huiusmodi febres cognouit.

§. CXCVI.

In hisce sanguinem praecipue affici, atque a statu naturali peculiariter descisscere, plerisque probabile visum *a*) est; quod tanta continuitas vix se possit sustinere, nisi primarius eius fomes in ipso sanguine insideret; hinc has febres *venosas* nuncupauit BALLONIVS *b*), vt a *gastricis*, siue fomitem in abdomine, aut intestinis habentibus eas distingueret. Fieri interdum potest, vt in ventre quidem fomitis

fomitis origo ſit, ſed tanta iam copia in ſanguinem influxerit, quae ad febrilem aeſtum eodem tenore ad finem vſque morbi alendum valeat. Quae primo modo fit febris continens, dicitur *primaria*, ſiue *eſſentialis;* quae ſecundo, *ſecundaria*. Hinc intelligitur, qua ratione febris *intermittens*, aut *remittens* in *continentem*, quod ſaepe accidit, tranſmutari interdum poſſit.

a) Vid. SELL. *l. c. ord.* 1. *b*) *Oper. T.* 1. *L.* 2. *epidem. p.* 78. *edit. Thevart.*

§. CXCVII.

Si quis tamen velit, non ſemper in his (§. CXCIV.) ſanguinem vitiari, aut inſici, neque in omnibus febrilem fomitem eidem ineſſe, ſed quandoque aliis in humoribus, et praeſertim in lymphatico latice, aliiſque in ſedibus eum contineri; imo etiam non raro neruos, et cerebrum, et reliquas ſolidas partes potiſſimum laborare, aut affici; non repugnabimus, dummodo tale vitium ponatur, a quo febrilis motus ita ſuſtentetur, vt continenter, et ſine notabilibus remiſſionibus ſuum curriculum abſolvat. Variae enim ephemerarum, et ſynochorum ſpecies, itemque lentae neruoſae, atque hecticae, quae ad continentes referri ſolent, vni ſanguini quacumque ratione vitiato non videntur tribui poſſe; quod iam veteribus ipſis fuit optime animadverſum, et proinde varia cauſſarum tum ratio, tum ſedes ſingulis adſignata eſt, vt in ſequentibus perſpectum fiet. Praecipua autem febrium genera, de quibus ſeorſum hic agendum erit, tamquam *continentium* ordine comprehenſis, ſunt *ephemera*, *ſynochus imputris*, *ſynochus putris*, *continens lenta maligna*, *neruoſa dicta*, atque *hectica*.

EPHE-

EPHEMERA.

§. CXCVIII.

Quid ephemera. *Ephemera* Graecis, *Diaria* noſtris eſt ea febris, quae vnica acceſſione intra diem vnum, ſiue Nychthemerum, vel paullo amplius ſpatium terminatur. Suum enim curriculum abſoluit, modo ſeptem, modo duodecim, modo decem et octo, aut etiam quatuor et viginti horarum interuallo. Interdum quoque ad horas, quod ſummum eſt, triginta ſex extenditur. Quando intra hoſce terminos concluditur, *ſimplex*, et *legitima* pleriſque nominatur. Vlterius vero producta, vt tertio, aut quarto die tantummodo decedat, nomen *ephemerae extenſae*, ſeu *plurium dierum*, vel etiam *febris* ſimpliciter *continentis* apud quamplurimos obtinuit.

Ephemera ſimplex, ſiue legitima.

Extenſa, ſiue plurium dierum.

§. CXCIX.

Ephemera ſymptomatica remittens. Scire autem oportet, eam, cum diem vnum excedit, non ſemper continentis in modum, nec ſemper vna dumtaxat acceſſione decurrere, ſed quandoque remittentium more alias, atque alias ſucceſſiue minores habere acceſſiones, donec ex toto finiatur; vti pluries a nobis compertum eſt. Sed, quando id euenit, plerumque ephemera *ſymptomatica* eſt, non *primaria*, et tunc potius ad remittentes febres referenda videtur. Si vero *primaria* fuerit, et tamen pluribus, vt dixi, acceſſionibus ad finem perducatur, quod interdum euenire etiam concedimus, tunc ea fortaſſe non inepte *duplicata*, aut *triplicata ephemera* dici poſſet.

Ephemera duplicata aut triplicata.

§. CC.

Cauſſa et ſigna. Pura, et ſimplex ephemera fere ſemper a cauſſis mouetur euidentibus, vigilia, mentis contentione, curis, moerore, ira, aeſtu ſolis, calore balnei, exercitatione, labore, laſſitudine, temulentia, repletione,

tione, inedia, nimia euacuatione, subito frigore, fumo carbonum, similibusque. Quod tamen, GALENO *a*) iudice, etsi ab ephemera inseparabile sit, aliis quoque febribus, quarum non paucae a causa quadam euidenti saepe incipiunt, commune obseruatur. Iuuenes, vt plurimum, sanguineaque temperie praeditos, et ceterum sanos, et bene ante habentes in primis adoriri solet. Non eam, inquit LOMMIVS *b*), *cibi antecedit fastidium, non spontanea corporis lassitudo, sed neque grauior somnus, multaue oscitatio, neque horror, aut frigus: verum repente tota accedit, neque grauiore incommodo, vbi iam esse coepit, molesta est; dolorem intelligo capitis, atque ventriculi, itemque nauseam, aestum, corporis inquietudinem, et huiusmodi.* Totum vero corpus suaui calore perfunditur, qualis *in ira percitis*, *aut vino fartis* percipi solet: suauitas enim caloris perpetuum, et proprium huiusce febris signum *c*) exsistit. Cutis mollis, atque humida est. Arteriarum autem motus protinus magnus est, sed modice celer, et frequens, nec vehemens, aequalior tamen, liberior cum mollitudine, et iustioris ordinis, quam in prima statim reliquarum febrium accessione esse consueuit.

a) *De differ. febr. lib.* 1. *cap.* 7. *text.* 2. *b*) *Medicin. observ. l.* 1. *febr. diaria.* *c*) GALEN. *l. c.*

§. CCI.

Celeritas autem pulsus magis in diastole, quam in systole se prodit; quod minus arteriae vellicantur, ideoque minus celeriter contrahuntur. Parua enim causa *a*) est, quae arteriarum fibras irritat, atque ad contractionem allicit. Vrinam nihil, aut parum certe mutari in hac febre aiunt, excepta ea, quae in eius fine prodit, quae aliquanto saturatior, et concocta esse perhibetur. At aliis inseparabile, *Signa quaedam expendantur.*

et proprium videtur primo ſtatim die eam concoqui. Non ſoluitur profuſis ſudoribus, vt febres intermittentes, ſed ſaepe aucta ſolum inſenſibili perſpiratione; interdum copioſo halitu, et humido vapore, aut madore; interdum etiam ſudore, ſed minime multo. Hoc tamen nequaquam perpetuum eſt: non raro enim vidi febrim huiuſmodi largis ſudoribus, haemorrhagia narium, vomitu, aut alui fluxu, itemque puſtulis circa labia enatis ſolutam.

a) SCARDON *de cognoſc. et curand. morb. lib.* 4. *cap.* 2. *p.* 65. *in comment.* *b*) GALEN. *l. c.*

§. CCII.

Quae rarius contingant.

Neque perpetuum eſt, eam ſine horrore, et frigore repente, inopinatoque inuadere: nam compertiſſimum habeo, non raro ab horrore, aut frigore ipſam exordiri; imo etiam cum dorſi, capitiſque dolore, nauſea, aut vomitu coniungi, quod praecipue euenit *ephemerae extenſae*, ſiue *plurium dierum*, eique potiſſimum, quae aeſtiuo tempore, et in quibuſdam anni conſtitutionibus quaſi populariter increbreſcit. Id etiam conſtantiſſimum, et pene ſolemne eſt in illa, quae eryſipelas exterius erupturum antecedit, quaeque ideo ephemera *eryſipelatoſa* a quibuſdam *a*) appellatur. Quamquam, vt libere dicam, febris haec neque ſemper ephemerae modum ſeruat, ideoque inepte a non nullis ad ephemeras *b*) refertur, neque ad febres puras, et ſolitarias ſpectat, ſed potius ad morbos exanthematicos febriles, de quibus ſingillatim, et ſeorſum alibi differendum erit.

a) SYDENHAM *obſeruat. med. circa morb. acut. hiſtor. et curat. ſect. 6. cap. 6. p.* 322. *edit. Patav.* 1700. *b*) VOGEL. *Gen. morb. cl.* 1. *Gen.* 68., et *de cognoſc. et curand. praecip. human. corpor. affect.* §. *XLVII.*

§. CCIII.

§. CCIII.

Ceterum vbi sine frigore, aut horrore aggredi- *Quomodo ab intermittentibus et remittentibus distinguatur.*
tur, facile hoc ipso a febribus intermittentibus, et remittentibus distinguitur; quia hae fere semper a frigore, aut horrore inchoare solent. Verum si frigus, aut horror eius initium faciant, tunc sane non ita planum, atque expeditum est, eam ab illis, aut ab aliis *continentibus* certo internoscere. Tunc vero ex eius progressu dilucidanda res est. Nam si longior accessio fuerit, vti est, quando diem vnum excedit, tum intermittentis, aut remittentis accessionem suo circuitu superat. Synochos vero ob breuitatem non adaequat. Verum haec omnia plurimum variantur. Hinc saepe accidit, vt non nisi post eius discessum a reliquis discerni queat. Quare diariam omnem curasse facilius interdum est, quam nouisse.

Item a synocho putri.

Prognosis.

§. CCIV.

Hinc fere sequitur, vt haec ipsa prius nocere possit, quam cognosci. Plerumque tamen, si *pura* et *benigna* est, periculo vacat: non item *complicata*, et *maligna*, de quibus infra verba fient. Generatim bilioſos homines negotiis deditos facilius, et grauius occupat. Quando in *extensae* modum transcurrit, timor est, ne in synochum imputrem, aut putrem vergat. Primum cognoscitur ex maiore aestu, maioreque faciei rubore; alterum vero fieri, docente AVICENNA *a*), significant remissio sine sudore, aut madore, aut si cum sudore fiat, sine tamen *apyrexia*, atque *horripilatio;* pulsus inaequalis, celer, paruus, contractus; calor acer, et siccus; dolor capitis, si non defuerit, perseuerans; et omnia demum intensiora symptomata: quamquam tunc dubitari licet, ephemerane ab initio fuerit,

Quando in Synochum simplicem; aut putrem degeneret; aut in hecticam.

fuerit, an ipſa iam ſynochus putris. Quod ſi cauſſae vehementius corpus afficiant, atque homo ſiccissimo habitu ſit, diutiuſque febris, quam eius natura ferat, protrahatur, in hecticam permutari eam poſſe, vetuſtiſſima opinio eſt. Id autem indicari dicunt a calore ad carpum, ſi manu tangatur, magno, a febri aſſidua, et continenter aequali, a caloris in omnibus membris poſt cibum incremento, a pulſu duro, paruo, ſed aequali, atque a reliquis deinceps hecticae indiciis. Verum hic quoque quaeri poteſt, vtrum ephemera tunc tranſeat in hecticam, an vero ab initio iam hectica fuerit? HIPPOCRATES *b*) omnes febres, quae a bubonibus fiunt, *malas* appellauit, praeter *ephemeras*. Raro autem febris a bubonibus ephemerae inſtar occurrit. *Suppuratoria* enim eſſe ſolet, et per varios circuitus procedit, plus minus grauis, et longa, pro diuerſa tumoris natura, ex quo oritur. Verum eſto ephemera. An quia a bubone, non ideo abſolute mala? Bubo malignus et peſtilens, ſi eam excitarit, quid erit ipſa lethalius? Limitanda ergo HIPPOCRATIS ſententia videtur.

a) *Lib. IV. Fen.* 1. *Tract.* 1. *cap.* 8. *b*) *Aphoriſm.* 55 *ſect. IV.*

§. CCV.

Aetiologia. Ephemera pura, et primaria ab vna, vel altera cauſſarum euidentium, quarum frequentiſſimas ſupra (§. CC.) iam tetigi, ſine vlla maiori ſanguinis, humorumque labe praecedente, vt monet LVDWIGIVS *a*), procreatur. Per eas quippe vel ſenſibilitas ſolum, vel irritabilitas ita concitatur, vt febrilis perturbatio non ingens, neque diu permanſura conſequatur; vel aliquid acre in ipſo ſanguine euolvitur, vel in eumdem infertur, vel id, quod excerni debuiſſet, retinetur in corpore, et tale eſt, vt alterutram, quam memorani, vim *) afficiat, ſed facile,

facile, et breui e corpore emitti possit. Neque ex illis tantummodo causis eam progigni crediderim, verum etiam ex sanguinis copia, congestione, dolore, vulnere, contusione, fractura, luxatione, partu laborioso, difficultate catameniorum, lacte in mammis congesto, tumoremque dolorificum inferente, catarrho, similibusque aliis; et tum ephemera erit *secundaria*, aut *symptomatica*, a pura illa, et legitima non parum diuersa. Non ergo semper ab inquinato sanguine proficiscitur, vt *excrementitia* haberi queat, quemadmodum nimis praepropere QVAESNEO *b*) visa est. Namque haud illico *excrementitiis* febribus adnumeranda est, quod nulla coctione, vt loquuntur, purulenta egeat, et cito, facileque soluatur; cum id potius causae leuitatem, et facilem emendationem, aut ablationem significat, quam impuram *excrementitiamque* naturam. *Symptomatica.*

a) *Instit. Med. Clinic. P.* 1. *cap.* 1. §. *CCXXXIX.*

*) Morbum spirituum ephemeram ex praeconcepta opinione crediderunt veteres. Hinc fortasse CEL SCARDONA (*De cognosc., et curand. morb. lib. IV. cap.* 2. *p.* 58. *et seq.*) ad eos accessit, cum scripsit, proximam eius causam esse spirituum concitationem. Id autem ostendere putat animi pathemata, fumumque carbonum, aliasque huiusmodi remotas causas, quibus ipsa excitatur, et nerui in primis affici videntur. Verum non omnes causae remotae in neruos agunt. Non immerito igitur, vt opinamur, positum et constitutum a nobis est, *sensibilitatem*, aut *irritabilitatem*, aut vtramque vim in ephemera commoueri, ita tamen, vt inde orta febris non ingens fit, et cito conquiescat.

b) *Des Fievr. contin. T.* 2. *p.* 349.

§. CCVI.

Ephemerarum differentiae non paucae reperiuntur apud auctores. Vsu non carent quaedam communes, quibus distinguuntur in *primarias*, *secundarias*, *Differentiae.*

darias, ſymptomaticas, ſporadicas, epidemicas, benignas puras, complicatas, malignas. Nec valde abſum, vt etiam in *putridas* diſtingui poſſint; nam non video, cur cum ſanguinis procliuitate quadam ad putreſcendum coniungi quandoque nequeant. Reliquae a cauſſis, quae eas mouerint, ductae facile poſſunt omitti, cum cuilibet medico eas indaganti in mentem veniant *). Sic pariter illae, quae a tempore, quo periodice quaſi, et de more rediri ſolent, *menſtruae, bimeſtres, trimeſtres, annuae* dicuntur, notiſſimae videntur. Noſologi *a*) inter ephemerae ſpecies collocant *febrem lacteam puerperarum;* quae tamen raro ephemera eſt, et cum plerumque remittentis typum habeat, alibi a nobis peculiariter deſcribetur.

*) Inter veteres AVICENNAS, et inter recentiores FORESTVS ephemeras diuiſerunt in tot ſpecies, quot ſunt earum cauſſae euidentes; ideoque apud eoſdem alia eſt ephemera ex triſtitia et moerore; alia ex ſpe, et timore; alia ex meditatione, et cogitatione; alia ex ira; ex vigiliis; ex ſomno, et quiete; ex gaudio; ex metu; ex labore; ex euacuatione; ex dolore; ex ſyncope; ex fame; ex ſiti; ex oppilatione; ex ſatietate nauſeatiua, et repletione; ex apoſtemate; ex ſiccitate, et aſperitate; ex calore vel aëris, vel balnei; ex conſtipatione a frigore; ex vino; ex cibis calidis aliiſque ſimilibus cauſſis. Huc ſpectant *ephemerae ſymptomaticae* dolorum, vulnerum, fracturarum, luxationum, contuſionum HOFFMANNI, menſtruae, ſiue catameniales RAMAZZINII, et FREINDII, *eryſipelatoſae* SYDENHAMII, et SENNERTI, aliaeque apud SAVVAGESIVM commemoratae, quarum curatio cum a morbi primarii curatione omnino pendeat, idcirco ſatis erit eas indicaſſe.

a) SAVVAG. *l. c.*

Curatio.

§. CCVII.

Non negligenda tamen eſt cauſſarum euidentium conſideratio, quia earum varietati curatio accommodari

modari plane debet. Praecipue vero ſedulo quaerendum eſt, an *ſimplex* ephemera ſit, an *extenſa*, an *benigna*, an *primaria*, an *ſecundaria*, aut *ſymptomatica*? Vbi ſimplex eſt, leuique ex cauſſa oritur, curatio fere abſoluitur ſola abſtinentia, aut tenuiſſimo victu, copioſo potu, tepido, temperante, blandiſſime aperiente, et diapnoico, interdum iniecto clyſmate, quo aluus eluatur. Potui autem detur vel aqua puriſſima, vel ſucco limonum acidulata, vel decoctum hordei, vel foliorum Theae, vel florum ſambuci, vel emulſa, vt vocantur, ex ſeminibus frigidis. Si aeger ſanguine abundet, aut febris ex plethora orta ſit, quam tum *plethoricam* nominant noſtri (id vero cognoſcitur ex lauta victus ratione praecedente, ex liquorum vinoſorum largiore vſu, vita deſide, otio, temperamento ſanguineo, habitu corporis pleniore, conſuetarum excretionum defectu, faciei rubore, venarum plenitudine, calore totius corporis, viuidiori arteriarum, temporalium in primis, pulſatione; ſpirandi aliqua difficultate, membrorum torpore, et grauitate, pulſu magno, et pleno) quam citiſſime ſanguinis copiam minuere oportet venae ſectione, tunc-que praeſertim, cum doleat caput, aut timeri poſſit, ne febris vltra producatur; quod maxime vſuvenit, quando ſecunda iam die nullus ſudor prorumpit, nec febris miteſcit. Quo in caſu etiam iterari ſanguinis miſſio debet. Simili ferme modo curanda quoque eſt ephemera *extenſa*, itemque *ſymptomatica*, metum inflammationis (§. CCV.) afferens; non omiſſis interea, quae propius ad morbum primarium reſpiciunt.

Quinam potius dandus.

Quando ſanguis mitti debeat.

§. CCVIII.

Nec praetermitti poſſunt ea, quae ſaburram de ventriculo, aut inteſtinis excutiunt, ſi febris a cra-

Quando purgandum.

pula, a vino, a repletione, a foecibus retentis ortum duxerit, quemadmodum id ex anamnesi, fignisque coniunctis facile innotescet. GALENVS a) eos, qui balneo assueti sunt, vbi febris iam desierit, lauandos iubet; reliquias morbi, si quae supersunt, balneum discutit, corpus humectat, et refrigerat. Hodie vero, cum rarior fit balnei vsus, quiete, parciori victu, perspirationis cura, et leni primarum viarum expiatione id praestamus. Atque haec de *ephemera benigna*, et *pura* intelligantur. Complicatae enim, aut *malignae* alia omnino ratio est. Et quidem quod ad complicatam attinet, prout cum ea complicantur alieni affectus, aut plures caussae eam excitant, varia etiam, atque aliena, insolitaque phaenomena exhibet, quae aliquantulum etiam ipsam curationem, atque exitum variare possunt, quod in *symptomaticis* ephemeris (§. CCV. n.*) quae ad complicatam plerumque spectant, potissimum elucet.

Balneum.

a) *De Art. curand. ad Glaucon. l.* 1. *p.* 31. *et* 39. *edit. Junt. in* 8. *Venet.* 1542.

EPHEMERA MALIGNA.

§. CCIX.

Malignam ephemeram voco eam, quae brevitate sui cursus, et continuitate continenti ephemeras omnino adaequat; periculosis vero symptomatibus longe superat, vtpote quae caussam habet venenatam, animalibus et vitalibus viribus infensiorem, difficillime subigendam, et plerumque lethiferam.

Quid ephemera maligna?

Prout vero caussa isthaec vel sponte in corpore gignitur, vel a communi aëris infectione dimanat, vel per miasma contagiosum communicatur, sic quoque vel *sporadica* est, vel *epidemica*, vel a *contagio*. Rarissimus quidem morbus est, cuius tamen

De epidemica.

non

non desunt funestissima exempla. De *epidemica* igitur primum verba faciam, et praesertim de ea vulgatissima specie, quae *ephemera sudatoria* a SAVVAGESIO *a*) nuncupatur.

a) *Nosolog. Method. cl.* 2. *Gen.* 1. *spec.* 7.

Ephemera sudatoria *) *epidemica.*

§. CCX.

Morbus ab effusis sudoribus, qui eum comitantur, nomen obtinuit. In Anglia primum observari coepit, quoad nouimus, anno 1483 inter milites HENRICI SEPTIMI apud portum Milfordiensem. Eodem quoque tempore Londini a die vigesima secunda Septembris, vsque ad Octobris finem caput extulit, vt narrat CAIVS ANGLVS. Denique quinquies aestiua semper tempestate Britanniam reuisit; primum scilicet anno 1485, siue, vt alii volunt, 1486, secundum anno 1506; tertium anno 1517, et tunc ingenti adeo clade, vt trium fere horarum spatio plures optimatum, plurimos plebeiorum, imo in quibusdam oppidis dimidiam incolarum partem deleuerit. Quartum rediit anno 1528, tuncque aegri intra sex horas vita exuebantur, Rege ipso HENRICO OCTAVO in summum discrimen adducto, cum plurimi ex aulicis Proceribus interirent. Quintum, postquam anno 1529 totum Belgium, totam inferiorem Germaniam, Zelandiam, Brabantiam, Flandriam, Daniam, Norvegiam, Galliamque peragrasset, iterum in Angliam cum multorum pernicie pedem intulit. *Morbi hi-storia.*

*) *Synonyma*

Ephemera Britannica SCHENCKII, *observ. medic. p.* 763. *Sudor anglicus* WILLISII *Pharmacop. rational. P. I. sect. V. cap.* 3. *p.* 473. *Febris Anglica* RAYMVND. IO. FORTIS, *de Febrib. p.* 333. *Febris pestilentialis contagiosa vnius diei* CAII ANGLI *de Ephem. Britan. Hydronosus* FORESTI, *obs. med. L. VI. observ.* 8. *Hydropyreton, sudor anglicus, et*

febris ſudatoria SENNERTI *de febrib. l. IV. cap. XV. Ephemera peſtilens, et contagioſa* FRACASTORII, *de Morb. contag. l. 2. cap. 5. Ephemera peſtilentialis quibuſdam, et praecipue* LIEVTAVDIO, *Précis de Médec. Pratiq. l. 1. p. 41. Sudoriferus morbus* BATAVIS. *La ſuette* GALLIS.

Diagnoſis.

§. CCXI.

Symptomata. Plerumque epidemice graſſatur ſingulari in aliqua regione poſt humidum, caliginoſumque coelum, tempore in primis aeſtiuo, aut autumnali, ſoletque tres, vel quatuor menſes tantummodo perdurare. Incipit morbus a magna virium iactura, animique deliquiis. Interdum tremor ingens, et horror conuellens antecedit, deinde acer ſubſequitur cutis mador, qui mox in ſudores profuſiſſimos, et continuos conuertitur, ſaepe non prius deſituros, quam vita defecerit; quod vt plurimum intra quatuor et viginti horas contingit. Fere ſemper inſolitus adeſt interiorum partium aeſtus, atque ardor, ſitis inexplebilis, ingens cum deſperatione timor, anxietas ſumma praecordiorum, ventriculi aegritudo quaedam cardialgica, lumborumque dolor. Interdum accedit cephalalgia, cordis palpitatio, quae etiam morbo depulſo, remanere diu ſolet. Septima ab ingreſſu morbi hora omnia increſcunt. Tunc delirium ſuperuenit, maior virium deiectio, imo exſolutio, et profundiſſimus ſomnus. Hora decima quinta malum extremos habet labores. Rariſſime vomitus inſequitur, licet ſtomachum dolor vexet, quod in tanta eius anxietate mirum eſt.

§. CCXII.

Qui pulſus, quae reſpiratio. Pulſus iam ab initio celeritate, frequentia, inaequalitate febrem teſtatur; interdum etiam fit magnus, et vehemens. Reſpiratio cita eſt, atque anheloſa. Robuſtiores malum hoc praecipue adoritur;

tur; infantibus, senibus, pauperibusque saepe parcit; reliquos ferme omnes et corripit, et enecat. Indigenae, etsi in exteras regiones emigrent, non tamen fuga incolumes seruantur: aduenae contra vix vnquam media in epidemia hac lue infici visi sunt. Insuper animaduertendum est, raro haemorrhagias aegrotantibus superuenire, neminemque ex iis, qui hac febre correpti sunt, bubonibus, aut exanthematis obnoxium esse solere, et si quae in summa cute pustulae erumpunt, morbillis similes esse, rarissimeque id accidere, iisque dumtaxat, qui iam e morbo euaserunt. Nam saepe per plures menses nocturnis diffluunt sudoribus, vnde cutis rubore suffunditur. Hinc aliquam similitudinem habere videtur cum *febre miliari sudatoria, vulgo la fuette miliaire* SAUVAGESII *a*), quamquam haec ab *ephemera sudatoria* vere discrepat, quod pustulas miliares citissime, et iam inter initia ad cutim propellit, atque ad septimam, aut decimam quartam diem protrahitur.

Qui magis obnoxii.

Nulli bubones; nulla exanthemata.

a) *Nosol. meth. cl. III. ord. I. Gen. V. spec.* 8.

Causa.

§. CCXIII.

Probabile admodum videtur, subtilissimum, et summopere noxium venenum id esse, quod morbum efficit. Fortasse aliquid in ipso aëre incognitum, at venenatae indolis continetur, quomodocunque natum, aut a putridis terrae effluuiis suppeditatum. Quod verosimile redditur ab humida, et nebulosa tempestate, quae morbum praecedere solet, atque a magna vi auium sub arboribus, cum in Anglia lues haec desaeuiret, necatarum inuenta, quae sub alis absessus ciceris magnitudine gerebant. Potest etiam virus istud corporibus, quin aliunde veniat, innasci; nam praegressae humidae,

Causa peculiare virus.

et

et calidae tempeſtates, aëriſque conſtitutiones laxando ſolidas partes, perſpirationem cohibendo, humoreſque ad putredinem procliues reddendo ſic vniuerſam oeconomiam animalem peruertunt, vt aliquid intus gignatur, quod veneni inſtar agat, epidemicamque pernicioſiſſimam febrem inuehat, non aliter ſoluendam, quam profuſo, et continuato ſudore, qui nimirum illud noxium, et ſubtiliſſimum venenum expellat.

Prognoſis.

§. CCXIV.

Saeuiſſimum igitur malum eſt, et celerrime lethiferum, quippe quod, vbi primum in aliquam ciuitatem impetum facit, ſingulis diebus peſtis inſtar quingentos, aut ſexcentos occupat, et ferme omnes intra quatuor, et viginti horas de medio tollit. Quidam intra ſex, vel ſeptem horas interimuntur, et ſi qui diem integram ſuperant, eos conualituros eſſe, plerumque licet ſperare. In tuto tamen res eſſe nequit, niſi elapſis viginti quatuor horis; ſed tunc etiam timori adhuc locus ſupereſt, ne aeger in eumdem morbum relabatur. Qui morbi vim eludunt, effugiuntque, aſſiduis pene, copioſiſque ſudoribus ſeruantur: illi contra, quibus ſudores non ſatis diu manant, vel illico pereunt, vel in magnum diſcrimen adducti febre peſſimi moris, ſubſequente periclitantur *). Sed id fortaſſe euenit iis, qui non *ephemera* hac, ſed alia febre mali moris, aliquid epidemicae conſtitutionis in ſe recondente correpti fuerint; quod neque nouum, neque difficile omnino putauerim.

*) LIEVTAVDIVS, (*Précis de Médec. l.* I. *pag.* 43.) neſcio quo fundamento, ſcribit, non nullos ad diem quartam, ſeptimamque peruenire feliciter poſſe. Fatetur tamen ipſe; id rariſſimum eſſe. Nobis vero etiam ab *ephemerae ſudatoriae*

ſudatoriae natura omnino alienum videtur, cum *vnius diei morbus* a CAIO ANGLO eſſe dicatur. Puto autem, LIEVTAVDIVM deceptum fuiſſe deſcriptione, quam euulgauit BOVERVS illius epidemicae febris, quae apud *Bellouacos* ſaeuiit anno 1750., aut alterius, de qua mentionem fecit VANDERMONDIVS in *Tomo XII. Diarii Medici*, quarum neutra fuit *ephemera ſudatoria*, vt mox infra animaduertam, licet pro tali habita fuerit.

Curatio.

§. CCXV.

Experientia edocemur, non alia quam ſpontanea cutis excretione malignum virus, vnde huiuſmodi febris naſcitur, melius, certiuſque expelli. Sudores enim quoquumque modo imminuti, abrupti, aut ſuppreſſi mortem certiſſime afferunt. Quapropter omni cura enitendum eſt, vt ſudor libere prodeat, diuque continuetur. Aegroti diligentiſſime a frigore arcendi ſunt. Si ſudores ſponte remittant, ſtragulis impoſitis, diaphoreticiſque medicamentis reuocentur. Inter haec primis illis temporibus, quibus id morbi genus apparuit, celebrabantur hoc nomine Terra ſigillata, Bolus armenia, Dictamnus, Carduus Benedictus, Zedoaria, Tormentilla, Nymphaea, Borrago, Aqua acetoſae, et ſcabioſae, aliaque huius cenſus, quae non modo ſudoribus promouendis, ſed etiam malignitati perdomandae accommodata credebantur: quorum tamen non nulla hodie vix, ac ne vix quidem apud nos huiuſmodi laudem merentur. Neque ſudandi finis fiat, niſi viginti quatuor horis exactis. Tunc primum et ſtragula minuere, et ſudores quam diligentiſſime abſtergere, ſine periculo vt plurimum licere ferunt. Interdum vero, praeſertim in robuſtioribus, ſudores, iterum, atque iterum, ad duodecimam vſque vicem ciere oportet; quod tum maxime neceſſarium ducitur, vbi venenum non ſatis

Quomodo ſudor promouere debeat.

Quando a ſudore ceſſandum ſit.

tis expulsum videatur, morbusque non ex toto desiisse.

§. CCXVI.

Viribus quomodo consulere oporteat.

Sed inter sudandum prudenter viribus prospicere necesse est. Si hae languere ob sudoris nimiam copiam incipiant, erigendae, reficiendaeque sunt cardiacis, alexipharmacis, atque antisepticis medicamentis, vti vino, succo mali citrei, granatorum, acetosae, aliisque in peste, maligniſque morbis adhiberi solitis; sudorque ita gubernari debet, ne ei aeger prorsus succumbat. Obseruatum enim est, nimio sudores eliciendi studio, dum supra vires stragulis onerabantur aegri, magnam eorum partem suffocatam esse. Cardialgia quoque non parum negotii hoc in morbo facessit. Huic igitur occurrendum docet SAVVAGESIVS *a*) aqua florum aurantiorum, cinnamomi hordeata, mero, confectione hyacinthina, aut Kermesina, Theriaca, a quibus illud etiam boni praestatur, vt vires recreatae sudori ferendo pares euadant. Acetum quoque, aquae theriacales, omniaque acescentia videntur hic esse conuenientissima. Fortasse non male cessissent camphora, *liquor anodynus mineralis* HOFFMANNI, Moschus, Spiritus MINDERERI, aliaque hac aetate sumimopere celebrata.

Cardialgia quibus sedetur.

a) *L. c. sub fin. capit. de ephemera.*

§. CCXVII.

Nocet sanguinis missio.

Quod attinet ad sanguinis missionem, noxia nunquam non deprehensa haec est in huiusmodi lue, nec vllo modo per se opportuna esse posse videtur. Neque audiendus est BOVERVS, qui in ea constitutione, quae non multis ante annis Bellouacos *) misere afflixit, venae sectionem non parum profuisse narrat; nam idem auctor, re melius perpensa, fateri postea debuit, morbum illum ab *ephemera sudato-*

* *Beauvais.*

ſudatoria fuiſſe valde diuerſum *a*). Diſcrimen enimuero cuique patebit, ſi deſcriptio *ſudoris Anglici*, ſiue *ephemerae ſudatoriae* conferatur cum deſcriptione morbi Bellouacorum, a MALOVINIO in *Hiſtoria morborum epidemicorum etc. Pariſiis obſervatorum b*) typis edita. Catharſis quoque nullum locum inuenit, niſi interdum in morbi fine, eoque idm ſuperato. Fortaſſe ingruente morbo non inutile fuiſſet leniter vomitum ciere. Notum enim eſt, quantum emetica morbidi fomitis partem eiicere in epidemicis, contagioſiſque morbis poſſint, quantumque ſudoribus promouendis faueant. Magni etiam intereſt, quo regimine diaetetico vti expediat. Generatim primis quinque ab ingreſſu morbi horis omnis potus proſcribendus eſt, poſt has concedi quidem poteſt; ſed loco alimenti ſit. A carnibus omnino aegri abſtineant, nec inter ſudandum ſomno, in quem proniſſimi ſunt, indulgere vnquam ſinantur, nam niſi omni ſtudio euigilare cogantur, veterno obruti exſtinguuntur.

Catharſis non conuenit.

Quid de eſu ſentiendum.

a) LIEVTAVD. *ſynopſ. vniuerſ. Prax. med. l.* I. *ſect.* I. *ſudor. anglic. p.* 31. *edit. Patav.* 1777. Febris autem, quam anno 1750. BOYERVS in Bellouacis curauit, erat quoddam febris malignae putridae genus, cui nomen *miliaris ſudatoria* impoſitum fuit a SAVVAGESIO (*Noſol. method. cl. III. ſpec.* 9.). A noſtra differt quoque ea, quam vidit, deſcripſitque anno 1759. VANDERMONDIVS (*Journal. de Méd. T. XII. p.* 354.). Nam erat et ipſa de genere miliarium, quae producebatur ad ſeptimam vſque diem, perperam vocata *la fuette*.

b) *Hiſt. Acad. Roy. ann.* 1747. *p.* 563.

§. CCXVIII.

Nolo quidquam hic deſiderari eorum, quae ad regimen huius acutiſſimi morbi conferre vſus comprobauit. En POLYDORI VIRGILII in hanc rem ſaluberrima praecepta: *Poſt aegrotantium*, inquit ipſe,

ipſe, *plurima experimenta, et obſeruationes, a iuvantibus, et laedentibus factas, ita vſuuenit, vt remedium vnicuique promtiſſimum inuentum ſit, quod huiuſmodi eſt. Si quis interdiu ſudore corripiebatur, cum veſtitu protinus cubatum eat; ſi nocte et in lecto, tum quieſcat, nec ſe e loco moueat, vſque ad viginti quatuor horas exactas; interim ita ſe ſtragulis oneret, quo non prouocetur ſudor, ſed ſua ſponte molliter ſtillet, cibi nihil capiat, ſi tamdiu famem tolerare poſſit, neque plus potionis conſuetae, ac calefactae hauriat, quam modice ſatis ſit ad ſitim exſtinguendam. Inter hanc curationem inprimis caueat, ne manum quidem, aut pedem ſuum refrigerandi, recreandique cauſſa extra ſtragula proferat, quod facere lethale eſt a*). Noſtrum nequaquam eſſe arbitror quidquam in hac regiminis ratione carpere, tamquam ad ſuperſtitionem vſque euecta; nec, quid hodie ſudoriferorum vituperatores dicturi ſint, ſollicite inquirere; cum vna omnes reliqui voce affirment, in hac peſtilenti ephemera iſtud fuiſſe praeſentiſſimum auxilium, quemadmodum in quamplurimis morbis virulentis ab eorum exordio eſſe conſueuit, vt, id quod noxium eſt, atque volatile, citiſſime euaporetur.

a) WILLISIO referente *Pharmac. Rational. P. I. ſect. V. cap. III. pag. mihi* 473. *col. a.*

Ephemera ſudatoria ſporadica.

§. CCXIX.

Ephemera ſudatoria ſporadica.

Rariſſime hic morbus (§. CCX.) ſporadicus occurrit, vel ſaltem rariſſime, quod ſciam, apud medicos de eo mentio facta inuenitur. Vnus LIEVTAVDIVS memoriae prodidit, ſe in homine triginta annorum, qui *e leui morbo conualeſcens* laete Noſocomium *Verſalienſe* deſerere parabat, eumdem ſemel vidiſſe. Is enim in hunc *ſaeuiſſimum ſudorem* (hoc

eſt,

eſt, *ephemeram ſudatoriam*) *ſubito incidit, quo intra quatuordecim horas, variis fruſtra tentatis, raptus fuit a)*. Curatio *ſporadicae* non erit abſimilis ab ea, quam ſupra (§. CCXV. ad CCXVIII.) recenſui; donec experientia, et ratio meliorem, efficaciorem-que detexerit.

a) *Synopſ. citat. l.* I. *ſect.* I. *p.* 31.

Ephemera gangraenoſa.

§. CCXX.

Ad ephemeram malignam (§. CCIX.) reducenda quoque videtur rara quidem, ſed non ita, vt *ephemera ſudatoria* (§. CCX. et CCXIX.), ſpecies illa, quae ob gangraenam in aliqua exteriori parte citiſſime ſubſequentem, et praecipiti fato enecantem, *gangraenoſa* dici poteſt. Haec *ſporadica* eſſe ſolet, nunquam, quoad mihi hactenus licuit cognoſcere, epidemica. Primus omnium eam deſcripſit HIPPOCRATES breui quidem, vt ſolet, at luculentiſſima hiſtoria *a*). En eius ipſiſſima verba: *Critoni in Thaſo pedis dolor incepit fortis a digito magno erecte ambulanti: decubuit eadem die, horridus, anxioſus, parum ſubcalefactus; nocte delirauit. Secunda tumor per totum pedem, et circa talum ſubruber cum contenſione: phlyctaenae paruae, nigrae: febris acuta: furebat: ab aluo autem ſincera, bilioſa, ſubmulta prodierunt: Obiit ſecunda die a principio* *). *Hippocratis deſcriptio.*

a) *I. epid. aegr. IX.*

*) Vtor verſione, qua vſus eſt HIERON. MERCVRIALIS in *Praelect. Piſan. in Epid. Hippocratis hiſtorias.*

§. CCXXI.

GALENVS in commentario, quo hanc HIPPOCRATIS hiſtoriam *a*) breuiter explicat, malignum, et veneficum aliquid a natura in crus protruſum, vnde dolor, tumor, et puſtulae nigrae orirentur, *Galeni ad hunc locum commentatio.*

existimat, sed tanta copia, vt ea pars omne vitium recipere nequiuerit; ideoque reliquum ad caput delatum desipientiam, et mortem perpetrasse. Non valde a GALENI sententia abest Cl. MERCVRIALIS, qui itidem venenum quoddam in corpore genitum arguit, quod pedem in primis occuparit, grauissimumque dolorem, deinde gangraenosas etiam phlyctaenas in eo procreauerit, et demum venenatos, putridosque halitus ad praecordia, et cerebrum transmiserit, atque illa, quae memorauimus, terrima, exitiosaque symptomata induxerit. Vtcunque res sit, certum, ratumque habendum esse puto, febrem hoc malum *ephemerae malignae* in modum comitatam esse; incertum vero, ac dubium, an *primaria*, vel *symptomatica* exstiterit, cum non satis ex historia constet, dolorne, an febris antecesserit; quamquam verosimile sit, eodem tempore, quo pes dolere coepit, etiam febrem accessisse; nam *decubuit eadem die* Crito et horruit *anxiosus, et parum subcalefactus.* Huc fortasse pertinet historia, quam PETRVS a CASTRO refert *b*) de muliere quadam febre maligna correpta, quae *statim secunda die* coepit *conqueri de acutissimo pollicis dextri pedis dolore, qui intra horas viginti quatuor aegrotantem de medio sustulit.* Nulla quidem ibi mentio facta est de tumore, aut rubore loci affecti, sed probabile videtur, ad dolorem gangraenam accessisse, et subitae mortis caussam fuisse; nisi illud hic accidisse quis velit, quod secundo epidemiorum, sectione prima, narratur de *Temeni nepote*, cui *ex morbo forti ad digitum decubuit, qui cum non sufficeret ad suscipiendum, recurrit*, et *mortua est.* Sed Hippocraticae Critonis historiae multo similior est illa, quam memoriae prodidit CAROLVS RICHA *c*) hisce verbis: Iurisconsultum *iuxta Theatinorum domum, qua ad forum itur olitorium, febris a coena prehendit; noctem*

Mercurialis opinio.

noctem laboriosam transegit. Postridie per totum pedem ad talum vsque tumor subruber, ac tensus valde apparuit, cuius in centro atrum quid aderat, ac subnigrum. Insania correptus est. Ex aluo mere bilioſa plurima processere. Paullo post conuulsionibus a capite subortis celeri fato interiit. Ingenii erat tetrici admodum, atroque vultu, absque hominum consortio omnino alienus ceu misanthropos alter.

a) In prim. Epid. Hippocr. comment. III. N. 26.
b) De febr. malign. punct. sect. 3. aph. XLI. pag. 61.
c) Constit. epid. Taurin. alter. Hist. 6. p. 43.

§. CCXXII.

Si quis forte HIPPOCRATIS historiam, eique similem CAROLI RICHAE ad Erysipelatis quoddam genus spectare iudicet, contra ac HIPPOCRATI ipsi, GALENO, MERCVRIALI, aliisque commentatoribus visum est; omnem, vt spero, de erysipelate suspicionem auferet non absimilis obseruatio aegrotationis, quae nobilem quemdam virum immatura, et celerrima morte non pridem interemit. Morbi cum eo, de quo agimus, similitudo, et rara, malignaque eius natura, paucis cognita, nec a medicis satis notata postulat, vt aliquanto fusius a nobis exponatur. Is quinquaginta tres annos natus, temperamento sanguineo, et bono corporis habitu praeditus, mediocriter carnosus, imaginandi vi, et mentis acie acutissima pollens, iam ab aliquot annis, postquam nimirum frigida, imo gelida, vt Cl. cuiusdam Medici auctoritati pareret, sibi caput non semel adsperssisset, queri coepit de quibusdam capitis incommodis, et praesertim de quadam eius, vt dicebat, inanitate, et confusione, ob quam a lectione, et studiis literarum, quibus assueuerat, abstinere cogebatur. Hinc vehementi angebatur

Alia historia Hippocraticae similis.

Anamnesis.

metu incidendi aut in amentiam, aut in apoplexiam. Attamen diserte, nitide, et copiose, si quis alius, loquebatur, memoria admirabili valebat, et cum in conuiuiis, tum in conuentibus nobilium hominum, acumine ingenii, idearum perspicuitate, iudicii praestantia, atque eloquii facili vbertate omnes in sui admirationem trahebat. Ipse tamen asseuerabat, id a se quidem fieri, sed non sine summa animi contentione, atque indicibili totius mentis conatu. Ceterum bene appetebat, comedebat abunde, digerebat perfecte, naturaliter deiiciebat, somno tranquillo fruebatur, atque omnes vitae functiones recte obibat, sic vt saniſſimum eum dixisses.

§. CCXXIII.

Continuatur anamneſis.

Interim pulsus ei erant, prout mihi non semel visi sunt (nam me quoque pluries consuluit), paullo frequentiores, duriusculi, atque inaequales, plus minus pro maiori, vel minori mentis perturbatione. Timorem vero desipiendi, aut repente obeundi, quo assidue conflictabatur, augebat permolestus quidam tensionis sensus, quem circa vniuersum caput, intimumque cerebrum continenter percipere se dicebat. Quamobrem quotidie semel, iterumque, imo crebrius medicum aut ad se arcessebat, aut conueniebat ipsemet, vt cum eodem de sua valetudine ageret; tantoque mortis, aut stultitiae pavore premebatur, vt longius a domo sua abesse non auderet. Hac igitur tristi, et melancholica affectione occupatus nullo vnquam modo induci potuit, vt longius iter in exteras regiones capesseret, quemadmodum pluries ei a medicis, quos consulebat, propositum, inculcatumque fuit; aut cum vxore, quae aetate, et specie florebat, concumberet, aut paullo remotiora in loca, quam solebat, se se transferri sineret.

§. CCXXIV.

Tandem menſe Octobri an. 1779 proxime elapſi, poſtquam leuem dolorem rheumatico ſimilem, qui collum, et ſcapulas corripuerat, ſoliſque frictionibus cito deceſſerat, eſſet conqueſtus, quadam die, cum, nocte tranquillo ſomno tranſacta, e lecto conſueta hora, nempe decima ſexta italica, vel paullo ſerius ſurgeret, deambulans de vno in aliud cubiculum, repente ſenſit ſibi crus ſiniſtrum dolore quodam impeditum. Aderat de more Chirurgus; qui illico ſuram, nam in hac inſidere dolorem aſſerebat, diligenter ſpeculatus eſt, manibuſque etiam contrectauit, vt qua, atque vnde doleret, detegeret. At ea et colore, et mollitudine omnino naturalis apparuit; contrectata nec magis vllibi doluit, nec vllam duritiam, ne quidem interiorem, aut altius abditam tangenti exhibuit. Idcirco Chirurgus, ne rem negligere videretur, totum crus manu aqua reginae Hungariae madida perfricuit, eumque vtpote valde meticuloſum bono eſſe animo iuſſit. Dolor autem leuis ita fuit, vt impedimento non eſſet, quo minus pranſum, velvti conſueuerat, apud amicum foras prodiret. Poſt prandium, in quo non defuit ei appetitus, dolor increuit. Ipſe etiam leuiter inhorruit, et friguit. Hinc accitus Chirurgus (erat hora circiter vigeſima ſecunda italica) cum pulſum febrilem inveniſſet, videretque eum vix pedi affecto inſiſtere prae dolore poſſe, ſuaſor fuit, vt domum ſe transferendum curaret, vt in lectulo conquieſceret, medicumque, quoniam febricitabat, etiam conſuleret. Itaque nocte ingruente domum curru vectus eſt. Scalas vero nec deſcendere, nec adſcendere potuit. Neceſſe ideo fuit, vt a duobus famulis geſtaretur. Hi autem vehementer mirati ſunt corporis pondus, inſolitamque grauitatem. Aegro demum in lectulo

Initium morbi.

Dolor in crure.

Febris.

repoſito, Medicus, et Chirurgus iterum crus inſpicere, contrectare, et rimari: ſed nihil in eo vi-
Suſpicio de Eryſipelate. tii deprehendunt. Suſpicantur idcirco dolorem iſtiuſmodi prodromum eſſe eryſipelatis erupturi. Quia vero dolor acerbior videbatur, cataplaſma emolliens, quo leniretur, admouendum interim cenſent. Hora quarta noctis iuſculum tenue for-
Nox irrequieta ob dolorem auctum, et febrem. billauit coenae loco. Deinde doloris tormentum ita auctum eſt, vt cataplaſma, quod moleſte, aegre-que ferebatur, remouendum fuerit. Non tamen, eo detracto, minuebatur. Interea ſitis magna acceſſit. Vrinae rubrae, et quaſi ſanguineae prodiere. Nox ferme tota inſomnis, ac irrequieta fuit; nam hora tantummodo decima, nempe paullo ante auroram inſequentis diei, Nob. vir aliquantulum conquieſcere coepit.

§. CCXXV.

Tumor totius cruris praedurus. Poſtero mane cum febris nequaquam remitteret; dolor acerbe excruciaret; ſura tota tumeret, et praedura eſſet; exſpectatum eryſipelas non appareret; et pulſus magnus, validus, duruſque inueniretur; medicus iniecto prius enemate, quo aluus exoneraretur, mittendum e brachio ſanguinem
Sanguis miſſus. duxit. Detractae igitur decem vnciae ſanguinis, qui non ſolum firmius concreuit, ſed cruſtam etiam inflammatoriam, ſiue, vt vocant, pleuriticam exhibuit, valde craſſam, et conſpicuam. Cir-
Accitus alius Chirurgus. ca meridiem arceſſitur alius chirurgus, aetate, doctrina, atque vſu probatiſſimus, vt dolens crus intueretur, ſuumque de morbi genere iudicium ferret. Hic ruborem nullum exteriorem, qualis in eryſipelate eſſe ſolet, offendit, vti ab eo poſtea mihi narratum fuit: contra vero inuenit pedis articulum, tendinem Achillis, et muſculos ſurae enormiter tumidos, tenſos, duros; quod in eryſi-

pelate,

pelate, morbo scilicet cutis, nequaquam videre est. Hinc coniecit, aliud morbi genus illud esse, quam putaretur; et quoniam aeger ex patre affectibus podagricis obnoxio natus erat, superioribusque diebus rheumatici cuiusdam doloris ad collum, et scapulas indicia non defuerant, aliquid arthritici mali subesse iudicauit. Quam ob rem auctor fuit, vt totum crus praedurum decocto emollienti, et discutienti, in quo sapo venetus solutus esset, calide foueretur, vti continuo factum fuit. *Suspicio arthritici morbi.*

§. CCXXVI.

Hora vigesima prima eiusdem diei subfriguit toto corpore cum pulsibus depressis, et paruis. Exacerbari tunc febris credita est; verum hora vigesima tertia pulsus in eodem omnino depressionis statu pergebant, nec quidquam se se erexerant; quod sane fatiscentis naturae potius, quam nouae accessionis effectum videbatur. Dolor cruris aliquantum minutus erat, tensio non nihil mollita, color vero dubius. Erant enim, quibus subliuidus appareret, dum aliis, etiam non imperitis, non item. Si qua igitur coloris mutatio contigerat, vix haec distingui poterat, ambiguaque videbatur. Hora quarta vespertina incepit desipere, et quodammodo furere; tentabat enim e lecto exsilire, anxius, irrequietus, anhelans. Pulsus, qui nunquam inter haec se se extulerant, parui, obscuri, inaequales, crebri multo magis euaserant. Hora decima versus, nouam lucem deteriora omnia cum pulsuum tanta imbecillitate, vt pene deficerent. Tunc color cruris manifeste liuidior; respiratio rara, anxia, difficilis; mens perturbata; singultus frequens proximum exitium indicabant. Breui enimuero sensuum expers factus, asphyticus, stupidus, ad horam vsque decimam tertiam cum morte colluctatus, tandem *Signa imminentis gangraenae.* *Delirium.* *Mors.*

tandem obiit; die nimirum secunda ad finem properante, ex quo dolor inceperat; horis vero quadraginta circiter ab ingressu manifestiore febris, atque adaucto cruris dolore. Dum animam agebat, crus totum a pede ad coxendicem vsque, vt a medico peritissimo, qui accitus huic tragoediae interfuit, accepi, striis satis conspicuis in longum porrectis, nigricantibus, et liuescentibus notatum apparuit. Cuncta haec ex fide, et sermone eorum, qui Nobili viro adstiterunt, conscripsi. Non enim potui ego, alibi occupatus, eidem praesto esse.

Cruris color nigricans.

§. CCXXVII.

Praeceps adeo, atque inopinata pernicies magnae cunctis admirationi fuit; medicis vero, et chirurgis, qui in auxilium occurrerant, disceptandi caussam praebuit. Alii enim eryspelas malignum, quod cito in gangraenam abiisset, accusabant: alii arthriticum humorem acerrimum, et fortasse sua e sede ad interiora demum conuersum. Nec facile decerni poterat, quorum potior esset ratio. Nam abfuit cutis rubor roseus, qui eryspelatis proprius est, et contra non cutis, in qua eryspelas sedem habet, sed interiores, muscularesque partes doluerant, intumuerantque: et si qua gangraena insequuta est, prout nigricans cruris color vltimo visus indicabat, non ab eryspelate, cuius nullum, aut certe valde anceps indicium exstiterat, profecta esse videbatur. Arthritici porro humoris tanta interdum esse potest malignitas, vt plurima, et lethalia mala, imo subitam mortem ab eo illatam saepius viderint clinici. Neque nobismet ipsis deficiunt exempla gangraenae, et sphaceli ab eiusmodi caussa progeniti. At nunquam antea arthritide laborauerat vir illustris, neque articuli solum, sed sura praecipue in eo affecta fuit, neque adeo praeceps

An eryspelas malignum fuerit?

An metastasis arthritici humoris?

ceps gangraena arthriticos dolores, quando eos subsequitur, subsequi consueuit. Quid vero de metastasi arthritici humoris sentiendum putem? Detumuit certe non nihil crus affectum, et praeduru m; dolorque mitior euasit secunda die ingruente ad vesperam. An metastaseos id signum? Sed commune id quoque gangraenae nascentis. Si vero cruris tumor, et dolor ex eo remisit, subseditque, quod illinc arthriticae materiae pars maxima recessit, cur tamen crus nigricauit, cur gangraena foedatum?

§. CCXXVIII.

Affectio melancholica, qua iamdiu moerebat aegrotans, aliquam de atra bile in abdominis visceribus coaceruata, et demum repente mota, atque in circuitum acta suspicionem creare posset. Certum ratumque est, atram bilem interdum tantam acritatem contrahere, vt veneni erodentis, corrumpentisque naturam adepta pessimas febres, et mortiferas, quocunque feratur, sistaturque, partium siderationes facile inferat. At nulla in nob. viro coloris, aut habitus atrabilaris significatio, nulla viscerum abdominalium labes, nulla haerentis sanguinis in iis indicia, nulli flatus, nulli borborygmi, nulla digestionis, reliquarumque functionum in imo ventre deprauatio antecesserant, vt compertissimum mihi est. *An ab atra bile malum?*

§. CCXXIX.

Ergo, siue ab arthritico humore latitante, atque *anomalo*, siue ab *erysipelatode*, siue ab *atrabilari* id mali deriuandum quis velit, illud semper cum GALENO, et MERCVRIALI verosimillimum credam, humorem venenatae indolis fuisse, qui in huiusmodi viro paullatim genitus, et repente euolutus tantam perniciem attulerit. Is enim iuxta *Aetiologia.*

GALENVM erumpens, non modo febrim excitare potuiſſet, ſi haec cum incipiente morbo acceſſerit, quod tamen in noſtro aegro non ſatis conſtitit; verum etiam partim a viribus vitae in crus detruſus dolorem, tumorem, et gangraenam; partim ad cerebrum, pulmones, et praecordia circuitu vitali delatus delirium, anxietates, difficilem reſpirationem, et vitae finem praeſtitit. Quod ſi in ipſo crure malignum humorem et genitum, et euolutum cum MERCVRIALI malueris; facile intelligis, dolorem ibi primum, tumoremque cum febre, quemadmodum ſupra narratum eſt, oriri debuiſſe, et demum gangraenam ipſiuſmet cruris. Vides etiam, cur abſorpto in venas necrotico, putridoque tabo, cordis, pectoris, cerebri, neruorumque functiones labefactatae, imo cum vita ipſa cito deletae fuerint. Alterutra explicatione vti poteris, prout febris dolorem anteceſſerit, aut conſequuta ſit, ſiue, quod perinde eſt, prout primaria, aut ſecundaria febris iſthaec videatur; quamquam interdum ita febris et dolor ſynchrona eſſe poſſunt, vt diſtinctioni huic nullus ſit locus; quo caſu vt primariam eam haberi licebit.

Curatio.

§. CCXXX.

In ſummo igitur iſto vitae diſcrimine, atque adeo celerrimo, lethiferoque morbo vix ſuppetit quod tantae opponas ruinae. Infenſiſſimum vitalibus, animalibuſque facultatibus venenum, irritabilitatem, ſenſibilitatemque deſtructurum, cuncta citiſſime corrumpens poſtulare videtur vel ſui correctionem, vel euacuationem, et ſimul mitigationem ſymptomatum. Correctio vero vix ſperanda eſt, cum neque peculiaris veneni natura nobis nota ſit, neque antidotum vllum habeamus, quo illud obtundi,

Indicationes.

tundi, aut immutari queat. Praeſtabit ergo quanta poſſumus velocitate eius euacuationem moliri. GALENVS (*a*), et MERCVRIALIS (*b*) in huiuſmodi calamitate non dubitant protinus ſanguinis miſſionem proponere. Ea enim tum a dolore, qui inflammationem ciere poteſt, tum a febris magnitudine videtur expoſci. Sed magna tamen opus eſt prudentia in adminiſtrando hoc artis praeſidio, vbi venenata, et maligna ſubeſt humoris natura, quae vitae viribus adeo aduerſatur, gangraenamque, aut putrefactionem accelerat. Itaque ſi plethora, ſi aetas, ſi corporis habitus, ſi pulſuum ratio, ſi vehemens febris, ſi dolor acutus, et reliqua conſentiant, ſanguinem vtique mitti oportet, ſed protinus ab initio, et antequam putris corruptio praeualeat, et manu quidem ſuſpenſa, nec liberali. Vbi vero anceps mittendi ſanguinis indicatio eſt, tutior eius detractio per cucurbitulas reputatur. Deinde leniter, ſi qua in primis viis ſaburrae ſuſpicio eſt, eccoprotico medicamento, aut clyſtere ſatis valido excutiatur. Parti autem, quae tumet, dolet, et tenditur, multoque magis ſi caleat, et rubeat, hirudines admoueri poſſunt, vt quodammodo detumeſcat. Sin hoc non ſufficiat, crebris, altiſque inciſionibus pertundenda, vt veneno ad exeundum via paretur, atque auertatur gangraenae metus. Quod ſi, vt in *Critone*, iam nigrae veſiculae membrum foedarint, vitamque in eo emori doloris, et tumoris imminutio, coloriſque mutatio oſtenderint, neque ſcarificationes quidquam profecerint, MERCVRIALIS modo memoratus ſpem omnem in eius amputatione eſſe poſitam arbitratur. Verum, quando hoc crudele auxilii genus vitari non poteſt, maturandum ſtrenue eſt, antequam gangraenoſus humor totum corpus inficiat; nam eo infecto, ſuperuacaneum, et prorſus inutile illud eſſet.

Sanguinis miſſio.

Cucurbitulae.

Hirudines.

Scarificatio.

Amputatio membri.

§. CCXXXI.

§. CCXXXI.

Alexipharmaca quaenam conueniant?

Dum haec aguntur, curandum diligentiſſime, et citiſſime eſt, vt venenum, quodcunque fuerit, mitigetur, atque e corpore expellatur, eiuſque effecta teterrima inhibeantur. Itaque alexipharmacis, antiſepticiſque efficaciſſimis, et praecipue iis, quae ſudores prouocant, mature vti conuenit. In his eminent camphora, radix ſerpentariae virginianae, contrayeruae, polygalae, cortex peruuianus, *elixir* vitrioli, ſpiritus MINDERERI, varia forma, et ſatis valida, ſed partitis vicibus data.

Volatilia.

Nec aliena ſunt volatilia, vt ſal volatile cornu cervi, viperarum, ſuccini, ſpiritus ſalis ammoniaci, et celebris illa compoſitio, quae conſtat ex ſpiritu ſalis ammoniaci cum calce parato, et oleo ſuccini intime commixtis, quae a LVCIO nomen habet. Horum actionem, et vim plurimum intereſt copioſo, crebro, temperanti, atque antiphlogiſtico potu, ſubacido nimirum, aperienti, et ni calido, egelido certe adiuuare, et perficere. Opportuniſſimum quoque puto ſtatim ab initio, in primis ſi vires langueant, extrorſum vim morbi cantharidibus brachiis, vel femoribus impoſitis auocare. Loco autem dolenti noxia ſunt, quae reprimunt, aut diſcutiunt, ob timorem metaſtaſeos. Ab his igitur probe cauere oportet. Sufficiet ergo dolori, tenſioni, et ſpaſmo leniendis aqua tepens cum lacte remixta, ex qua ſpongia, aut lintea expreſſa imponi, et ſubinde renouari poterunt. Plura temporis breuitas, acutiſſimuſque mali curſus ne cogitari quidem permittit, nedum fieri.

Ephemera a contagio, siue a miasmate putrido.

§. CCXXXII.

Haec edere paranti opportune mihi redduntur literae, quas ad me dedit Kalendis Maii huiusce anni 1780. amicissimus, expertissimusque Medicinae clinicae Professor publicus, et Nosocomii militaris, quod Vindobonae est, Medicus ordinarius, Cl. JACOBVS REINLEINIVS. In his, postquam de febre putridissima, quae in milites atrociter saeuiit, quaeque ab eo ipso euitari non potuit, certiorem me fecit, casum mecum communicat cuiusdam puellae, quam *ephemera* maligna ex *pestifero* propemodum *miasmate*, siue ex *contagio* (§. CCIX.) repente orta, et terrificis, insolitisque symptomatibus stipata e medio sustulit. Exscribam verba ipsa, quibus funestissimam historiam expressit: *Morbus ipse*, inquit, *qui tot militibus adeo infensus fuit, tam quoad symptomata, quam quoad curam idem fuit, quem Auctores febrim putridam appellant; deiectus neoconductorum militum animus, nostalgia auxerunt periculum; plurimos rapuerunt recidiuae. De egregia infusi florum Arnicae virtute antiseptica quotidiana experientia fui conuictus, et forte huic ego quoque vitam debeo, qui nec corticem peruuianum, nec camphoram, nec acida mineralia ferre potui. Formidabilem effectum, quem contagium hoc apud quosdam milites, qui Infirmariorum, vt vocantur, munere fungebantur, praestitit, silentio hic praeterire non possum. Homines isti sani, robusti (tot Hercules credidisses) simul et semel collabebantur; facies fuit ex flauo liuida; oculi semimortui, excauati; nasus acuminatus, frons, et cutis rigida; extrema superiora, et inferiora in principio pallida, paullo post frigida, successiue liuida, nigra; pulsus debilissimus; respiratio summe anxia; vomitus continuus materiae viridis, aeruginosae,*

Febris putrida militares epidemice affligens.

Serui ab aegrotis, siue valetudinarii contagio correpti, quibus symptomatibus afficiebantur.

nosae, foetidae; lingua humida tremula, obsessa; sitis pauca; aluus tarda, enematibus sollicitata viridis, cadauer redolens; hypochondria tensa; tristitia summa. Sub finem tertiae, quartae, etiam sextae diei inter anxietates maximas, frequentia animi deliquia, et conuulsiones secuta est mors. Puella sedecim annorum, fortis, sana, chirurgi filia, percupida videndi cadauera, saepe ingrediebatur locum, in quo cadauera ad humationem asseruabantur. Haec die quadam, dum ex eo loco, vbi cadauera erant dispositа, egrederetur, illico quasi temulenta facta est, et ad suum cubiculum reuersa statim inhorruit primum, deinde incaluit cum pulsu febrili, atque incepit vomere materiam viridem, aeruginosam, porraceam; paullo post aphona euasit, et leuibus in principio, tandem enormibus toto corpore conuulsionibus correpta fuit. Quidquid ori inditum est, ipsa aut non deglutiuit, aut reuomuit; enemata ipsa statim dimisit. Sanguis e vena detractus nihil vitii ostendebat, si solito maiorem densitatem exceperis. Post viginti quatuor horas vocatus ipsam vidi cadaueris simillimam; pulsus vix erat sensibilis, tetanus maxillam inferiorem tenebat, conuulsiones continuae, deiectiones aluinae inuoluntariae mephitim cadauericam spirantes. Curaui subito applicari hirudines ad arterias temporales, et post aures, quae aliquot vncias sanguinis extraxerunt. Iniecta fuere enemata repetita ex chamomilla cum largiori dosi camphorae. Fuerunt etiam applicata eiusmodi fomenta abdomini; nuchae, et extremitatibus inferioribus vesicantia. Vt tetanus maxillae inferioris solueretur, adhibita cataplasmata emollientissima, camphora, et succino permixta, sed omnia incassum. Trigesima sexta ab inuasione hora exspirauit. Chirurgorum, et Infirmariorum plurimi, qui, dum insolitam illam debilitatem veneni iam suscepti praenunciam animaduerterunt, statim quae fuerunt auxilium. Euacuata

Historia ephemeridae a contagio.

Mors. Quomodo contagione infecti curabantur.

cuata per datum emeticum materia viſcida, interdum bilioſa, et ſumto poſtmodum per epicraſim ſpiritus MINDERERI *cum infuſo florum Arnicae, ortoque inde copioſo ſudore periculum feliciter euaſerunt.* Hactenus praeclariſſimus REINLEINIVS. Ad hanc ephemeram malignam a contagio, ſed peſtilenti, et lethifero oriundum referri poteſt primum peſtis genus, quod Maſſiliae an. 1720. immanem ſtragem edidit. Eo correpti inordinate horrebant, cum pulſu paruo, molli, raro, aut frequenti, inaequali, contracto, et depreſſo. Tanta vero erat capitis grauitas, vt aegre illud attollere poſſent, ſtupore, et turbatione affecti, veluti temulenti. Obtutus fixus, et obſcurata viſus acies terrorem, et deſperationem teſtabantur. His accedebant vox tarda, ſubinde intercisa, querula; lingua fere ſemper alba, demum ſicca, ſubrubra; facies pallida, plumbea, macilenta, cadaueris ſimilis, lipothymiae frequentiſſimae, anxietates ſummae, vires omnes deiectae, deliquia, ſopores, nauſeae, et vomitus. Qui ſic aegrotabant, ſpatio vt plurimum aliquot horarum, vniuſue noctis, vel diei, aut ad ſummum bidui, aut tridui deficiebant, viribus vitae omnino deſtituti, vel tremoribus, motibuſque conuulſiuis ſuffocati, quin extrorſum tumor vllus, aut exanthema vllum *a)* erumperet.

a) MVRATOR. *Relazion. della Peſte di Marſiglia p.* 4. Item vid. deſcript. quam dederunt Med. Monſpell. CHICOYNEAV, VERNY, et SOVLLIER.

§. CCXXXIII.

Itaque quotieſcunque putridum contagium, ſiue miaſma ſepticum hominem ingreditur, totumque neruorum ſyſtema afficit, quantocius danda opera eſt, vt ſaliualis, gaſtricuſque latex, quem lues infecit, proximiori via expurgetur; et quidquid penitius *Curatio.*

nitius corpus occupauit, cutis ſpiraculis emandetur, antiſepticiſque medicamentis corrigatur. Quare ea ipſa curatio conuenit, quae venenatis, et contagioſis morbis adhiberi ſolet. Blandis nempe emeticis, poſt ſanguinem detractum in plethora ſumma, praemiſſis ad ſudorifera, antiſeptica, et leniter ſedantia properandum eſt, qualia ſunt ſpiritus Mindereri, acetum Bezoarticum, Aqua Theriacalis, Aqua Lucii, Theriaca, Diaſcordium Fracaſtorii, Mithridatium, ſuccus mali medici aqua dilutus, decocta rad. Contrayeruae, Serpentariae Virginianae, Arnicae, florum Tiliae, Meliſſae, Sambuci, Camphora, Moſchus, et alia huius generis pro circumſtantiarum, temperamenti, aetatis, ſexus, anni temporis ratione. Neque aliena ſunt omnia, quae reuellentia dicuntur, vti cantharides, cuti de more, vt veſicam excitent, impoſitae, cucurbitulae ſcarificatae, frictiones, balnea pedum, ipſumque regimen diaphoreticum; quale REINLEINIVS vtile (§. CCXXXII.) ad venenatos halitus cito e corpore expellendos in aegrorum curatoribus expertus eſt. In illa Maſſilienſi ephemera peſtilenti (§. CCXXXII.), vt facile ex eius deſcriptione patet, nullus erat ſanguinis miſſioni locus. Et, ſi cuiquam detractus fuit, paullo poſt is moriebatur. Emetica quoque, et cathartica fruſtra tentabantur, quin imo ſaepius exitium accelerabant. Neque cardiaca, et ſudorifera, ad quae tantummodo confugere ſolebant medici prudentiores, aliquid boni praeſtabant; ni fortaſſe interdum vitam aliquantulum producerent. Indomita adeo erat, inuincibiliſque contages.

SYNOCHVS SIMPLEX *) SIVE SYNOCHA.

§. CCXXXIV.

Synochus simplex, siue *Synocha*, vt aliis vocatur, *ephemerae extensae* valde affinis est, sed aliquanto grauior, et longior. Ideo ephemeris a GALENO adnumeratur. Omnium breuissima quatuor diebus, longissima vero septem plerumque finitur. Illam *synocham legitimam*, hanc *extensam*, quemadmodum de ephemera dictum est, distinctionis caussa appellandam censent non nulli *a*). Vtraque *synochus imputris* nominatur, vt ab alio febris genere, quae *synochus putris* passim dicitur, apte distincteque seiungeretur *b*). Nullum enim humorem in illa putrescere GALENVS, veteresque, qui eum sequuti sunt, putabant. Hinc etiam *synochus simplex* ab aliis dicta est. Quanquam vero febris haec continuitatem continentem exhibeat, tres tamen differentiae pro diuersa incedendi ratione a Veteribus ei attribuuntur. Prima est *Homotona*, siue *Acmastica*, quae nempe a principio ad finem vsque eumdem fere gradum seruat: altera *Epacmastica*, siue *anabatica*, quae ab ipso ingressu paullatim increscit, donec remittat, et desinat: tertia denique *Paracmastica*, quae post primam intensiorem accessionem gradatim, et sensim decrescit vsque ad finem. At multis huiusmodi differentiae videntur imaginationis figmenta. Ego tamen non ausim eas, vt fictitias, omnino reiicere, cum experientia didicerim, magnam esse huic febri procedendi varietatem, nihilque videatur repugnare, quo minus caussa febrim excitans aliquandiu eodem in gradu persistat, donec subigatur, vel aliquantulum succedente euoluatur, motumque febrilem adaugeat, donec minuatur, atque e corpore secedat; vel sensim minuatur, vt demum stato tempore tota euanescat.

Synochus simplex et ephemerae extensae valde affinis.

Synocha legitima, et extensa.

Cur imputris vocata?

Cur simplex?

Eius differentiae tres.

An fictitiae huiusmodi differentiae?

neſcat. Saepe enim poſt vnum, vel alterum diem febris remittit, licet ſub veſperam non nihil, vt reliquae continentes, intendatur, ſed in dies leuius, donec prorſus ceſſet. Proprium autem febris huiuſce eſt a cauſſis manifeſtis oriri, continentis naturam habere, atque intra ſeptem aut ad ſummum nouem dies deſinere.

*) *Synonyma.*

Synochus impurris GALENI, *Diff. febr. l. 2. Synochus ſimplex* RIVERII, *Prax. medic. l. XVII. ſec. 1. cap. 2. Continens non purrida* LOMMII, *obſerv. medic. p. 2. Synocha ſimplex* JVNCKERI, *Tab. 58. Febris continens, ſiue Synocha* STAHLII *Caſual. min. caſ. 87. Synocha* SAVVAGESII, *Noſol. Method. claſſ. 2. gen. 2. Febris Synocha* VALCARENGHII, *De praecip. Febrib. §. XXIII. Febris acuta ſimplex* STÖRCKII, *Ann. Med. 2. menſ. Iulio 1759. Febris continua ſimplex* LIEVTAVDII, *ſynopſ. l. 1. ſect. 1. Febris continua depuratória, ſiue defoecatoria* QVAESNAEI, *Traité des fievr. contin. T. 2. p. 354. Continens inflammatoria ſimplex* SELLII, *Pyretolog. method. rudiment. p. 103. Ephemera plurium dierum* QVORVMDAM. *Febris continens, ſiue homotona, item ſeptimanaria* ALIORVM. Neque hic credas ſynonymorum finem eſſe. Tanta enim eſt hodie nomina pro lubitu innouandi licentia, atque intemperantia, vt, niſi aliquantum coërceatur, eorum numerus excreſcere demum debeat in immenſum, et plurimum memoriae et temporis requiratur ad ea ſola ſine vllo propemodum fructu perdiſcenda. Hinc nomina a Veteribus impoſita, et per plura iam ſecula a ſcriptoribus vſurpata, etſi interdum minus propria, retineo libentius. Noua enim, vt vt plerumque aptiora, ſaepe tamen barbariem ſapiunt, aut confuſionem pariunt, cauſſamque praebent priſcorum libros verſantibus, vt non intelligant, quibuſnam veterum haec recentia reſpondeant, aut morbum pro morbo decepti accipiant.

a) VALCARENG. *l. c.*

b) GALEN. *l. c.* qui omnes febres *putres* vocauit, et eſſe credidit, praeter *ephemeras*, in quibus hanc quoque Synochum ponebat, et praeter hecticas, vti ſupra, vbi de diuiſione febrium agebatur, animaduerſum eſt.

Cauſſae

Cauſſae.

§. CCXXXV.

Cauſſas eaſdem habet, quas *Ephemera* (§. CC.), ſed validius agentes, aut grauiores, incidenteſque in corpus non quidem impurum, ſed ſanguine turgens, aut cholericum, aut ad efferueſcendum aliunde procliuius. Hinc eius etiam ſymptomata fere conueniunt cum iis, quae in *ephemera* eſſe ſolent, hoc ſolum diſcrimine, quod *ephemera*, vt paullo ante tradidi, repente corripit, et breui, ſi vltra viginti quatuor horas extendatur, mitior euadit, breuique remittit, neque adeo intenſum, vt ab initio, calorem comitem habet. Synochus contra lentiori paſſu, et veluti pedetentim ingreditur, atque in dies inualeſcit ad quartam vſque, ſi ſeptima die finienda ſit, inde paullatim decreſcit, et finitur. Raro euenit, vt diu in eodem gradu conſiſtat, donec tandem ex toto decedat. Si vero quarta die ſolui debeat, haec omnia, vti patet, maturius contingunt. Quoniam vero eaedem omnino cauſſae vtrique febri, ephemerae ſcilicet, et ſynocho ſimplici communes ſunt, ſed in ſynocho validius, diutiuſque quodammodo agentes; neceſſe eſt, vt ſymptomata eadem quoque in vtraque, ſed in hac vehementiora conſequantur. Hinc factum eſt, vt a quibuſdam tam veterum, quam recentium ſynochus haec veluti ephemerae intenſior gradus, ſiue productio eius quaedam habeatur.

§. CCXXXVI.

Praeter illas ſynochi differentias, quas ſupra (§. CCXXXIV.) memorauimus, pro cauſſarum varietate, quae eam efficiunt, aliae etiam, atque aliae diſtinctiones oriuntur. Quare alia eſt *ſanguinea*, ſiue *plethorica* *), alia *cholerica*, ſiue *ardens ſine periodo* **), et ſic porro, vt de ephemera dictum eſt; *Aliae differentiae.*

itemque *primaria*, *ſymptomatica*, *ſecundaria*, *ſporadica*, *epidemica* eſſe poteſt, vti reliqui morbi, et iterum ſubdiuidi multifariam adhuc pro circumſtantiarum ratione. Ad hoc febris genus transferri ſolet *Synocha putrida* SENNERTI *a*), quamquam hoc nomine non *Synocham* ſimplicem, ſed *Synochum* vere *putrem*, de qua poſtea dicam, expreſſerit. Non tamen is ego ſum, vt omnem a ſynocha putredinem, aut malignitatem ſemper abeſſe contendam. Quidni etiam putrida, et maligna eſſe poſſit? Rectius quidem praetermitti hic poſſunt quaedam aliae ſpecies, vt *ſcorbutica* LINDENII *b*), catarrhalis HOFFMANNI, HENISCHII, et RIVERII *c*), *tragoeda* RAMAZZINII *d*) aliaeque a SAVVAGESIO *e*) commemoratae, vtpote quae aut ad alios morbos, aut ad febres remittentes, intermittenteſue pertinent, non ad Synochos, ſiue continentes.

*) *Synonyma.*

Synocha plethorica; ſynocha ſeptimo die ſoluta FRID. HOFFMANNII *De febr. ſec. 2. cap. 1. et obſerv. 4. Spec. 1.* SAVVAGESII, *Noſol. Claſſ. 2. Gen. 11. Febris ſanguinis Avicen. T. 2. p. 43. Synocha ſimplex* FRID. HOFFMANNI *De febrib. p. 110. Synocha ſine putredine* SENNERTI, *De febr. l. 1. cap. 6. et l. 2. c. 10. Febris inflatiua* HEVRNII, *Sauvag. l. c.*

**) *Synonyma.*

Synocha ardens ſpec. 2. SAVVAGESII. *Synocha biliosa* SENNERTI *De febr. l. 2. cap. 10. Synocha cauſodes* MANGETI *Biblioth. Medic. Synochus cauſonides* GILBERT. ANGLI *fol. 56. Cholerica febris* FRID. HOFFMANNI *de febr. ſec. 2. cap. 2. obſ. 5. Synocha biliosa* FERNELII, *Sennert. l. 1. cap. 6.*

a) *De febr. l. 2. cap. XI.* Plerumque eam naſci autumat SENNERTVS ab impedita tranſpiratione, et ſanguine in venis, vt veteres loquuntur, putreſcente, ſiue potius leviter inflammato. Nam ſanguis putreſcens apud ipſos idem eſt, ac phlogiſticus, vt poſtea videbimus. Eam vocat ipſe *putridarum ſimpliciſſimam* (non *ſynocharum*, vt male alii credunt; multa enim putridarum genera, vt alibi

alibi §. LVIII. monuimus, veteribus erant) *facillimamque curatu.* Duplicem putat esse, aliam *puram* et *legitimam*, aliam *notham* siue *spuriam.* Illam raro septimam diem excedere, hanc ad decimam quartam etiam extendi, coctionisque signa in ea apparere. Itaque ad *Synochos putres* omnino spectat, vel si ad Synochum simplicem velis, profecto non differet a *synocha sanguinea*, et *plethorica.*

b) Descriptionem *Synochi scorbuticae*, quam dedit SAVVAGESIVS, si consulas; facile intelliges, vel symptomaticam eam fuisse, vel cum scorbuto complicatam, vel ob contagium a parentibus scorbuticis susceptum a Synochi simplicis natura desciuisse, lethumque ob veram sanguinis corruptionem die septimo attulisse.

c) SAVVAGESIVS vnam, eamdemque febrim existimavit *Synocham catarrhalem* HOFFMANNI cum *catarrho epidemico* HENISCHII, et cum *febre epidemica* ANONYMI *apud Riverium inter obseruat. addit. obs.* X. et *cum catarrho* RIVERII *cent.* I. *obs.* X. Sed, si quid iudico, non parum huiusmodi morbi differunt inter se, et speciatim a *Synocho simplici* valde distant. Singulorum descriptiones vna simul comparentur. Descriptio febris epidemicae, quam FRID. HOFFMANNVS vocauit *Synocham compositam A.* 1729. exstat apud eumdem *l. de febrib. sect.* 2. *cap.* I. *observ. V.* Si eam rite perpenderis, deprehendes, catarrhum epidemicum fuisse cum febre plus minus graui coniunctum, aut si febrem malueris eum appellare, nequaquam, siue durationis tempus, siue typi rationem consideres, febribus *continentibus* accensendam esse. Nam saepe, quando grauior morbus erat, ad decimam quartam diem protendebatur, quod Synocho simplici minime conuenit; et praeterea vespertinis horis exacerbabatur, quod *quotidianis continuis remittentibus* proprium est: vt nihil dicam de exanthemate *miliari*, aut *petechiali*, quod in ea erumpebat non raro, exitioque erat. Nuper vir alioquin doctissimus ad continentium febrium classem retulit febrem catarrhalem HOFFMANNI, cum de ea sermo incidisset. Sed puto non eum mentem intendisse ad haec HOFFMANNI verba: Fluxiones catarrhales *ad vesperam exacerbatae caloris fecerunt incrementum, noctemque inquietam, donec decimo quarto vt plurimum die discederent penitus.* Iure igitur, eo quod febris ista vesperi ingraueseceret, noctemque molestiorem faceret, ad remittentes a nobis reuocata est. *Synochus* vero *epidemica composita cum catarrho A.* 1580. G. HENISCHII

describitur in *Comment. in* ARETAEVM *pag.* 315. Haec quidem ratione durationis ad Synocham magis accedit, nam *quarto vt plurimum die, interdum, sed raro, longius protrahebatur ad septimum, et nonum diem.* Nulla vero ibi mentio fit de continuitate continenti, probabileque est, cum catarrhalis morbus esset, vespere exacerbatum esse, et mane remissiones habuisse. Quam ob rem, si ad febres referendus sit, ad remittentes procul dubio spectabit, non ad continentes. Adde, HOFFMANNI descriptionem non parum ab illa HENISCHII discrepare: atque adeo non vnam, eamdemque morbi speciem complecti. Potius cum HENISCHII morbo conuenit *febris epidemica A.* 1580, quam *Anonymus* apud RIVERIVM describit; quamquam huius descriptio aliquantum ab illa HENISCHII deflectat, neque ita accurata, atque absoluta sit, vt de specifica morbi natura aliquid decerni queat. Id vnum certum, manifestumque est, vtrumque morbum catarrhum epidemicum fuisse plus minus malignum, atque exitiosum, *Catarrhus* demum cum aliis symptomatibus a RIVERIO *cent.* I. *obs. X. descriptus* nulla febri stipabatur, ideoque nequaquam cum superioribus confundi debet.

d) RAMAZZINIVS (*constit. epid. vrban. A.* 1591.) febres ab aestiuo calore maxime genitas descripsit. *Febres* autem *istae tertianae intermittentes erant, ac vt plurimum exquisitae, et quae die septima, ac etiam citius, post vnam, vel alteram phlebotomiam per sudorem iudicabantur* (§. XXXIV.). In sequenti paragrapho febrem *tragoedam* Abderitarum ex LVCIANO commemorat, non quod ea, quam in illa constitutione Mutinensi obseruauerat, tragoeda esset, sed vt ostenderet, immodicum aestum caussam eius fuisse, ac proinde esse etiam posse febrium tunc regnantium, *adspectu quidem terribilium, nec sine mentis emotione, sed quae postea die septima, oborto sudore, post celebratam liberali manu phlebotomiam soluerentur.* Febris igitur isthaec RAMAZZINII erat tertiana intermittens, cum diathesi inflammatoria fortasse complicata, aut cum sanguinis nimia copia, et feruore coniuncta, nequaquam ad Synochos spectans. Iure etiam omitto *Speciem septimam*, nempe *Synocham dolorum*, et *speciem octauam*, siue *Synocham cephalalgicam* D. RAZOVX, quas habet SAVVAGESIVS; nam febris, quae *comitatur dolores, et phlogoses* vulnerum, ambustionum, phlegmonum, bubonum suppurantium, tendinum punctorum, arthritidis, rheumatismi, nephralgiae, proctal-

proctalgiae a mariſcis, aliorumque morborum nunquam continens eſt, ſed exacerbans, atque inaequaliter decurrens, interdum etiam intermittens: ideoque male ſynochis accenſetur. Nec quae atrocem *cephalalgiam* ex vermibus narium caua obſidentibus conſequebatur, a D. RAZOVX ita deſcribitur, vt Synocha fuiſſe dici poſſit. In eius enim hiſtoria (*Journal de Médicin. T. IX. p.* 415.) nec de typo febris, nec de tempore, quo deſiit, quidquam prolatum eſt. Cur igitur *Synocha* ſymptomatica dicatur, cum ipſemet RAZOVX eam nomine non donauerit?

e) *Noſol. method. l. c.*

§. CCXXXVII.

Magni autem refert, vtrum ſynochus haec (§. CCXXXIV.) ſit *ſimplex*, *pura*, *et vera*, an *impura*, *anomala*, aut *complicata*. Hinc enim non ſolum ſymptomata, et procedendi ratio, verum etiam cura ipſa variantur. Simplex, et pura incipit plerumque ſine frigore, et ſine horrore. Totum corpus ſegneſcit, at quadam veluti laſſitudine fractum, aut contuſum videtur, atque aeſtuat. Succedit manifeſtior cutis mador. Caput vel dolet, vel grauius perſentitur. Facies praecipue tumet, rubet intenſius, et calet. Altior occupat ſomnus; multum arteriae temporum pulſant; reſpiratio magna ſubdifficiliſque eſt; pulſus plenus, vehemens, creber, et velox, at aequalis, molliſque, eo caſu excepto, in quo primae viae vitioſis ſuccis ſcateant, aut a vermibus infeſtentur. Tum enim, antequam eiiciantur, ſpaſmos excitant, vnde pulſus paruus, duriuſculus, atque inaequalis efficitur. Sed tunc complicatum malum eſt. Vrina a naturali non multum aliena eſſe conſueuit. Initio tamen, vt plurimum aquea, paullatim vero rubicunda, aut alba, craſſa, et turbida fit, praeſertim vbi febris attingit tertiam, aut quartam diem. Mador autem cutis, quem cito apparere diximus, ſenſim augetur adeo, vt remittente iam morbo, aut quauis eius

Pura, impura, anomala, et complicata.

Purae ſignat.

remissione in plenum sudorem prorumpat. Interdum etiam si plethoricus, iuuenisque sit aeger, vel quarta, vel septima die superuenire visa est narium haemorrhagia, quae febri finem imponit. Quandoque sola etiam insensibilis transpiratio id praestat. Nec rarum est, alui fluxu morbum quoque feliciter solui *).

*) Synochus simplex, quem anno 1759. Julio mense curauit cl. STÖRCKIVS (*Ann. Med. secund.*) sic sub *febris acutae simplicis* titulo ab eo describitur: *Symptomata* eius *erant leuia: exiguus solummodo capitis dolor, sitis mediocris, ficca tussicula, et febris admodum mitis obseruabantur. Lingua fuit plerumque alba, oculi viuaces, raro turbidi, respiratio naturali fere aequalis, cutis mollis. Alui bonae consistentiae, et coloris, fere quotidie sponte prodiit. Vrinae sub initium fuerunt rufae; finiente tertio morbi die turbidae, et quarto die posuerunt sedimentum copiosum, album, glutinosum (quale calculo laborantibus commune est). Saepissime quarto die ortus est copiosus sudor per vniuersum corpus, et desiit tunc febris, et vrinae sensim naturales factae sunt. Si vero quarto die sudor nullus obseruatus fuit, tunc vrinae continuarunt crassum ponere sedimentum, et septimo die citra omnem sensibilem euacuationem aegri a febre liberati sunt, et vires suas breui recuperarunt. Vltra septimum diem febris acuta simplex* (sic vocat Synocham) *nunquam durauit. Tres tantum hoc mense aegri fuerunt, quibus septimo die miliaria alba eruperunt. Nihilominus et his eodem die febris cessauit; coeperunt redire vires, viguit appetitus, et omnis actio, et functio, vti iis, in quibus talia non contigerunt etc.* Scire autem licet, praecedente mense Junio fuisse miliaria exanthemata morbum praecipuum, siue *stationarium;* cumque constitutio epidemica semper morbis intercurrentibus aliquid suppeditet suae indolis, aut faciat, vt succedentes morbi aliquid praecedentium in se retineant, nil mirum, si in hac Synochi specie interdum miliaria eruperint, benigna, et salutaria; quamuis communiter a Synocho abesse soleant.

§. CCXXXVIII.

Atque haec quidem Synocho simplici, et purae communiora. Sunt tamen quaedam cuique propria.

In

In *sanguinea*, quae frequentius iuuenes, viroſque plethoricos, et ſanguineis euacuationibus aſſuetos quouis anni tempore, ſed praecipue verno, aut aeſtiuo corripit, grauiora omnia eueniunt. Saepe ſanguis copioſius in caput, fauces, pectus, aut in abdominis viſcera irruens, congeſtiones quaſdam quaſi inflammatorias procreat; hinc manifeſtiora earum partium ſymptomata ſe produnt, vti turgidior, rubicundiorque facies, inſignior oculorum rubor, et lacrymatio, grauior capitis dolor, temporum pulſatio, vertigo, ſopor, interdumque mentis etiam aberratio; in faucibus deglutiendi aliqua difficultas; in ore ſitis, atque ariditas linguae. Si pulmones, et praecordia magis afficiantur, mox vrgent pectoris anguſtia, difficilior, et crebrior reſpiratio, anxietas, cordis palpitatio, virium, animique deiectio. Quod ſi ventriculi vaſa ſanguis oppleat, nauſea, vomitus, aut vomendi cupiditas, et quandoque ſingultus accedunt. Similis congeſtio ſanguinis in inteſtinorum tunicis moleſtiſſimas inflationes facit, aluum adſtrictam, aut liquidam et foetidam; in meſentericis arteriis, et venae portae ramis dolorem fixum circa primam lumborum vertebram, decubitum inſuetum, iactationem, et ſi ſpinalis medulla petatur, torporem, languoremque artuum, aut etiam conuulſiones, HOFFMANNO *a*) referente, qui tamen multa ex praeconcepta opinione ſibi confinxiſſe videtur. Vtcunque res ſit, *ſanguineam* detegunt temperamentum ſanguineum, et plethorae ſigna. *Sanguineae ſigna iuxta Hoffmannum.*

a) *De febr. ſect. 2. cap. 1.*

§. CCXXXIX.

In *Synocha cholerica*, ſiue *ardente ſine periodo* (§. CCXXXVI.), quae accenditur tum, cum cauſſae (§. CCXXXV.) in biliоſum, ſiue calidum et ſiccum *Cholericae ſignæ.*

corpus, alioquin ſanum inciderint, nullae quidem putredinis ex veterum mente in pulſu, aut vrinis notae inueniuntur, verùm calor acer in cute arida ferit manum tangentis, os amareſcit, appetitus deiicitur, ſitis, vigiliae, et capitis dolor magis excruciant. HOFFMANNVS his addit anxietates, aeſtum interuum, crebras deiectiones, viribus infenſas, et quaſi animi defectionem inferentes *). Sed praecipua, et veluti pathognomonica eius ſigna ſunt calor ardens, et ſitis ingens *a*). In his enim ardentium omnium febrium natura ſita hodie a pleriſque reputatur. Diſtinguitur vero a febre *ardente periodica*, ſiue *cum periodo*, quae ad intermittentes, aut remittentes ſpectat, quod nullas acceſſiones, et remiſſiones manifeſtas, et certas habeat. FERNELIVS, aliique in *Synocha* huiuſmodi bilem praeter modum efferueſcere, febremque mouere opinantur. At FERNELII opinionem, ſi vnquam admitti debeat, ita accipiendam rite monet SENNERTVS *b*), vt non vera bilis hepatica, aut *excrementitia* pro huiuſce febris cauſſa intelligatur, ſed tenuior, calidior, atque acrior ſanguinis pars, cui bilis etiam nomen veteres indidere; ſiue, quod eodem recidit, ſanguis ipſe, qui in cholericis praeſertim, tenuior, feruidior, acriorque eſt, ex cauſſa euidenti effervescens.

*) Suſpicor HOFFMANNVM hic falli; nam haec ſymptomata tum locum habent, cum a bilioſa in primis viis congeſta colluuie gignitur. Tunc febris bilioſa quidem eſt, non tamen continens, nec homotona, ſed periodice exacerbans, et remittens, ſic, vt ad Remittentium claſſem, vt gaſtricae omnes, omnino pertineat. At ſi vnquam in Synocha bilioſi humores copia, aut qualitate peccantes primas vias obſideant, hi non vt cauſſa, ſed vt effecta ipſius febris habendi ſunt, aut, vt complicatio quaedam gaſtricae ſaburrae, cum febre ipſa coniunguntur, ſic vt eorum excretione morbus tantummodo minuatur.

a) *Galen*

a) Galen. 2. de method. cap. 1. et 9. cap. 3. et 5., de diff. feb. 2. cap. 2. et de crif. 2. cap. 6. b) l. c.

§. CCXL.

Varietas symptomatum vnde?

Vniuerſim varietatem aliquam facit aut temperamentum, aut aetas, aut cacochymia, aut aëris conſtitutio, aut anni tempus, aut plurium cauſſarum complicatio; quorum ſi ratio habeatur, ſymptomatum, atque accidentium nouitas, aut diuerſitas Medicum nequaquam occupabit, neque in errorem adducet. Facile enim ipſe praeſpiciet, quid cuique cauſſae, aut complicationi tribui debeat, quid proprium, quid inſolitum, quid acceſſorium morbo ſit. Plurimum autem refert noſſe, quinam morbi anteceſſerint, quaenam ſanguinis diatheſis praeualeat, quaenam morborum genera potiſſimum dominentur; nam omnes tum febres ſporadicae, aut intercurrentes, atque adeo ipſa ſynochus ſimplex morborum naturam quodammodo induunt, aut aemulantur; quo fit, vt non parum earum ſymptomata diſcrepent, aut praeter propria cuique morbo, etiam aliena, atque inſolita ſe adiungant. Quapropter Synochus modo tuſſim, modo diarrhoeam, modo lateris dolorem, modo peticulas, modo exanthemata miliaria, aut alia huiuſmodi ſecum trahit, vt *catarrhalis*, aut *inflammatoriae*, aut *gaſtricae* aut *petechialis*, aut *miliaris* ſpeciem mentiatur. Sic, opinor, interpretandi ſunt ſcriptores, quando *Synochas* cum *peticulis*, aut *miliariis*, aliiſque morbis complicatas referunt. Atque hoc ſenſu *putrida*, aut *maligna* dici etiam poterit.

§. CCXLI.

Diſcrimen inter Synochum imputrem, et putrem.

Ceterum Synochus ſimplex diſtinguitur a *Synocho*, vt vocant, *putri*, quod poſterior haec diutius trahatur, aegros grauius ſymptomatum cumulo afficiat, functioneſque omnes euidentius, et pertina-

cius

cius laedat, et quod vere *inflammatoria* sit. Praeterea, vt animaduertit QVESNAEVS *a*), Synochus putris incipit cum horrore, pulsu statim contracto, profundo, inaequali, calore acri, mordaci, ardente, vrinis tenuibus, flammeis, colo*r*atis, interdum aqueis, et pallidis, diuque talibus. Item aliae febres in ipso initio magnum horrorem, aut longius frigus plerumque excitant, sed simul inter initia mitiores videntur, deinde sensim ingraueſcunt, donec summum gradum attingant. Contra Synocha imputris nullo, aut certe leuissimo horrore aggreditur, et grauibus mox adscitis symptomatibus se prodit, caloremque generatim non acrem, nisi *cholerica* fuerit, comitem habet, qui calor semper eiusdem tenoris est, et si vnquam remittit, breuissimam eiusmodi remissionem esse, ex STAHLIO docet SAVVAGESIVS. Pulsus insuper exhibet plerumque magnos, et plenos, nisi cum cacochylia primarum viarum, vt supra (§. CCXXXVII.) animadversum est, forte complicetur, aut malignitatem recondat; (nam in malignis pulsus paruus, debilis, humilis, atque inaequalis esse consueuit) et summam virium lassitudinem adiunctam plerumque habet. Malignitatem vero ipsa recondit, vel quod ex venenato principio oriatur, vel ea sit aëris constitutio, quae malignos morbos gignit, vnde eorum particeps et ipsa quodammodo fiat.

Complicata cum malignitate aut cacochylia.

a) *Des Fievr. contin. T. 2. p. 294. 295.*

Prognosis.

§. CCXLII.

Plerumque periculi expers est.

Synochus simplex plerumque salutaris est, quia Natura a superfluis humoribus, inutilibusque excrementis per sudorem, vrinas, vel alias excretiones, interdum etiam per solam auctam perspirationem se se exonerare in ea annititur.

Hinc

Hinc a QVESNAEO *a*) inter *depuratorias*, siue *defaecatorias*, vt ipse vocat, collocatur, hoc est, inter eas febres, quae, quoniam a caussa facile per corporis emissaria sine coctionis purulentae subsidio transmittenda profluunt, ideo *acriticae* ab eodem dicuntur. Si plethora tamen fuerit insignior, aut graue aliquod erratum vel ab aegro, vel a medico admittatur, multa timeri possunt, quae nimia vasorum plenitudo, aut vehemens sanguinis motus inferre solent. Speciatim periculi plus habet, quam ephemera, eoque deterior est, quo crassior, densior, aut impurior sanguis plethoram faciat, aut quo manifestior scorbutica labes, aut malignitas, aut alia praua complicatio cum ea copuletur. Neque discrimine prorsus vacat, cum *ardentis* naturam assumit; nam facile tum interiores partes inflammatione, aut gangraena corripi possunt, ni cita et apta medendi ratio succurrat, aut in *hecticam*, vt docet GALENVS *b*), degenerat. In vniuersum *impura*, et *maligna* ceteris pernicioſior est,

Inter depuratorias passim ponitur.

Quando periculum portendat.

a) *L. c. T. 2. p. 354. b) De differ. febr. l. 1. cap. VIII.*

Curatio.

§. CCXLIII.

Saepe sola Natura motu febrili se liberat. Cum enim, vt vere, sapienterque scribit SAVVAGESIVS *a*), huiusce febris *principium*, *seu occasio* sit *sanguis purus vt plurimum*, *sed vel copiosus*, *vel sero perspirabili onustus*, *vel igneis particulis foetus*, *vel leuiter inspissatus per moram*; *in primo casu eum resoluit natura in serum perspirabile motu febrili excitato*; *in altero continuam seri secretionem tantum molitur*; *in tertio*, *potu per sitim imperato ipsius feruorem exstinguit*, *et dilatatis vrinae*, *et sudoris viis* igneas *particulas exhalat*; *in quarto*, *ope caloris aucti viscositatem minuit*. Iure igitur optimo monuit VALCA-

Naturae opus plerumque committendum.

REN-

RENGHIVS *b*), *non aliter melius ſuo munere* fungi Medicum, *quam ſi naturae ipſi praecipuum curationis opus committat, eos dumtaxat obices (ſi forte alicubi adſint) tollendo, qui nempe vtiles hoſce motus alterare, vel arcere quomodocunque poſſint; in primis autem phlebotomiam, ſi de plethoricis agatur aegrotis, neceſſariam eſſe, atque tum maxime, quum ob excedentem ſanguinis copiam, et aeſtum tumefiunt plus aequo vaſa etc.*

a) Noſol. claſſ. 2. ord. 1. Gen. 2. b) De praec. febr. ſpecim. practic. §. XXIII. pag. 139.

§. CCXLIV.

Sanguinis miſſio. Vbi igitur pulſus plenus, et magnus, aut durus, rubor faciei, et dolor capitis, aut grauitas, aut ſopor, aut defectus conſuetarum euacuationum, aut ſpirandi difficultas, aut alicubi imminens, aut facta ſanguinis congeſtio (§. CCXXXVIII.) id auxilii poſtulant; vena in brachio ſecanda eſt, et pro ſymptomatum continuatione, aegri aetate, temperie et viribus ſanguinis miſſio repetenda; quod interdum, cum ingens plethora, aut diatheſis inflammatoria ſubſit, fieri debet tertia, aut quarta etiam vice. In ſynocho tamen *cholerica* ſanguinis miſſio cautius adminiſtranda eſt, ſolumque, vt aeſtus, feruorque contemperetur; quod vna vel altera venae ſectione, ſi cetera conſentiant, praeſtari ſane poterit. Non enim largiorem et repetitam ſanguinis miſſionem cholerica diatheſis aut ſuſtinet, aut requirit. Ad caput quoque leuandum ſaepe cucurbitulae cum ſcarificatione ſcapulis, et ceruici admoventur vtiliter. Pueris quoque, atque adoleſcentibus ſanguis mitti debet; ſed ſi aliqua de cauſſa in illis vena incidi nequeat, nec narium haemorrhagia opem ferat, tunc hirudines collo, et brachiis commode applicantur; idque infantibus praecipue conuenit.

Minus conuenit cholericae.

Cucurbitulae.

Hirudines.

§. CCXLV.

§. CCXLV.

Quod si arteriae capitis validius pulsent, facies, oculique tumeant; et rubore suffundantur, sanguinis missione non iuuante, aut e naribus guttae solum aliquot cruoris stillent, prouocandus eius vberior fluxus est vel scarificatione interiorum narium, vt Aegyptiorum mos erat, vel culmo straminео firmiori, vel calamo scriptorio in nares adacto: sic enim sanguine copiosius manante vasa cerebri deplentur proximius, atque eius inflammatio, aut delirium prouidentissime auertitur. Quo in casu non nulli (vt sectionem iugularium venarum, atque arteriotomen in temporibus praeteream) venas sublinguales incidendas iubent: at huiusmodi consilium ab aliis minus tutum creditur, quod aliquando viderint, sanguinem inde profluentem non facile sisti potuisse. Id autem haud timendum videtur, si sectio prudenter instituatur, et nulla sanguis dissolutione putrida colliquescat. Si tamen mala fortuna plus sanguinis, quam oportet, effluere pergat, linteolis duplicatis impositis, et digito compressis, aut gelida in ore detenta, aut styptícis admotis sisti potest.

Quando et quomodo sanguis e naribus mitti possit?

Sectio ranarum.

Qua ratione compesci sanguis e ranis profluens?

§. CCXLVI.

Post primam, aut alteram sanguinis missionem, facto quodammodo febris impetu, disquirere oportet, vtrum in primis viis cacochylia exsistat, quae purgatione egeat. Itaque, si aliquod in victu peccatum anteceſſit; si lingua albicat; si malus oris sapor, pondus ventriculi, nausea, aut vomitus saburram testentur; protinus cum primum febris deferbuerit, idoneo medicamento leniter aluus ducatur. Qua ratione id fieri debeat, quibus auxiliis, cautionibusque, docet Therapeutice generalis, atque a nobis pluries alibi iam traditum est. Sales

Cacochylia purgationem poscit.

neutri

neutri prae ceteris blandiſſime aluum ſoluunt. In *Synocho cholerica* praeferuntur ea, quae bilem leniter purgant, et ſimul ſanguinis feruorem mitigant, vti tamarindi, cremor tartari, ſerum lactis, et ſimilia ſubacida, aut facile aceſcentia. Raro emeſi opus eſt. Si quid vero purgationem vetet, aut nulla purgandi indicatio videatur, ſolis clyſteribus tunc aluus lenienda eſt.

§. CCXLVII.

Refrigerantia. Ad aeſtum porro compeſcendum, lentoremque humorum attenuandum potui detur aqua vel ſimplex cum ſucco limonii, citri, aurantii, ribeſiorum, vel emulſa ex ſeminibus frigidis, vel ex hordeo, auena, gramine decocta, addito ſingulis hauſtibus nitri puri tantillo. *Si ſucci modo memorati ad manum nequaquam ſint, aqua puriſſima acui poterit aceto, aut oxymelle. Quotieſcunque magna ſanguinis tenuitas, et raritas in ſuſpicionem venit, vti in Synocha *cholerica*, atque *ardenti* vſu venit, nec feruor remediis modo propoſitis ſatis obtemperarit, potui aliquid ſpirituum acidorum vitrioli, ſulphuris, aut nitri adiicere opus eſt.* HOFFMANNVS *Veterum doctrinam amplexus hoc in caſu aquae frigidae largiorem potum ſuadet, et meritis ſane laudibus extollit.*

Acida vegetabilia.

Acida foſſilia.

Aquae frigidae potus.

§. CCXLVIII.

Vbi ſudor proliciendus. Morbo iam remittente, ſi ſudor ſponte non prodeat, aut aegre, aut imperfecte prodeat, promovendus eſt potu tepido, aut calenti, praeſertim dilutis veronicae, cardui benedicti, ſcordii, flörum ſambuci, tiliae, papaueris rhoeados, copioſe hauriendis. Neque, ſi cui magis arrident, folia vulgo *Theae* ab his excludi debent. Ad haec victus ratio accedat tenuis, humectans, et refrigerans. *Panatella*, vt vocant, et poma cocta bis in die dari poſſunt.

sunt. Carnes, et parata ex iis iura nimium succulenta prorsus exulent. Hactenus de Synochae simplicis, et purioris curatione. Nunc aliquid de complicata et magis impura. Si cum ea catarrhus, vel pleuritis, vel diarrhoea, vel putredo, vel peticulae, vel miliaria, vel scorbutus complicentur, tum ea expedit experiri, quae hisce morbis opportune adhiberi solent, e suis quaeque locis huc transferenda. In foetida gingiuarum corruptione, metuque putridae sanguinis dissolutionis; post lenem alui ductionem, mox antiscepticis, spiritu vitrioli acido in primis potui largius instillato, vino rubro subaustero, cortice peruuiano, aceto, succo aurantiorum, spiritu MINDERERI, aliisque malo obsistendum est, ne cita morte, vt solet, hominem iugulet. Symptomatica, si qua quidem synochus vere talis est, curari debet; vti morbus primarius, vnde fit, postulare consueuit.

Victus ratio.

Synochi complicatae curatio.

Synocha maligna.

§. CCXLIX.

Supra (§. CCXXXVI. CCXL.) non dubitauimus inter differentias huiusce febris *Synocham malignam* recensere. Ne vero dubitent alii, faciet primum QVESNAEI *a*) auctoritas, qui certo statuit, febrem Synochum imputrem interdum coniungi cum *accidentibus*, symptomatibusque spasmodicis, vt putris, et *critica*, imo *maligna* videatur. Deinde cl. STÖRCKIVS omnem dubitationem tollere videtur referens, mense Octobri A. 1758, dum febres miliares, et petechiales nondum grassari destiterant, (nam superioribus mensibus frequentissimae fuerant) *plures simplici febre acuta*, id est Synocho imputri, correptos fuisse cum symptomatibus mitioribus, atque in plerisque curam temperantem suffecisse. Inter hos tamen duas foeminas vidit, in quibus

Störckii obseruationes binae.

insoliti tendinum subsultus per totum corpus illico ab initio morbi obseruabantur. Reliqua symptomata, vt ipse narrare pergit, *similima erant iis, quae proditura exanthemata praesagiebant; etenim oculi erant turbidi, facies rubra, respiratio difficilis, inaequalis cum tussicula sicca, et rara, praecordia erant anxia, caput, et lumbi vehementi dolore vexabantur. Hi tendinum subsultus aegras statim in morbi principio debilitarunt, neque vllo remedio neruino, camphorato, aut opiato, aut cortice peruuiano his iuncto, aut vesicantibus ad moderamen redigi potuere. Pulsus fuit inaequalis, debilis, multum febrilis, lingua humida, glutine fusco obducta, sitis magna, mens subinde praesens, subinde turbata. Tendinum subsultus eadem vehementia semper durantes, demebant omnem somnum, et vires, atque morbum lethalem effecerunt. Remedia alexipharmaca excitarunt sudorem debilitantem, et maiora adhuc deliria; lenia stimulantia aegras non mutarunt; sola diluentia, refrigerantia frequentes lipothymias produxere. Vnde vna ex his aegris sub initium quarti diei inter tendinum subsultus, et conuulsiones, apparentibus paucis petechiis, exspiravit. Altera quarto die copiosas petechias habuit absque vllo leuamine, et sub finem diei sexti, exsistentibus iisdem symptomatibus, orto horrore b) obiit.* En, ni fallor, luculentissimum exemplum *Synochae malignae* cum curationis, etsi infelicis, quam ei adhibuit expertissimus vir, specimine. Quid vero in tanta temporis angustia, tantoque systematis nervosi vitio sperandum supererat?

a) l. c. T. 2. p. 360. b) Ann. medic. I. mens. Octobr. 1758. p. 32. ed. Amstelod.

§. CCL.

Noua febris Sydenham.

Exemplum vero *Synochae malignae*, quod profert ex SYDENHAMIO *a)* QVESNAEVS, non videtur eamdem

eamdem vim habere probabilitatis. Suſpicatur ſiquidem huiuſce generis fuiſſe *nouam Febrim* A. 1685 a SYDENHAMIO deſcriptam; multiſque verbis oſtendere conatur, eius deſcriptionem, etſi imperfectam, nulli magis morbo conuenire, quam *Synocho imputri malignae b)*. Verum quaecumque ſit illius natura, atque origo, de qua nihil hic definiendum arbitror, nullo modo ſynochis aequiparanda eſt; quia non ſolum manifeſtas quotidie, nocturno in primis tempore, acceſſiones habebat, tertianamque duplicem, aut quotidianam continuam referebat, verum etiam non raro ex continua intermittens fiebat, et cortice peruuiano tum vincebatur. Quod vt continuis remittentibus, ſiue *Synecheis* maxime proprium eſt, ſic quam longiſſime a continentibus, ſiue *Synochis* diſſentit.

hamii perperam a Queſnaeo Synocha maligna habetur.

a) Schedul. monitor. de Nov. febr. ingreſſ. b) Des Fievr. contin. T. 2. ſect. 2. chap. V. §. III. p. 360.

§. CCLI.

Neque iis vnquam aſſentiar, qui ad Synochi imputris genus redigunt febres variolarum, morbillorum, purpurae ſcarlatinae, eryſipelatis, aliaſque huiuſce ordinis; 1) quia morbi iſtiuſmodi nequaquam febribus accenſendi ſunt, vt alibi (§. LVI.) indicauimus; 2) quia febres, quae hoſce morbos exanthematicos comitantur, aut antecedunt, continentium naturam minime obtinent, nullumque ſtatum typum habent, et ſi quem vnquam aſſumunt, is omnino remittentium, atque exacerbantium morem ſequitur. Idem dictum velim de febribus, quarum cauſſa eſt peculiaris aliqua inflammatio. Hae perperam a quibuſdam Synocharum ſpecies habentur, dum e febrium numero, qui per ſe ingens iam eſt, nec alienis morbis augeri debet, omni iure expungendae (§. LIV.) videntur. Sic in-

Cur quædam febres perperam ad Synocham referantur.

numerabilis alioquin febrium cohors intra iuſtos limites, quos natura conſtituit, coërcebitur.

SYNOCHVS PVTRIS VETERVM *).

§. CCLII.

Vt ephemerae Synochus ſimplex, ſic Synocho ſimplici *Synochus putris* quam proxime accedit, vtpote quae *ſine omni remiſſione, et intenſione periodica a principio ad finem vſque affligit a).* Totum autem diſcrimen in eo ſitum eſt, quod haec, vt ait FERNELIVS *b*), *cauſſas habet, quam ſimplex, validiores, quae nempe non modo inflammationem, verum etiam putredinem arceſſunt.* FERNELIO ſubſcribit NICOLAVS PISO *c*), quando inquit: Synochus iſta *eſt continentium altera, in qua non modo ſanguis incaluit praeter naturam, vt in Synocho priori* (id eſt ſimplici), *verum et computruit.* Quoniam vero hodie variae de *Synochi putris* natura et ſymptomatibus exſtant ſcriptorum opiniones, vt difficillimum ſit, quid hoc nomine intelligere debeamus, decernere: operae pretium erit, antequam in ea deſcribenda progrediar, excutere, quid veteres de hac febre, eiuſque cauſſa primum ſenſerint, quid deinde recentiores, vt planius iter ad veriorem eiuſdem indolem et characterem aperiatur.

*) *Synonyma.*

Synochus putris, vel putrida NIC. PISONIS *de febrib. cogn. et curand. l. 1. cap. IV. Synochus putrida* FERNELII *Pathol. l. 4. cap. V. Synocha putrida* FORTIS *de febrib. et* SENNERTI *de febr. l. 2. cap. XI. Synochus putris, ſiue febris continens* BELLINII *de febrib. opp. T. 1. p. 161. Synocha compoſita, quae a veteribus Synochus putrida appellatur.* JVNCKERI *Tab. 58. Febris ſimplex continua* PASCOLI *de Feb. P. 2. cap. 9. Febris critica ſimplex* QVESNAEI *Des fiev. T. 2. p. 289. 294. Febris continua acuta, aut ardens, aut inflammatoria* BVCHANI *Med. Domeſt. T. 2. chap. 4. p. 64. Febris continua benigna ſporadica* LE ROY *Prem. Mémoir.*

Mémoir. sur les fievr. aigües. Febris continua putrida BOERHAAVII *de cognosc. et curand. morb.* §. 730. *et* LIEVTAVDII *synopsi. l.* 1. *sect.* 1.

a) SENNERT. *de febrib. l.* 2. *cap. XI. b) Pathol. l.* 4. *cap. V. c) De febrib. cogn. et curand. l.* 1. *cap. IV.*

§. CCLIII.

Synochi, vt altius rem ipsam repetam, siue *continentes* (CXCIV.) febres sunt eae, quas nullae certae accessiones, aut sane exiguae admodum, exacerbant, aut distinguunt. Harum alias *imputres*, *putres* alias veteres vocauerunt. *Imputres*, quae ephemeras etiam tam simplices, quam extensas, dummodo puras, complectuntur, breui temporis spatio ad finem properant, et plerumque ab euidentibus caussis, aut a sanguinis copia, aestuatione, aucto motu, aut retentis recrementis, aut immissis noxiis, atque alienis, facile tamen, et breui, nisi malignitati iungantur, excernendis excitantur, nulla interim intercedente sanguinis, reliquorumque humorum putredine. *Putres* vero illae a Veteribus habebantur, quae pari quidem continuitatis passu decurrunt, sed grauiora sibi adscisciunt symptomata, longioreque tempore producuntur; neque desinunt, nisi coctione humorum, vt vocant, purulenta, vtpote quae a sanguine putrescente *a*), et praeter naturam efferuescente oriri putabantur. A putredine igitur, quam a Synochis imputribus abesse communiter opinabantur, nomen accepere. *Synochorum discrimen.*

a) SENNERT. *l. c.* PISO *l. c.* FERNEL. *l. c. et reliqui.*

§. CCLIV.

Praecipua, quibus in hanc sententiam adducerentur, argumenta erant potissimum duo, calor nempe peculiaris, quem in hac febre laborantibus manu percipiebant, et sanguis e vena missus. Ille manum admotam acri quadam punctione mordebat, *Argumenta, quibus putrescere sanguinem crediderint.*

quae iuxta ipſos non niſi a putredine eſſe poterat. Hic concreſcebat illico, et craſſa, flaua, aut albida, et firma cruſta vt plurimum obtegebatur. Talem ſanguinem putridum, corruptum, aut purulentum dicebant. Quam porro longe a vero aberrarent, quantumque fallerentur, ille nouerit, qui putredinem, corruptionemque in intima partium componentium, omniſque mixtionis reſolutione ſitam non ignorauerit. De putredinis deinde genere inter ipſos non conueniebat, imo diſceptabatur, vtrum ſanguis, vt ceteri humores, putreſcere intra vaſa poſſet. Plerique tamen in hac febre putreſcere ſanguinem poſſe affirmabant, ſed hoc *non ita accipiendum*, ac ſi *quaſi vniuerſus* putreſceret (*niſi forſan ad extremam corruptionem peruenerit, morbuſque lethalis ſit*), dum tantum partes quaſdam eius, praecipue *ichoroſas* putreſcere, probabilius videbatur *a*). Hinc non nulli huiuſmodi *putredinem in febribus ſalutaribus*, id eſt benignis, quales plerumque ſunt *Synochi*, exiſtimabant, *non* eſſe *perfectam*, *ſed imperfectam*, *et ſuppurationi ſimilem*; *perfectam* vero eſſe, vbi *febris* eſſet *pernicioſa*, ſiue lethalis *b*).

An perfecta aut imperfecta putredo ſit?

a) SENNERT. *l. c.* FERNEL. *l. c.* *b*) NIC. PISO *l. c.*

§. CCLV.

Alia argumenta.

Addebant id confirmari coctione ipſa purulenta, cuius manifeſta indicia, morbo ad iudicationem tendente, in ſputis, vriniſque apparebant: pus enim ipſum, quod et ſputa, et vrinarum hypoſtaſis referre viderentur, putredinis opus eſſe, cenſebant. Alii vero, et inter hos nuperiores non pauci verae putredinis intus obortae non fallacia indicia in hac febre, quam putridam vocari iure credunt, deprehendere ſibi viſi ſunt, quod ſudor, vrina, excrementa alui, oriſque halitus in huiuſmodi aegrotis foetere ſoleant. Nec gangraenae, et ſphaceli, quibus

quibus interiores, exterioresque corporis partes non raro in hac febre corripiuntur, obliti sunt, vt melius suam de sanguinis, humorumque putredine opinionem sartam, tectamque seruarent. Hactenus quid Synochi putris nomine intellexerint olim, intelligantque non nulli adhuc, paucis declaratum est. Dicam modo, quantum putridae febris vocem ii, qui a Veterum sententia paullatim desciuerunt, extenderint.

§. CCLVI.

Putridae febris vocabulum quomodo extensum.

Hac quippe febres omnes comprehenderunt, in quibus sanguis vera putredine corrumpitur, et colliquescit, sic, vt sanguis e vena missus omnino diffluat, nec vnquam, nisi aegre, concrescat, aut in vasis ipsis resolūtus immanes haemorrhagias, aliasque immodicas, foetidissimasque euacuationes pariat. Aliis vero putridae febres vocantur illae, quarum putridus fomes in primis tantum viis insidere, paullatimque in sanguinem inuehi visus est. Nec defuerunt, qui putridas eas dumtaxat dicendas velint, quae vulgo malignae vocantur; atque hi vtriusque generis *supra expositi* symptomata permiscent, nouumque pro arbitrio conficiunt. Hac tandem putridae febris denominatione alii ita abuntur, vt vbique putredinem sibi imaginentur, fereque omnes aliquanto grauiores febres putridarum censui adscribere non dubitent.

§. CCLVII.

Difficultates, quae opponi possunt.

Verum, vt ad Veteres redeam, non sine causa inter ipsos disceptatum est; quid putredinis verbo generatim intelligendum esset, et quando putredo, et quousque in sanguine humoribusque locum haberet? Perspiciebant enim, destructa sanguinis, aliorumque humorum mixtione, resolutisque eorum elementis cum foetore insequente, vt plerisque pla-

cet, quae vera, et perfecta est putredo, vitam superstitem nullo modo esse posse. Neque enimuero ad pristinam, perfectamque valetudinem corpus redire, verosimile est, si semel sanguis putrefactus restitui ad naturalem crasim, integritatemque nequeat, cum id putredinis naturae omnino repugnet. Quando igitur vnquam fiat, vt perfecta putredine humores corrumpantur, quemadmodum in quibusdam perniciosissimis, et pestilentibus morbis fortasse contingit, citissima, et ineuitabilis mors hominem rapit. Foetet interdum vel saniosis oris halitus, foetent sudores, alui excrementa vehementer foetent, foetent etiam vrinae, foetent vlcera cum exteriori aëre communicantia; imo animalia quaedam putidissimam *) vndique mephitim exhalant. An inde colliges, in hisce corruptum esse sanguinem per vasa clausa decurrentem, veraque putredine iam affectum?

*) In America est vulpeculae quaedam species, vulgo *Zorro* ibi appellata, quae vrinam tanti foetoris emittit, vt ea emissa Venatores teterrimo nidore arceat, aut remoretur. *Mustela Putorius* LINNAEI vere foetidos exhalat odores tum maxime, cum irritatur. Italice *Puzzola*. *Mustela Erminea* EIVSDEM omnium foetore suo infestissima est. Appositе huc faciunt, quae habet HALLERVS (*Physiol. T. 2. lib. VI. sect. 3. §. IX. et §. XIV.*) putredinem in sanguine, quamdiu mouetur in vasis, nullam esse posse ostendens. Sed praecipue legenda sunt, quae peculiari opusculo (*Considerazioni intorno alle malattie, dette volgarmente putride etc. Lucca* 1781.) complexus est Cl. FRANCISCVS VACCA BERLINGHERIVS P. Medic. Professor in Lyceo Pisano, vt ostendat, quam longe a vero distet hodierna de morbis putridis in dies inualescens sententia. Hanc enim tot modis conuellit, vt, si non destruat penitus, ad angustissimos certe fines redigere, et cöercere videatur.

§. CCLVIII.

Continuantur obiectationes.

Otio praeterea abutentis hominis esset, eos refellere, qui ex gangraenis, sphacelisque morbo super-

ſuperuenientibus, aut ex acrioris, mordicantiſque caloris ſenſu putridam, perfectamque ſanguinis corruptionem certo coniicere contendunt. Quis enim tam hoſpes in phyſiologicis eſſe queat, vt caloris, gangraenae, ſphacelique originem ſoli putredini acceptam referat? Nonne ſaepe putredo calorem, gangraenam, ſphacelumque, vt effectus conſequitur? Nouum certe non eſt, neque inauditum gangraenam, qua membra vita priuantur, immodico ſaepe frigori ſuccedere. Quid tamen frigore ad arcendam putredinem valentius? Cadauere, aut membris corruptione emortuis quid frigidius, quid algentius *)? Neque continuo putridam ſanguinis diſſolutionem licet accuſari ex crebris haemorrhagiis, aliiſque immodicis excretionibus, quamquam cum his eam copulari poſſe non inficiamur. Nam qui ex Pathologia didicerit, non vno, ſed multis modis ſanguinem e vaſis profundi, aliaſque ſecretiones, excretioneſue augeri poſſe, non eas quidem ſolius putredinis indices profitebitur. Neque demum conſtans, perpetuumque eſt malignas febres omnes cum putrida illa (§. CCLVI.) ſanguinis diſſolutione neceſſario coniungi, vt hae tantummodo putridae haberi debeant; neque contra cum eadem complicatae, proprie malignae ſemper vocandae videntur. Frequentius autem putridus fomes primis viis inſidet, ibique non modo poſſibilis, verum etiam manifeſtus febribus nomen, et cauſſam impertit; ſed in his non putreſcit ſanguis, vt in ſynochis perhibetur, nec febres eiuſmodi quidquam cum ſynochis putribus commune habent, quia remittentium naturam ſequuntur.

*) *Corpus humanum*, inquit HALLERVS (*Phyſiol. l. VI. ſect.* 3. §. IX.) *integrum, artuſque gangraenoſus, quando putreſcit, tunc quidem calere deſiit, frigufque attigit circumiecti aëris: quamdiu vero calet idem, nunquam*

vna computreſcit. Non negat tamen idem vir doctiſſimus in additamentis ad *lib. VI. pag.* 304. *lin.* 14. interdum in cadaueribus poſt morbos malignos *calorem vitali ſimilem*, *aut*, quod verius eſt, *paullo minorem diutiuſcule ſuperfuiſſe.* Sed quis hunc a putredine repetat, cum etiam in apoplecticis poſt mortem (PORTAL *apud Rozier* 1774. *mois Octobre*) obſeruatus ſit? In ipſis fermentationibus, quae tamen in corpore animali locum non habent, quando maximae ſunt, calor non vltra gradum 75. *Therm. Far.* adſcendit; qui tamen minor eſt naturali calore, cuius menſura grad. 88. circiter perhibetur. Si igitur in corpore animali fermentationes contingerent, calorem efficerent multo minorem eo, qui in febre eſſe conſueuit. Quomodo ergo calor febrilis putridae humorum fermentationis indicium eſſe queat?

§. CCLIX.

Vera et perfecta putredo in Synocho putri nulla.

Itaque cum vera, et perfecta putredo ſanguinem totum corrumpens in viuente homine raro occurrat, et ſaepe, vbi corpori inſidet, imperfecta ſit, imo alia atque alia eius ratio, vt ſupra oſtenſum eſt; multo minus in ſynocho putri videtur praeſto eſſe, licet a putredine nomen accipiat id mali genus. Symptomata enim praecipua, quae huiuſmodi febrim comitantur, nullo modo putridam ſanguinis diſſolutionem commonſtrant. Quin imo multa ex iis contrariam omnino naturam, vt videbimus paullo poſt, ſignificare videntur. Pulſus, calor, ſanguinis, quem veteres perperam vocabant corruptum et putridum, firma compages, cruſta pleuritica, qua ſaepe contegitur, tantum abſunt, vt ſanguinem, reliquoſque humores putreſcentes oſtendant, vt potius inflammatoriam quamdam in ipſis diatheſim euincant. Nec mirum eſt, Veteres talem ſanguinem corruptum et putridum eſſe credidiſſe, cum etiam in pleuritide, in angina, reliquiſque inflammationibus idem vitium agnoſcerent, et febrem inde ortam inter putridas collocare non dubitarent. Item diatheſim ſanguinis inflammatoriam in ſyno-

cho

cho putri veteres posuisse, argumento est medendi ratio, quam ipsi vnanimi consensu adhibebant. Haec potissimum sanguinis missione larga, et repetita innitebatur; quam certe nemo dixerit febri, cuius vera sanguinis putredo caussa esset, opportunam, aut innoxiam fore. Praeterea in febribus epidemicis, malignis, exanthematicisque si quando mittendi sanguinis oriretur dubitatio, solebant Galenici hac vti animaduersione, mittendum liberius, si cum vasorum plenitudine putrida natura praeualeret malignitati; contra, si malignitas putredini *a*). Qui, quaeso, quaestionem hac distinctionis lege dirimere potuissent, nisi pro putredine inflammatoriam sanguinis diathesim *) accepissent?

a) PETR. A CASTRO *de Febr. malign. puncticulari sect. VI. aph. I. et VII.*

*) BOERHAAVIVS etiam scripsit *Synochum putrem deberi caussis inflammatione simplici maioribus* §. 730. *Nota.* Monitum lectorem volo, quotiescunque inueniat adhibitam a nobis putredinis vocem in posterum, non veram, et perfectam sanguinis putredinem, aut corruptionem a nobis sumi, sed imperfectam, et quamdam potius eius ad colliquescendum procliuitatem. Sic quando febrem aliquam putridam nos vocabimus, eam, rogo, intelligat, in qua sanguis nimium diffluat, vixque cohaereat, et proinde ad putrescendum paratissimus sit.

§. CCLX.

Id ipsum, quod modo (§. CCLIX.) proposui, manifeste etiam ex GALENO *a*) eruitur, qui omne dubium sustulit, docens, putredinem humorum, quae fit in vasis, similem esse illi, quae in inflammationibus, abscessibus, et tuberculis offenditur, variamque esse, prout varia humoris natura, et maior, vel minor est concoquendi eum vis, et potentia. Quod probe cognouit Cl. SWIETENIVS *b*), animaduertens non hic Veteres eam putredinem, aut corruptionem intellexisse, quae in cadaueribus sponte

ſponte exoritur, ſed inſignem potius ſanguinis a naturali ſua craſi, aut, vt ait LVDWIGIVS *c*), mixtione diſceſſum. In eadem ferme verſatur ſententia LIEVTAVDIVS *d*), ſynocho putri talem ſanguinis tribuens deprauationem, vt quidem ad alkaleſcendum pronior fiat, non vero putreſcat; negatque in ea reliquos etiam humores vnquam putredinis notas acquirere, niſi tum, cum e corpore egreſſi calorem, motumque amittunt, aëriſque actioni ſubiiciuntur. Hinc nil magis rationi conſonum eſt, quam coctione, et quidem purulenta, vt febres inflammatoriae egent, hanc quoque febrem egere, vt quidquid ſanguinis, humorumque a naturali ſtatu deſciuit, permutetur, et puris albi, concocti quaſi naturam acquirat, aptumque reddatur ad ſecretionem, excretionemque plus minus manifeſtam ſubeundam.

a) GALENVS *De Different. Febr. lib.* I. *cap.* 6. haec habet: Putredo *autem humorum, quae fit in vaſis, ſimilis* putredini, *quae in inflammationibus fit, et abſceſſibus, et aliis phymatis, duplex quidem genere eſt: ex permixtione autem duorum generum, alia tertia varia ſpecie exſiſtit. Si quidem et mixtionis modi, quum alterum genus maioris, minoriſque ratione ſuperet, et ſuperetur, facile numerari non poſſunt. Sed ex duobus generibus alterum quidem fit ſuperante natura, alterum vero euicta. Superante quidem, vt per inflammationes, et phymatoſos tumores omnes*, pus: *in humoribus autem venarum, et arteriarum, id quod ſubſidet in vrina proportione puri reſpondens. Atque haec* putredo *non ſimpliciter* putredo *cenſetur, ſed etiam habet aliquid* concoctionis. *Manente enim adhuc coquendi facultate vaſorum, putreſcens tunc humor ad talem alterationem deducitur. Porro alia eſt* putredo concoquendi *facultate adeo debili, vt nulla mutatio ad benignum putreſcentis excrementi efficiatur. Quod fit interdum illa extreme debili: quamuis putreſcens humor ſit modice prauus. Interdum autem facultas ad extremam debilitatem minime deducitur; ſed humor extreme prauus exſiſtit. Huiuſmodi excrementi* putredo *neque conſiſtentiam, neque colorem, neque odorem habet vnum, ſed*

putreſcens

putrescens *humor semper secundum substantiam permutatur, ac variatur. Altera vero* putredo, *quam et* concoctionem *esse diximus, in vnam speciem* puris *semper mutatur, et colorem, et consistentiam, et odorem. Vbi igitur natura ipsa omnino superet,* pus optimum *gignitur, visu candidum, ac crassum, et sibi simile vndique, leue vero tangenti, ac minime foetidum. Quod si velut semiputridum fuerit, tertium genus in tali mutatione (quod paullo supra diximus) consistit. Porro diximus tale genus maxime multiplex esse. Nam quod magis, ac minus recipiat* concoctionem, *innumerabilis differentia est. Saepe enim candidum effectum, aut foetidum est, aut tenui consistentia; quandoque vero non candidum, sed liuidum apparet, atque in omnibus his magis, et minus est infinitum. Ceterum quod in abscessibus* putredinis *differentiae sunt, tot in febribus ex putredine accensis* vrinarum *formae exsistunt. Optima enim vrina, quae ex putrescente humore adepto ex continenti vase* concoctionem *efficitur, candidum, leue, aequale, ac minime foetidum sedimentum habet. Pessima vero, maxime contraria huic est. Ea vero, quae media est, quo magis alteri earum propinquet, tanto melior, aut deterior est.*

b) Comm. in aph. Boerhaav. §. 730.

c) Instit. Med. Clinic. P. 1. *cap.* 1. §. 241. *in not.*

d) Synopf. Vniv. Prax. med. l. 1. *sect.* 1. *Febr. contin. putrid. p. mihi* 13.

§. CCLXI.

Retento igitur vetere nomine (§. CCLII.) etsi non vndequaque probando, dicimus, *Synochum putrem* peculiare, et distinctum febris genus esse, continentium more vnica propemodum accessione, aut certe obscurissimis remissionibus vniuersum suum cursum, absoluens, inflammatoriae sanguinis diatheseos particeps, atque ideo grauitate symptomatum, et longiori plerumque duratione a superioribus continentibus, quas modo exposui, diuersum. A plerisque ei tribuuntur eaedem differentiae (§. CCXXXIV.), quae Synocho simplici tribui solent, quarum prima est, quando febris a principio ad finem aequaliter procedit; secunda, quando paullatim

Definitio Synochi putris.

Differentiae.

latim augetur; tertia, quando ſenſim decreſcit. At febrium reliquarum omnium tempora, quanquam vel ratione ſymptomatum, vel ratione crudi-tatis, et coctionis diſtinguantur, in Synocho tamen putri non tam ex ſymptomatum incremento, aut decremento, quam ex ſignis coctionis, quae in vrinis praeſertim apparent, aeſtimanda videntur.

§. CCLXII.

Item Synochus putris, quemadmodum ſimplex, vel eſt *ſanguinea*, vel *bilioſa* ſiue *cholerica* (§. CCXXXVI.), prout nimirum ſanguis purus, vel flaua bilis in cauſſa eſt *a*). Per flauam bilem hic RIVERIVS *b*) intelligendam aperte iudicat tenuiorem ſanguinis partem, et calidiorem, *quae flauae bilis naturam aemulatur*. A GALENO *c*) et RIVERIO *d*) *Bilioſa ardentibus*, ſiue *Cauſis* febribus adnumeratur. *Ardentium* vero omnium, vt alibi adnotauimus (§. LV.), natura in eo poſita eſt, vt *calor ardens*, et *ſitis inexſtinguibilis*, quamuis aegri bibant, *perpetuo* eas comitentur *e*). Sed huiuſmodi differentia a ſymptomatibus deſumta *accidentalis* eſt, veluti *accidentales* reputantur *colliquans*, *horrifica*, *aſſodes*, *elodes*, *ſyncopalis*, *epiala* aliaeque, ſi quae ſunt, quae in ſynochum putrem cadere vnquam credantur.

a) GALEN. 2. *de method. cap.* 1. *et* 9. *method. cap.* 3. *et* 5. *et demum de Differ. febr. l.* 2. *cap.* 2. *et* 2. *de crif. cap.* 6. *b*) *Prax. med. lib. XVII. ſect.* 2. *cap.* 1. *c*) 3. *epid. comm.* 3. *text.* 34. *d*) *l. c. e*) GALEN. *et* RIVER. *ibid.*

§. CCLXIII.

Differentiae aliae. Praeter has differentias (§. CCLXI. CCLXII.) non alienae pariter a ſynocho putri ſunt illae omnes, quas ſupra (§. CCXXXVI. CCXXXVII. *Cauſſae.* CCXXXX.) commemorauimus. Hinc cauſſae omnino eaedem, quae ſynochum *ſimplicem*, pariunt etiam

etiam *putrem*, ſed vehementiores, et ſanguinem ipſum non ſolum motu, verum etiam craſi, et qualitate peruertentes; ſic, vt non ſola cutis excretio cohibita, ſed et vaſorum obſtructio, aut ſanguinis congeſtio, aut diatheſis phlogiſtica, ſiue, vt veteribus dicebatur, putredo accuſanda ſit.

Diagnoſis.

§. CCLXIV.

Antecedunt laſſitudo ſpontanea, corporis grauitas, ſomni turbulenti, aut vigiliae, appetitus deficiens, aut imminutus, atque alia, quae hominem non recte valere ſignificant. Incipit demum febris a frigore, vel horrore, quo ab imputribus plerumque diſtinguitur, et ad duas, imo tres hebdomadas produci ſolet, iiſdem prorſus ſymptomatibus ſtipata, quibus ſynocha ſimplex ſtipatur, ſed inſignioribus, et magis conſpicuis. Calor acrior eſt, vigiliae, capitis dolor, ſitis, inquietudo, aliaque vehementiora; pulſus non modo magnus, vehemens, celer, et frequens, verum etiam inaequalis, inordinatus, et quandoque durus; vrina craſſa, et rubra, et ſine ſedimento. Et ſi *ſanguinea* fuerit, facile ſe ei adiungunt omnia, aut plura illorum, quae ſupra (§. CCXXXVIII.) ex HOFFMANNO fuſius enumerauimus. Si vero *Synochus bilioſa* ſit, calor adhuc acrius adurit, et mordet; pulſus multo velocius, et crebrius micat; vrina tenuis, acris, flammea, initio cruda, et nihil ſubſidens mingitur; ſitis ingens; lingua ſicca, arida, aſpera, nigricans; oris amaritudo, nauſea, vomitus bilioſi, deiectiones pallidae, agrypnia, interdum deſipientia, reſpiratio frequens, magna, difficilis ore aperto atque anhelante, inquietudo, anxietas, et reliqua omnia vehementius diuexant. Atque haec potiſſimum excandeſcunt acerbius in *ardente*, ſiue *Cauſo legitima*,

Hiſtoria morbi.

legitima, quam in *notha*, siue *spuria*, quarum altera ideo septimo die, altera decimo quarto finiri consueuit. Interdum, praesertim inter initia, pulsus non nihil depressior, et contractior est, in augmento quandoque celerrimus, et durus. Dolent artus, lumborumque regio. Vigilias non raro excipit delirium, aut sopor. Rarissime vero, et tunc solum, cum regimen calefaciens adhibitum perperam sit, aut malignitas se addiderit, in summa cute efflorescunt peticulae. His igitur, sed praecipue caloris acrimonia, et pulsus inaequalitate *Synochum putrem* ab *imputri* licet internoscere. Qui vero plura, aut grauiora ei attribuunt, videntur gastricas, petechiales, colliquantes, et malignas quasque vna confundere, et commiscere.

§. CCLXV.

Discrimen inter Synochum putrem, et febres malignas, et gastricas.

Hinc patet, Synochos putres gradu tantummodo, et paullo longiore durationis tempore speciatim differre ab imputribus. Et quamuis symptomatum vehementia ad malignarum febrium interdum naturam propius accedant, et pro iis saepe a plerisque habeantur; attamen, si purae fuerint, vt aduertit LIEVTAVDIVS, breuiori temporis spatio terminantur, minorem virium imbecillitatem comitem habent, et pulsum validiorem, et frequentiorem. Cerebri vero, neruorumque affectiones, quae in malignis, speciatim lentis neruosis tam continentibus, quam remittentibus perpetuo, et assidue tenent, mitiores in Synocho putri sunt, citiusque euanescunt, quotiescunque impura, maligna, aut complicata non fuerit. Praeterea in Synocho coctio, et crisis frequentissima est: contra in illis. A *Gastricis* porro, quas *putridas*, aut *biliosas* multi hodie vocant, maxime differt Synochus haec, quod in illis nausea, lingua alba, aut flaua, prauus

oris

oris ſapor, halitus foetens, ventris tumor, inflatio, borborygmi, diarrhoea, pulſus paruus, debilis, inaequalis, intermittens plerumque occurrant, et remittentium typus ſeruetur.

Prognoſis.

§. CCLXVI.

Synochus putris, quoniam ex acutarum genere eſt, periculo non vacat, inprimis cum malignitatem, aut putridae liquationis notas prae ſe ferat. Facile autem a diatheſi inflammatoria, morbo prouecto, ad diſſolutionem, et alkaleſcentiam declinat, in primis bilioſa, et inopportunis phlebotomiis curata. In vniuerſum *paracmaſtica* tutior, *acmaſtica* periculoſior, *epacmaſtica* periculoſiſſima cenſetur. Sic exquiſita, benigna, pura, rite curata felicioris exitus; contra non exquiſita, impura, complicata, maligna, ſaeuis ſymptomatibus et virium imbecillitate comitata, diſcriminis plena exſiſtit. Si die ſeptima coctionis purulentae ſigna accedant, et nullus error committatur, ſalutariter decima quarta terminabitur. Si tardius coctio aduenial, ad vigeſimam primam, aut vltra protrahitur perfecta ſolutio. Nulla vero coctione apparente, facie aegri turgidula perſeuerante, morbum fore longum, certi tum erimus. Vrina quo rubicundior, et craſſior eſt inter initia, ceteris paribus eo tutior, et breuior morbus eſſe conſueuit. Si in ea coctionis ſigna cernantur, dum in reliquis cruditas, et ſymptomatum grauitas perſeuerant, in primis, ſi vires langueant, periculum non leue imminet. Vrina alba exitium portendit. Vbi febris ad finem vergit, ſi ſymptomata recrudeſcant, breui deſitura eſt, nempe decima quarta die. Coctionem enim validius natura moliri videtur. Contra pulſus paruus, contractus, inaequalis, et ſpaſticae

affectiones male ominantur. Vigiliae item pertinaces, respirationis difficultas, anxietas, delirium, hypochondriorum tensio, et cruditatis indicia, mala. Synochus putris ardens, pura et legitima vt plurimum septem, non pura, aut notha nouem, vndecim, aut quatuordecim diebus, quod supra innui, iudicatur. Soluitur plerumque alui deiectione, sudore, vomitu, abscessu. Senibus etiam persaepe lethalis est, sicut iis, qui *Causo* corripiuntur, temperamento, aëre, annique tempore frigido exsistente.

Curatio.

§. CCLXVII.

Sang. missio, et refrigerantia.

Vt caussae huiusce febris eaedem fere sunt, quae Synochi simplicis, sic et curatio. Sanguinis copia, feruor, concitatior motus, diathesis phlogistica, inflammationis periculum iteratam sanguinis missionem exposcunt. Veteres ea ita confidebant, vt ad leue animi deliquium vsque imperarent. Rel quum curationis diluentibus, et refrigerantibus perficiebant. In sanguinis tamen missione, in diluentium, et refrigerantium vsu mediocritas quaedam observanda est, ne coctio purulenta, quae viuidiori quodam febris motu, et calore indiget, impediatur. Quod praecipue menti alte desixum haereat, vbi febris *ardentis*, *biliosae*, aut *malignae* mores induerit. Purgantia ab initio, nisi materia in primis viis turgeat, cuitentur. Si forte tamen subita ad caput metastasis accesserit, ex SYDENHAMII auctoritate, et fide, post sanguinis missiones cathartica alternis diebus, atque ad tertiam vsque vicem iteranda praecipit SWIETENIVS. His enim, reuulsione facta, feliciter aegri seruari dicuntur. Coctione etiam peracta, si materies morbida lente, aut nullo modo excernatur, vtiliter in vsum vocantur. Tunc

Cautelae.

Catharticorum vsus.

gelidae

gelidae quoque aquae potus mirifice febrim compescit, cunctantemque Naturam ad criticas excretiones sollicitat. Delirio, sopori, et dolori capitis succurrunt cucurbitulae, hirudines, clysmata, epispastica, balnea pedum, atque alia, quae reuellunt. Quod si, vt interdum euenit, ad putridam liquationem (§. CCLXVI.) morbus deflectat, non modo ad acida valentiora, sed etiam ad reliqua antiseptica properandum est. Reliqua ex generali febris curatione (§. XLII), itemque ex supra (§. CCXLIII. ad CCXLVIII.) propositis depromantur. *Reuellentia.*

§. CCLXVIII.

De Synocho putri, quae malignitatis notas habeat, aut quae impura, et complicata sit, qualis plerumque epidemica*) esse consueuit, ex professo, et distincte dicere supersedeo, cum quae de Synocho simplici prolata sunt, huc commode, apteque transferri etiam possint. IO. COYTTARVS *a*) morbum *peticularem*, siue *petechias epidemicas* ann. 1557 describens, vtramque Synochum, breuem nimirum, siue simplicem, et longiorem, siue putrem, *purpuratam*, vt ipse vocat, siue *petechialem* se in iis offendisse ratus est. Nec mirum id sane, cum huiusmodi morbi exanthematici febriles cuiusque febris characterem facile mentiantur, quando epidemice grassantur, et modo vnum, modo aliud febrium genus pro temperamentorum, aetatum, sexus, complicationum, causarum, aliarumque circumstantiarum diuersitate imitentur. Hinc si ad febrium classem redigantur, *febrem quidem continuam* in iis *esse*, *sed nulli continuarum adstrictam*, sapienter, et iure optimo iam aduertit PETRVS A CASTRO, *de febre maligna puncticulari epidemica* sui temporis verba *b*) faciens. Nec aliter profecto fieri potest, cum istiusmodi morbi, vbi primarii *Synochus tam simplex quam putris petechialis Coyttari.*

sunt, nequaquam ad febres pertineant; quod alibi monuimus.

*) NICOLAVS RIGLERVS tradit historiam *Synochi putris anabaticae malignae*, imo *pestilentis*, *epidemicae*, et *contagiosae cum dissolutione humorum*, id est vere *putridae*, cuius species sequentes ipse obseruauit: 1) *synochum putrem malignam sine exanthematibus.* 2) *synochum putrem malignam exanthematicam.* 3) *complicatam cum bubonibus, carbunculis, anthracibus, ideoque pestilentialem.* 4) *sine his, vt in plerisque.* 5) *cum spissitudine aliquali sanguinis phlogistica.* Vid. eius *constitutio epidemica ann.* 1775. 76. 78. 79. *Vratislav.* 1780.

a) *De Febre purpura epidemiali, et contagiosa c.* 19. *p.* 166. *et seqq.* *b*) *Sect.* 1. *aphor.* 3. *p.* 3. *ed. Patav.* 1653.

§. CCLXIX.

Complures aliae febrium species ad *Synochum putrem* a Nosologis reuocantur, quae tamen huiusce generis minime videntur. A LIEVTAVDIO ad hoc genus traducitur *febris depuratoria* A. 1661. 62. 63. 64. SYDENHAMII *a*). Quod etiam fecit SAVVAGESIVS. Verum eius descriptio nihil habet, quod Synocho conueniat, a qua ita discrepat, vt aequius ad remittentes puras, aut compositas, siue proportionatas remittenda sit, vtpote quae multum, etsi continua, de intermittentium natura participabat, imo saepe in eas transmutabatur *b*): quod verae, et purae *Synocho putri* nunquam contingit. Neque potiori iure ab eodem SAVVAGESIO *c*) vt species huiusce Synochi habentur *Febris continua epidemica ann.* 1665 *et* 1666; *Febris varioloſa ann.* 1667. 68 *et* 69; *Dysenterica; pleuritica*, aliaeque a SYDENHAMIO descriptae, cum leui negotio, quicunque earum historias peruoluerit, comperire possit, vel non satis patere ex imperfecta, et deficienti earum descriptione, cuiusnam generis eae fuerint, vel a Synochis alieniſſimas fuisse, vel ad alios, quam ad febres, morbos omnino propius accessisse

Species Synochi perperam habitae.

Error Sauvagesii.

ceſſiſſe. Multo minus inter Synochos locandae ſunt *ſpecies* 12, ſiue *ſoporoſa* GVARINONII, 13, ſiue *Scorbutica* SENNERTI, et 14, ſiue *putrida miliaris ann.* 1754. GERARDI apud VANDERMOND. *Diar. med.* 1756. p. 311. a SAVVAGESIO indicatae quidem, ſed non ſatis, vt par erat, expenſae. Omnes enim hae a continentium indole, et charactere quam longiſſime diſtant. *Febris* item *catarrhalis putrida* anni 1768. Moſcuae epidemice graſſata, MERTENSIO *d)* viſa eſt *Synochus putris* cum *febre intercurrente catarrhali* coniuncta. Fortaſſe, ſi vere ad *Synochum putrem Veterum* ſpectabat, *malignae* quaedam ſpecies illa fuit. Ex deſcriptione tamen, quam edidit MERTENSIVS, videtur fuiſſe *febris gaſtrica maligna* cum *catarrho* complicata, quae certe a ſynochis alieniſſima eſt, vtpote *remittentium* naturam referens, aut exanthematicis morbis febrilibus tantum adnumeranda, cum peticulas, et miliaria ſibi perpetuo aſſociaret. Verius ad *Synochum putrem*, ſed *malignam* referenda eſt *Maligna febris ſuperante humido* RAYM. IO. FORTIS, cuius hiſtoriam tradit Auctor in libro *de Febribus, et morbis mulierum e)*.

a) Synopſ. Vniuerſ. Prax. Med. Lib. I. *ſect.* I. *cap. de Feb. contin. putrid. b) Obſerv. Medic. circa morb. acut. ſect.* I. *cap.* 3. *et* 4. *et ſect. V. cap. VI.* quo vltimo loco ait: *notatu dignum eſſe autumo, quod cum febris haec* (nempe depuratoria), *quae ab illa conſtitutione pendebat, qua intermittentes caeteris praedominabantur (ſi vel diutius perſiſteret, vel aeger nimis euacuationibus fuerit exhauſtus) ſubinde in intermittentium caſtra de facili tranſiret; iſtae febres, quae ſequentes funeſtabant annos, etiamſi diutiſſime cruciarent, rariſſime tamen Intermittentes fierent, indicio ſatis manifeſto, eam febrem continuam* (depuratoriam videlicet) *atque intermittentes iſtas vel natura quadantenus conuenire, vel non multum ab inuicem abhorrere. c) Noſolog. l. c. Gen.* 3. *d) Obſerv. medic. de febrib. putrid. P. I. cap.* I. *p.* I. *et p.* 12. *e) Pag.* 281. *ed. Patav.*

FEBRIS LENTA NERVOSA, MALIGNA PASSIM DICTA *).

§. CCLXX.

Quam plerique Medicorum ad noſtra vſque tempora peculiari nomine, et ſpeciatim *Malignam* appellare ſoliti fuere, eam Angli *lentam neruoſam* nominare non ita pridem coeperunt. Eſt autem febris continentis genus, quod vltra duas, aut tres hebdomadas extenditur cum calore, vrina, et pulſu, quod ad crebritatem, ſanorum quaſi ſimilibus, corporis interim totius viribus valde languentibus. *Neruoſa* ex eo dicitur, quod neruos, et cerebrum potiſſimum afficere videatur; *lenta* vero, quod lento, et tardo fere paſſu incedat, proſerpatque, ſic, vt vnum et viginti dies plerumque praetergrediens, ad *acutos* morbos ex *decidentia* ſaepiſſime pertineat. *Malignam* autem, et *mali moris* antehac Clinici paſſim appellarunt, quod ſub bona caloris, pulſus, atque vrinae ſpecie aegrum quaſi clanculum decipit, et vix ſuſpicantem terrificis mox aduocatis, exſertiſque ſymptomatibus, ſopore videlicet, delirio, cardialgia, exanthematibus, neruorum diſtentionibus, aliiſque breui enecat, dum ab initio leuis, placida, benigna, et periculi expers credebatur.

*) *Synonyma.*

Febris peſtilens FRACASTORII, *De morb. contagioſis lib. 2. cap. 4. Febris maligna cacoethes, ſeu mali moris* BELLINII, *de febrib. p. 165. ed. Venet. Febris lenta, ſine hectica neruoſa ann. 1661.* WILLISII, *de Morb. conuulſiv. cap. VIII. Febris maligna* FIZESII, *Traité des Fievr. chap. VI. Febris lenta neruoſa* HVXHAMII, *de febr. cap. VI. et* ANGLORVM. *Febris maligna lenta* VOGELII *de cogn. et curand. morb. §. 56. Febris maligna in ſpecie Auctorum* VOLPRECHTI, *Diſſ. de febr. neruoſ. eiuſque gemina indole Gotting. 1767. ſub praeſid.* VOGELII. *Febris maligna, vt vocatur Pariſiis,* LORRY, *de Melancholi. T. I. p. 117. Febris peſſimi*

simi moris ann. 1711. MORGAGNII, *De sed. et caus. morb. Epist. VII. artic.* 16. *Febris maligna* Cl. QVARINI, *Method. medend. febr. cap. V. Febris lenta, aut nervosa* BVCHANII, *Medec. Domestiq. T.* 2. *chap.* 8. *Febris putrida nervosa ann.* 1770. MERTENSII, *observ. med. P.* 1. *cap.* 3. *Febris lenta acuta, sive nervosa* DE MEZA *Compend. Med. Pract. Fasc. I. cap. X. Typhus* a) SAVVAGES. *Nosol. cl.* 2. *Gen.* 4. *spec.* 2.

a) Nullam rationem SAVVAGESIO, cur hanc febrem pro *Typho primae et secundae speciei*, quarum meminit Auctor *de Intern. affect.* apud HIPPOCRATEM, fuisse putat VOGELIVS loco citato. *Si enim*, inquit, *a praemagna imbecillitate recesseris, quam* HIPPOCRATES *adscribit suis Typhis, nihil commune habent cum nostra febre, seque in primis ingenti ardore, et breuiori duratione ab hac distinguunt.* Nec fallitur. Nam prima species maxime discrepat a febre nervosa, quia statim *febres fortes tenent, et calor acutus etc.* et quia *pauci effugiunt, et corripit tempore aestatis, cum canis sidus oritur, bile per corpus commota*, et quia morbus brevis esse solet, nempe septem vel quatuordecim vt plurimum dierum. Et si vnquam longius trahatur, diem vigesimam quartam non excedit. Neque esse potest secunda species, quia *febris tertiana, aut quartana in principio* oboritur, et *dolor fortis* in capite consistit, *aliquando etiam in toto corpore intermittens; et vomit salivam, et frequenter eructat, et oculorum regiones dolet, et facies albescit, et tumor in pedes descendit*, et demum, quia *quandoque totum corpus intumescit.*

§. CCLXXI.

Vt vero clarius huiusce febris innotescat facies, tradam modo eorum omnium, quae ipsam antecedunt, comitantur, et subsequuntur, historiam. Qui in eam pronus est, incipit primum non belle se habere, taedio affici, nulla amplius re delectari, et quodammodo quid velit, aut optet, prorsus nescire. Interea leues quasdam caloris, et frigoris subitas, incertasque patitur vicissitudines, quae in primis caput, et faciem afficiunt; de lassitudine, qualem percipiunt labore fessi, conqueritur, sed adhuc obambulat, licet oscitans, et torpore insolito *Historia morbi.*

lito languens. Haec autem accidunt, praesertim vbi sponte morbus exoritur, nec aliunde per contagium infunditur. Tunc enim velocius est mali initium, et progressio. Post haec mox accedit quando maior, quando minor in capite ponderis sensus, interdum dolor, vertigo, temporum constrictio, animi desponsio, praecordiorumque oppressio insolita. Paullo post se his iungunt nausea, et ciborum omnium fastidium sine vlla sitis molestia, aut potus cupiditate, et saepe cum crebro ad vomendum incitamento, quo plerumque nihil eicitur. aut si aliquid, id parum phlegmatis insipidi tantum est. Quandoque haec omnia per aliquot horas cessant, euanescuntque, breui tamen grauius insurrectura, praesertim adue sperascente die: nempe caput tum magis, magisque grauatur, incalescitque; mens obnubilatur, pulsus crebriores, celeriores que fiunt, sed languidi semper, atque inordinati, cum quibus coniungi solet quaedam spirandi difficultas, ac pectoris angustia, atque oppressio; magnus saepe stupor, aut obscurus dolor, et quidam frigoris sensus posteriorem capitis partem tenet, aut dolor grauans sinciput etiam circa futuram coronalem occupat. Vtraque enim doloris species propria fere est cuiusque febris lentae neruosae, et plerumque aliquem desipientiae gradum comitem habet. Calor autem vt plurimum mitis est, neque facile excandescit. Attamen interdum volae manuum feruent, aut caput vaporibus calidis, facies que rubore crebro suffunditur, dum interea pedes, atque extrema frigescunt.

§. CCLXXII.

Stadii primi finis. Quinque aut sex dies in hac valetudinis ambiguitate versatur homo, pallidus, torpidus, membris quasi fractus, non omnino aegrotans, nec tamen sanus,

ſanus, nec quietus, ſed plerumque inſomnis, et vigil; et quamquam adſtantibus ſomno ipſe indulgere videatur, idem tamen conſtantiſſime aſſeuerat, ſe nullo modo dormire poſſe. Neminem autem ex his arbitror falſum dicere. Nam aeger ſaepe ita quieſcit, et clauſis oculis dormientis imaginem exhibet, vt negari nequeat, eum reapſe dormire. Ipſe vero ſibi non dormire videtur, quia eius menti tot ſpectra, et tot idearum ſimulacra perpetuo obverſantur inter dormiendum, vt vigilare omnino ſe credat. Pulſus toto hoc morbi ſtatio celer eſt, debilis, ac inaequalis, quandoque fluctuans, quandoque tardus, rarus, itemque intermittens; ſubinde concitatior micat, modo ſedatur, atque ordinatus, aequaliſque euadit, et ſic alternatim variatur. Nec diuerſa vultus ipſius ratio eſt, nam crebro hic et repente calore quodam, qui vaporis inſtar adſcendit, rubeſcit; et paullo poſt pallet, et albicat. Quo fit, vt ſaepe pro affectione hypochondriaca, aut hyſterica morbus a minus peritis accipiatur.

§. CCLXXIII.

Hinc malum in dies augeſcit, iam loqui aut moueri piget, et tandem lecto aeger defigitur, nec ſatis poteſt exponere, quo modo ſe habeat. Nihil ipſe poſtulat, ne potum quidem, atque interrogatus aliquid, vix quaerenti nouit apte, et diſtincte reſpondere. Iam tendines ſubſiliunt; manus, et lingua tremunt. Haec muco albido obducta non valde inareſcit; niſi in medio, vbi fuſca apparet, et ſicca. Tandem aliena ſubinde obloquitur, et leuiter inſanit, ſine tamen furore. Tenuem, vt plurimum, vrinam emittit, modo limpidam, modo vappae inſtar, aut cereuiſiae turbidae ſimilem, et lenteſcentem, non raro etiam ſubnigram, ſubinde craſſiorem, farina quaſi inſperſa, et ſubſidente, aut *Secundum ſtadium.*

sine lege sursum, deorsumque vagante. Inter haec sanguis e vena missus aut naturalis inuenitur, aut tenui pellicula tectus, sed crassamento laxo et nigro, parum cohaerenti. Interdum etiam ad liquescendum pronior est, et sero turbido copioso scatet.

§. CCLXXIV.

Tertium stadium. Circa septimam, aut octauam, ex quo aeger lectulo se tradidit, omnia ingraueſcunt. Genae magis rubent, et manuum volae magis calent. Grauitas, et dolor capitis acerbius vexant; accedunt vertigines, tinnitus, et susurrus aurium, quo fere perpetuo obstrepente mens ipsa moleste afficitur, et non leuiter perturbatur; non ita tamen, vt delirium vehemens sequatur, cum plerumque eius loco sit quaedam idearum, cogitationum, actionumque inde pendentium peruersio, et confusio. Hinc fere aeger secum obmurmurat, et verba quasi mutilata, et difficilia intellectu profert. Id praecipue euenit in somno, aut quando e somno expergiscitur; tunc enim mens magis laborat, et obfuscata apparet, sed breui post ad se redire consueuit, non tamen diu sibi constat. Pectoris oppressio, virium languor et defectio ita increscunt, vt animi deliquia et syncope, praesertim cum e lectulo aeger surgere nitatur, eum corripiant; nam tunc sudore frigido frons, et manuum dorsum madent, atque animus deficit. Lingua, quae antea humida, albidaque cernebatur, iam arescit, rubet, et finditur, et quasi mali punici corticem colore imitatur, medio in primis spatio, dum vtroque ex latere muco flauo sordescit. Vbi ea ex ore producitur, tremula, atque instabilis est; interim licet ipsa cum labiis siccescat, vix tamen vlla sitis vrget. Calorem vero in ea acrem, et permolestum queritur saepe aeger.

§. CCLXXV.

Nona, decima, aut duodecima die ſudores breves, ac inaequales, aut etiam profuſiores, et repentini emanant, ſed viſcidi, frigidi, et glutinoſi, in primis extrema corporis occupantes. Saepe alvi deiectiones crudae, liquidae, aquoſae ſuperueniunt. Vniuerſim ſudor, aluique fluxus colliquantes ſunt, viribuſque infenſi. Non raro tamen mador quidam tepens, totam cutim perfundens vtilis eſſe conſueuit, vti et lenis diarrhoea, quae delirium, et comatoſos affectus diſcutit plerumque. Circa hoc morbi ſtadium Natura praecipue deficit, extrema frigent, vngues pallent, et liuent, pulſus parui, et celeres ita fiunt, vt vix percipi, et numerari poſſint, etſi antea lenti, rari, tardi, aut intermittentes fuerint; aut ita fluctuant, vacillant, interciduntque, vt mortem in propinquo eſſe diceres. Aegri ſtupidi iacent, et ferme ſenſibus orbantur. Strepitu, et lucis appulſu, quo ab initio plurimum percellebantur, vix tunc emouentur. Delirium paullatim excipitur profundo ſopore, et brevi perpetuo ſomno. Excrementa alui, vrina, et lacrymae ſponte, atque inſcio, nolenteque aegro profluunt, proximamque vitae diſſolutionem portendunt. Tremores vero, tendinumque ſubſultus ſpaſmum ſaepe vniuerſi corporis imminentem ſignificant, quo vitae filum cito abrumpatur. Alterutro enim ex his modis, poſtquam quatuordecim, octodecim, aut viginti dies, imo multo etiam plures languerint aegri, tandem pereunt. *Quartum ſtadium.*

§. CCLXXVI.

Interdum ſtragula palpant prius, inanes imagines conſectantur, obmuteſcunt voce faucibus haerente, faciem cadaueris exprimunt, et frigida ſuſpiria emittunt de pectore, plerumque mortis proximae *Quaedam ſymptomata non perpetua.*

mae indicio. Non nulli etsi antea animo forti, et magno essent, subito terrore, et desperatione corripiuntur, nec somno indulgere volunt, cum mortem, tum mentis perturbationem, quam dormientes subire credunt, aut experiuntur, euitaturi. Quandoque pustulae, et maculae diuersi generis in summa cute apparent; inter quas interdum peticulae fuscae, liuidae, atrae *), et vibices corpus defoedant. Non raro parotides, aut abscessus aurium, aliarumque partium superueniunt. Nec desunt aphthae albae, rubrae, depascentes, nigrae, gangraenosae labiis, linguae, faucibus infestae, praesertim vbi febris cum dissolutione putrida humorum copulatur, et pestilentialis, et contagiosa est. Interdum ad os sacrum, et nates vis morbi conuertitur, atque ibi post breuem ruborem, dolorem, tumoremque cutis, suppositaeque partes gangraena sicca, aut humida, plus minus alta, nigrescunt, et vita priuantur, et foetent. Plerumque, nisi morbus maligniſſimus sit, in longum trahitur, et ad quadraginta vsque dies, imo etiam vltra interdum aegros languere cogit, quorum non nullis, etiam post febrem deuictam, mens per aliquod tempus aberrat, donec paullatim resipiscat.

*) Cl. PRINGLIVS (*Malatt. delle Armat. P. 3. cap. 6. pag.* 220. 221.) non diffitetur et ipse magnam esse affinitatem inter febrem *malignam in specie dictam*, et lentam nerosam. Nam vtrique, inquit, communia sunt pulsus languidus, vrina pallida, sudores non critici, obfuscatio mentis, virium lapsus, spirituum oppressio, artuum tremor, siue neruorum. Discriminantur vero, vt ipse putat, quod nervosa febris minime a caussa putrida gignatur, et quod miliaria exanthemata, non peticulas ad cutim propellat. Verum alterutrum falsum est. Multiplex enim febris nervosae origo est; atque interdum, vt *contagiosa, nosocomialis; nautica, carceraria*, de quibus postea, ex miasmate putrido nascitur. Miliaria vero non perpetuo in ea erumpunt, (alias miliaris morbus esset) sed interdum tantum; nec

nec ab ea quandoque peticulae verae abſunt, vt ſaepe vidimus.

§. CCLXXVII.

Continuitate continenti *Synocho putri* affinis eſt, ſed ab ea diſcernitur per ſigna, quae alibi iam (§. CCLXVII.) recenſuimus. A morbo petechiali, ſiue a peticulis, ſiue, vt alii vocant, a febre *putrida maligna petechiali* diſcrepat, quod haec poſterior vehementiori aggrediatur impetu, quod horrores et calores cum maiores, tum longiores excitet; quod pulſus, praeſertim inter initia, duriores, et magis tenſos exhibeat; quod capitis dolorem, vertigines, nauſeas, et vomitus, etiam in ipſo morbi ingreſſu afferat intenſiores; quod tempora, imo orbitas ipſas dolor veluti fixus affligat; quod oculi graues, flaui, aut rubri appareant; quod arteriae temporum vehementer vibrent cum frequenti aurium tinnitu; quod ſingulis diebus, vt remittentes, exacerbationes habeat; quod carotides in augmento validius pulſent, licet quae in carpo ſunt arteriae tardius, et placidius moueantur; quod animi deliquia, ſpirituumque deiectio citius, magiſque, etſi nulla immodica praeceſſerit euacuatio, et pulſus ſatis validus videatur, infeſtent; et demum quod reſpiratio vt plurimum laboriosior, inaequaliorque ſit, et ſaepe dolorem, ſuſpiria, aut ſingultum comitem habeat. Praeterea a peticulis, reliquiſque exanthematicis morbis *febris lenta neruoſa* differt, quod plerumque peticulae, et exanthemata miliaria, quando in ea oriuntur, regimini calefacienti debeantur, et quando etiam ſponte prodeunt, in ſtatu potiſſimum morbi, aut circa eius finem erumpere ſoleant; nec perpetuo, nec quouis in aegrotante ſe exferant; dum contra in febre petechiali vera, et primaria, et reliquis exanthematicis morbis peticulae, miliaria, variolae, morbilli, etc.

ſi re-

si regulares sint, ante morbi statum, et protinus primis diebus prodeant, et nunquam, cum primarium morbum efficiunt, absint. Facile etiam a *gastricis malignis* febribus distinguitur, quod illae manifestioribus accessionibus, remissionibusque varientur, nec tantam continuitatis aequalitatem ostendant, et manifestiora cacochyliae in primis viis indicia exhibeant.

§. CCLXXVIII.

Quinam magis eidem obnoxii.

Aggreditur haec febris homines vt plurimum laxioris texturae, neruis debilibus, sanguine tenuiori, aquosiorique praeditos; quos vel nimiae euacuationes exhauserunt, vel tristitia, aut immodicae vigiliae, et studia assidua, laboresque infirmarunt, vel alimenta cruda ac insalubria, vel potus aquosi, impuri, corruptiue repleuerunt, aut diu aër crassus, vitiatusque circumcinxit, vel ptyalismus, aut alui solutio, aut nimia venus eneruauit.

Sporadica vnde?

Quando ex huiusmodi causis oritur et sparsim aliquos tantum singulares homines inficit, *spontanea*, et *sporadica* est; videturque non tantum a nimia solidarum partium laxitate cum tenuiori sanguinis crasi coniuncta, verum etiam a lymphatico latice, copia, et lentore peccante, cerebrum speciatim, et neruos obruente, et tandem, quia resolui nequit, putrescente pendere. Idque vel ab ipsa comprobatur medendi ratione, quae cardiacis mitibus, attenuantibus, antisepticis, leniterque stimulantibus felicissime solet perfici. His enim vis cordis, et neruorum excitatur, lentor lymphae resoluitur, et quidquid corruptum est, euacuatur non modo per communes excretiones, verum etiam per eas, quas natura, atque ars nouit sibi aperire. Hinc plerumque omnibus simul euacuationibus, nimirum sudore, ptyalismo, vrina, diarrhoea, exanthematibus,

Quot modis iudicetur.

matibus, abſceſſibus, imo interdum vlceribus arte excitatis, ipſisque gangraenis opus eſt, vt noxius, deprauatuſque humor e corpore eiiciatur. Raro enim coctione et criſi huiuſmodi febris ad finem perducitur.

§. CCLXXIX.

Quando vero communiores cauſſae plures eodem tempore afficiunt, popularemque morbum reddunt, *epidemica* tunc eſt, et pernicioſior. Quo in caſu, ni ſani ſibi caueant, facile ſuſcepto maligno, et neruis infenſiſſimo miaſmate in eandem incidunt. Tunc etiam *contagioſa* dicitur, quia per ſubtiliſſimos halitus, putridoſque vapores ab aegris manantes in adſidentes, inſeruienteſque diffunditur. Interdum ex ſola mora in aëre putridis, morbidiſque effluuiis ſcatente, vt in noſocomiis ſaepe contingit, ipſa contrahitur. Tunc patet, eam eſſe ex *putrido contagio*, dicique poſſe *noſocomialem*, quamquam non omnis *noſocomialis* *) ad hoc genus ſpectet. Notum etiam eſt, aërem non renouatum, in quo complures, frequenteſque vel ſaniſſimi homines diu clauſi detinentur, vti in nauibus, et carceribus ſaepe fit, humanis halitibus atque effluuiis ita corrumpi, vt veneni inſtar immiſſa animantia cito enecet, deſtructa nimirum neruorum, et cordis potentia. Febris ex huiuſmodi cauſſa orta, *lenta neruoſa* eſſe ſolet, et *nautica*, aut *carceraria* nuncupatur, et ſaepe adeo peſtifera eſt, vt contagione in vicinos, et ceteroquin faniſſimos ſola infectorum praeſentia perniciſſime propagetur, vt peſtis. In hiſce autem ſpeciebus, nempe in *epidemica*, in *contagioſa*, in *noſocomiali*, *nautica*, et *carceraria* vti cauſſa actiuior, et pernicioſior eſt, ſic celerior earum inceſſus, et quandoque minime lentus conſpicitur. Nec infrequens eſt, intra paucos dies tunc aegros interimi, contra ac in hoc morbo

Epidemica quando eſt?

Contagioſa interdum.

Quando ex putrido contagio? Noſocomialis quaenam ſit?

Nautica, et carceraria.

fieri

fieri ſoleat, cum alias finem ſuum ſiue bonum, ſiue malum tardiſſime aſſequatur.

*) *Noſocomialis* febris, quae ex contagione in noſocomiis aegrorum putridis nidoribus repletis oboritur, plerumque *petechialis* eſt, et *remittens*, non *continens*, et *lenta neruoſa;* prout dicetur, vbi de periculis ſpeciatim, vt morbo exanthematico febrili, agemus. Nobiſcum prope ſentit Cl. MONROVS (*Des Malad. des Hôpitaux militair.*), cui Febris maligna *Noſocomialis* dicta, et *petechialis* videntur vnus, idemque morbus eſſe.

§. CCLXXX.

Aliae differentiae. Non ſolum autem cauſſarum praecedentium diuerſitas, earumque mitior, aut prauior natura, verum etiam ſymptomatum minor, vel maior pernicies huiuſmodi (§. CCLXXVIII. CCLXXIX.) differentias facit. Variat etiam non parum eiuſdem febris adſpectus pro temperamenti, habitus corporis, aetatis, ſexus, anni temporum, conſtitutionis, et morbi *ſtationarii*, ſiue dominantis ratione; ad quae ſingula ſi animus aduertatur, facile varietates, quas ſubit morbus, ſic, vt falſo natura diuerſus haberi poſſit, quiſque non imperitus intelliget. Diſcrimen etiam aliquod affert inter initia praeſertim complicatio cauſſarum, aut morborum, prout nimirum febris cum diatheſi ſanguinis inflammatoria, rheumatica, catarrhali, aut cum eiuſdem ab liqueſcendum, putreſcenduinque procliuitate, aut cum putrida, et verminoſa primarum viarum cacochylia coniungitur *). Hinc enim ſymptomata alia, atque alia proficiſcuntur, quae minus peritis errandi occaſionem ſuppeditant. Hinc ſaepe profluunt tam varia, et diſcordia de eadem febre medicorum iudicia.

*) Cl. SIMSIVS (*Malad. epidem. p.* 167.) nuper pluribus argumentis anniſus eſt oſtendere, febres *lentas* HVXHAMII, et Anglorum eſſe de genere *Gaſtricarum*, ſiue earum febrium, quae fomitem in imo ventre habent. Sed eius argumen-

argumenta vix, ac ne vix quidem aliquid euincunt. Credo autem, virum alioquin perspicaciſſimum in huiuſmodi errorem incidiſſe, quod in regione, quam incolit, vbi febres gaſtricae frequentiſſimae ſunt, ſaepe cacochylia gaſtrica non modo occurrat, quod humidis, paluſtribuſque locis commune eſt, verum etiam cum febribus lentis nervoſis complicetur, ideoque facile adductus ſit ad credendum, has quoque febres a gaſtrica cacochylia progenitas, id eſt, *gaſtricas* omnino eſſe.

Prognoſis.

§. CCLXXXI.

Maligna, et ſubdola febris natura ſemper dubium euentum reddit. In *ſporadica* et *ſpontanea*, ſi pura fuerit, vitae periculum quidem, ſed minus eſſe ſolet; maius in *epidemica*, et *contagioſa*; et maximum in *noſocomiali*, *nautica*, *aut carceraria*; itemque in illa, quae cum putrida ſanguinis diſſolutione complicatur, aut a venenato miaſmate originem habet. Ceterum ſi circa nonum, decimum, vel duodecimum a decubitu diem lingua humida fiat; ſi ſputa vberiora fluant; ſi aluus leuiter laxetur, aut cutis leni madore humectetur, aut alterutra auris abſceſſum patiatur, aut puſtulae latae labia, aut nares occupent, ſperari licet aliquam bonam criſim. Contra ſi aluus immodice fluat, ſi ſudoribus corpus veluti colliquetur, vnde crebrae animi defectiones impendeant; ſi lingua tremit, ſi extrema frigent, ſi pulſus fluctuat, aut vermicularis eſt, ſi tendines ſubſiliunt, ſi viſus, aut auditus deperditur, ſi excrementa inuito, aut inſcio aegro exeunt, iure timeri poteſt exitium *a*). Eorum vero, qui ſubita deſperatione capiuntur, et nullis eriguntur promiſſis, ſeruatum vidi fere neminem, aut certe paucisſimos.

Signa ſanitatis.

Signa mala.

a) BVCHAN *Médec. Domeſt. T. 2. chapit.* 8.

§. CCLXXXII.

Alia signa infausta, et fausta. Speciatim sudores breues, frigidi, aut circa collum, aut caput tantum manantes, mali: pestiferum etiam est inter sudores repente inhorrescere. Dejectiones alui moderatae non inutiles; immodicae, crudae, aquosae noxiae; pluuiubeae, et liuidae, etsi subinde desistant, periculosae. Stupor solus, aut debilitas non semper formidanda est; nam interdum surditas in caussa est, cur aegri stupidi videantur. Maculae rubrae, floridae, confertae, aut pustulae miliares multae, turgidae, si circa morbi statum erumpant, septima nimirum, nona, vndecima, aut decima quarta, aut tardius, pro breuiori, aut longiori febris cursu, non raro bonum euentum praemonstrant, in primis quando saliua multa, et copiosa exspuitur, aut vrinae crassae, et subsidentes simul prodeunt, et grauiora symptomata minuuntur. Peticulae vero nigrae, atrae, aut vibices vt gangraenulas referunt, sic subitam sanguinis corruptionem, et vitae ingens periculum significant. Pustulae miliares tam albae, quam rubrae, copiosae aut morbificae materiae copiam, aut regiminis calefacientis effectum ostendunt. Ne variolis quidem ipsis per regimen calidius expulsis melius habent aegrotantes; cum tamen variolae criticae dici possint, siue rectius morbus primarius sint, et proinde, pleniori eruptione facta, eorum saluti magis prouisum esse deberet. Non male ominantur aphthae albae, benignae, linguam et labia cingentes; contra vero nigrae, liuidae, ad fauces protensae. Surditas quoque atque aurium abscessus in fine morbi si superueniant, spem aliquam faciunt; dummodo cetera respondeant. Nec rarum est, gangraena exteriorum partium, praecipue coccygis, et natium deletricem *) morbi vim extrorsum bono aegri fato depositam indicari; quod

tum

tum factum cognoscimus, cum ea apparente caput, pectusque leuatur, et febris minuitur. Sed potissimum pulsus amplior, validior, aequalior; respiratio facilior, liberior, placidior; cutis mollis, tepens, vniuersim madida; spasmorum cessatio bene sperare iubent. Interdum etiam ad vrinae vias, et vesicam defertur morbifica materies, vnde vrinae stranguriosae, crassae, aut purulentae redduntur; imo quandoque Ischuria vesicalis enascitur, bono plerumque omine, licet cathetere extrahi vrina debeat per aliquot dies, donec sponte emitti possit. Quibus similia accidunt, plerique; vt iam HIPPOCRATES animaduertit *a*), sanantur.

*) In morbis malignis, et contagiosis saepe natura ad exteriora propellit heterogeneum, et venenatum illud principium, quod morbum facit. Hinc circa coccygem, os sacrum, et nates, aut alias partes gangraena etiam gignitur, quae si morbum non soluit, persaepe saltem minuit. Hoc in primis notauit QVESNAEVS, et cum eo non pauci ex Clinicis. Ego ipse id pluries obseruaui. Nuper vero in *Constitutione* quadam *endemico-epidemica febrium malignarum*, quam egregie anno 1781. descripsit, et typis Mutinensibus euulgauit cl. BARALDIVS Medicus Corregiensis, id contigit ita crebro, vt ipse ex eiusmodi gangraenae apparitione prosperum semper euentum coniicere potuerit. Quae res etli aliter cessit in febre epidemica, quae grassata an. 1774. et 1775. Cuici est, in eius tamen doctissima, atque omnibus numeris absoluta Historia PETRVS LANTERIVS vir sane exercitatissimus, et medicinae sanioris peritissimus asseuerat, gangraenam, quae vesicantium applicationi saepe superueniebat, semper salutarem exstitisse, quasi necrotica morbi vis illuc confluxisset, liberis interioribus partibus relictis.

a) *Epid. l.* 1. *et Gal. in comm. T.* 4. *edit. in* 12. *p.* 124.

Curatio.

§. CCLXXXIII.

Ex his facile prospicitur, neque sanguinis missionem, neque purgationem ab huiusmodi morbo per

se postulari; praesertim in corporis habitu laxo, et debili praeditis, aut crudo, prauo, facile putrescente victu vtentibus, aut nimias euacuationes iam passis, aut moerore, studiisque confectis, aut aërem impurum, infectumque respirantibus, vt plerique ii esse solent, qui huic febri sunt magis obnoxii.

Quid de sanguinis missione decernendum. Multo minus sanguinem mitti licet in *epidemica*, *nautica*, *carceraria*, aut *nosocomiali*, aut a *putrido contagio* orta, aut sanguine ad dissolutionem iam prono. Nihilo tamen minus si plethora adsit, si vires vitae non omnino deficiant, si aetas, habitus, anni tempus, si pulsuum magnitudo consentiat, aut demum si cum *diathesi inflammatoria sanguinis* complicetur malum, incidi vena poterit, sed id ineunte solum morbo, et parca manu fiat. Nam saepe altera sanguinis missio, aut iusto amplior prima, vires deiicit, et delirium arcessit, aut iam praesens adauget. Eoque minus iteranda est, si sanguis primo eductus liuescat, parum crassamenti, postquam refrixerit, relinquat, multum vero seri turbidi, aut fusci emittat, vt plerumque euenit.

§. CCLXXXIV.

Cucurbitulae tutiores. Tutius vero detrahitur cucurbitulis scarificatis, hisque multo certius leuatur caput, imo et ipsa pectoris oppressio; nec quidquam mali ab earum iteratione consequitur; quod non ita facile de venae sectione dixeris. Cucurbitulis etiam in morbi augmento, et statu vti possumus, si delirium, aut coma vrgeat. Nec carent vtilitate hirudines tem-

Hirudines. *Vesicantia.* poribus, aut ano admotae. Post phlebotomiam, aut aliam quamcunque sanguinis detractionem, si capitis dolor, aut vertigo non remittat, statim pone vtramque aurem duo *vesicantia* applicentur, nec ab eorum vsu deterreat ipsum morbi initium.

§. CCLXXXV.

§. CCLXXXV.

Vt vlrium ratio ſuſpectam ſanguinis miſſionem reddit, ſic eadem cauſſa purgationi aduerſatur. Purgatio enim temere, et inconſulto, licet initio morbi, inſtituta ſaepe languorem ſummum, animi deliquia, alui profluuium, aliaque funeſta ſymptomata afferre viſa eſt. Fieri tamen poteſt, vt medicamento aliquo, aluum lenienti, inter initia etiam opus ſit, quando nimirum ſaburra in primis viis turgeat, vires adhuc valeant, et nondum liquationis putridae timor, aut ſuſpicio locum habeat. Sed tunc cautiſſime et leniſſime aluus expianda eſt, enemate primum, deinde eccoprotico ex rhabarbaro, aut manna, aut tamarindis, prudenti, et circumſpecta manu dato. Id vero tum in primis opportune ſit, cum febris neruoſa cacochyliae primarum viarum adiuncta eſt. Quam ob cauſſam *non ſine ratione*, inquit GORTERIVS *a*), *egregii in arte viri curarunt febrem lentam, ſeu neruoſam dictam leni alui ductione alterno die.* *Quid de purgatione ſentiendum.*

a) *Exercitat. Med. quinta de Action. Viuentium particular.* §. *XXII. inter Opuſc. varia Med. Theoretica.*

§. CCLXXXVI.

At alui ductione praeſtantior, vtiliorque eſt *emeſis*; haec enim minus in eiuſmodi morbo naturam perturbat, quam *catharſis*; quin imo, vbi nauſea, pondus, et dolor ventriculi, atque alia cacochyliae ſigna adſunt, aut ex contagio, aut putridis halitibus, aut aëre miaſmate maligno infecto febris orta eſt, lene *emeticum* ſtatim inter initia reliquis remediis antecellit. Hoc enim citiſſime non modo pituitoſa, viſcida, aut biliaris ſaburra, aut quoduis putridum miaſma ſaliuam, gaſtricoſque liquores inficiens educitur, verum etiam totum vaſorum Syſtema ita excutitur, vt quidquid lenti, et *Emeſis praeſtantior.*

viſcidi in iis ſtagnat, aut haeret, e loco dimoueatur, atque in circuitum remeet. Leniſſime autem vomitus cietur puluere, aut diluto radicis Ipecacuanhae, oxymelle ſcillitico, aut tartaro emetico in magna aquae copia ſoluto, et partitis vicibus propinato. Quiuis vero vomendi conatus adiuuari debet potu aquae tepentis, aut iuris tenuioris affatim hauſti, vt facilius vomitus feratur, quouſque ſatis materiae reiectum videatur. Et ſi indicia excitandi vomitus perſeuerent deinceps, aut reuertantur, nihilque obſtare reperiatur, emeticum iterare etiam licet. Non quaelibet tamen vomendi cupiditas, nauſea, aut vomitus emeticum poſtulant; nam ſaepe a ſola neruorum ataxia, et ſpaſtica ventriculi affectione, aut ab eius phlegmone, aut ab vehementiore ſanguinis motu, aut a dolore capitis intenſiore, ſimilibuſque cauſſis originem ducunt huiuſmodi ſymptomata, et tunc reliqua cacochyliam gaſtricam ſignificantia phaenomena omnino abſunt. Diligenter igitur diſquirere oportet, antequam vomitus cietur, vtrum primae viae ſordibus reuera ſcateant, aut epidemicum miaſma, aut contagium intro ſuſceptum, ſaliuam, gaſtricoſque humores infecerit.

§. CCLXXXVII.

Cautelae in ciendo vomitu. Antequam vero vomitus prouocetur, magni intereſt cuncta attente conſiderare, an quidpiam occurrat, quod vomitionem vetet, quod ex Therapeutice generali ſciri poteſt; vaſorumque plenitudo, ſi ea inſignior fuerit, ſanguinis miſſione imminuta ſit oportet, et veſica pone aures per cantharides excitata, ne vomitu vaſa nimis turgida diſrumpantur, aut lentum, viſcidumque lymphae gluten altius in interiora cerebri propellatur, niſi depleta illa prius ſint, hoc vero aliorſum, extrorſumque pro-

prolectum. Absoluta siue *catharsi*, siue *emesi*, prout res postulauerit, si aluus pigra aut clausa perstet, sollicitari tutissime poterit enemate ex lacte, saccharo, et sale subter iniecto, idque tertio quoque die repeti toto morbi decursu, quotiescunque per se non respondeat.

§. CCLXXXVIII.

Quae obseruanda in usu vesicantium.

Cantharidum extrinsecus adhibitarum tanta vtilitas est, vt vlcera pone aures per illas excitata (§. CCLXXXIV.) aperta seruari debeant, donec discussa penitus febris sit. Itaque vbi siccari incipiunt, cantharidum puluere iterum impositio curandum est, vt recrudescant, et renouentur. Praeterea vel in ipso morbi exordio, si caput grauius occupetur, deraso occipiti emplastrum ex iisdem cantharidibus conflatum, quod *vesicans* dicitur, apponi debet; nam hoc remedii genere delirium, quod imminet, aut superuenturum est, praecaueri solet. Nec inde aegri valde dolent, stupore nimium obruti. Ceterum quo magis huiusmodi vlcera inflammantur, et dolent, et pus bonum, et copiosum fundunt, eo prosperiorem euentum pollicentur, et contra. In progressu quoque cantharides locum habent cum brachiis, aut femoribus, tum suris applicitae, vt vesicas excitent, si nempe vis vitae nimium langueat, mens torpeat, aut imminens peticularum eruptio anxietatem, difficilem respirationem, delirium, et pectoris grauitatem, quae peripneumoniae metum incutit, inducat. Sed haec symptomata a spastica potius fibrarum, neruorumque affectione, quam ab inflammatione, aut sanguinis in pulmonibus congestione pendere solet. Tunc enimuero respiratio est quidem densa, inaequalis, suspiriosa, et per vices difficilis, non vero calida, nec cum tussi coniuncta, qualem peripneumo-

nia infert. Pulſus item ſpaſticae affectionis ſigna praebet, nam paruus, contractus, inaequalis, et celer percipitur. Quo in caſu cauendum eſt a venae ſectione, niſi certiora inflammationis indicia praeſto fuerint. Spaſticas quoque huiuſmodi affectiones confirmant, ſanguiniſque emiſſionem reiiciunt vrinae pallidae, aqueae, limpidae, copioſae, quae vt plurimum hanc febrim comitantur.

§. CCLXXXIX.

Cum igitur in huiuſmodi febre vis irritabilis, et neruea potiſſimum torpeat, et vitalis humorum circuitus in primis circa encephalum quodammodo reſtitet, quid cantharidibus cuti admotis ad illam excitandam, atque ad hunc promouendum erit praeſtantius? quid accommodatius? quid ad reuellendum, extrorſumque auocandum expeditius? Attamen, vbi ſanguis aut diſſolutus iam ſit, aut ad diſſolutionem putridam maxime vergat, quod in primis morbo epidemice graſſante, aut a putrido contagio profecto, atque ad ſtatum progrediente euenire potiſſimum ſolet, non temere tunc cantharidibus, quae putridam diſſolutionem augerent, vti licet; niſi per antiſeptica, atque acida fortiora, quae diſſolutioni huic frenum iniiciunt, earum ſeptica, et diſſoluens vis contemperetur. Prudentis igitur, et circumſpecti medici tantum eſt validum huiuſmodi praeſidium opportune, ſalubriterque adhibere.

Cautela circa veſicantium vſum.

§. CCXC.

Indicationes praecipuae, et generaliores.

Ceterum tota curationis ratio eo collineare debet, quemadmodum experientia magnorum virorum *a*) docuit, vt vires oppreſſae erigantur, et leni ſtimulo incitentur, humores diluantur, et ſanguini recens, ſaluberque ſuccus affundatur, qui aeris, vitiatique locum ſubeat. Inter cardiaca, atque

que alexipharmaca aromatico ſtimulo praedita, quae huic febri praeſertim *ſporadicae*, et ſpontaneae conveniunt, quia attenuant, incidunt, et blande excitant, celebrantur radix Contrayeruae, Scordium, Ruta, Angelica, Carduus Benedictus, ſales volatiles Succini, Cornu Cerui, liquor Cornu Cerui ſuccinatus, Tinctura Croci, Caſtorei, Succini, Camphora, Theriaca, Diaſcordium, confectio hyacinthina, puluis contrayeruae compoſitus, aliaque his ſimilia. Quaedam etiam ex his ataxiae neruorum, ſpaſticiſque affectionibus praeclare opitulantur. Camphora id quoque emolumenti praeſtare creditur, vt, ſi cum Galbano, et Silphio commiſceatur, non ſolum egregie reſoluat, verum etiam ſomnum conciliet, atque adeo vigilias, deliriumque auertat, aut tollat. In horum tamen omnium vſu non modo ad temperiem, habitum, aetatem, ſexum, regionem, aliaſque circumſtantes res reſpiciendum eſt, ſed etiam temperamentum aliquod ſit, oportet, ne nimium humores exagitentur, et caleſiant, aut praematurе ſudores cieantur, praeſertim in morbi initio, atque augmento. Ex quorum altero calores, et rubores increbeſcerent, itemque peticulae, atque exanthemata miliaria cum anxietatibus, deliriis, pectoriſque oppreſſione conſequerentur. Ex altero ob nimiam humorum iacturam, viriumque exſolutionem tremores, tendinum ſubſultus, horrores, ſyncope, ſudor frigidus, et veternus eſſent timendi. *Remedia illis accommodata.*

a) Vid. SWIETEN. *in* BOERHAAV. §. 950.

§. CCXCI.

Simplicior autem medendi methodus, ſi vnquam alibi, hic certe ſummopere commendanda eſt. Quo enim minus naturae opus arte perturbatur; quo blandioribus, tutioribuſque remediis oppugnatur malum, *Simpliciſſima medendi ratio hic vtilior.*

malum, eo felicius, fauſtiuſque aegri ad priſtinam ſalutem reſtituuntur. Solo ſero Lactis per vinum Canarienſe parato in potum ordinarium vtuntur quidam Clinicorum non incelebres. Alii ſero lactis purificato addunt aliquid vini Rhenani, aut Auſtriaci albi, aut alterius cuiuſque aciduli, atque auſteriuſculi. Aliis placent diluta foliorum ſaluiae, ſcordii, florum ſambuci, ſimiliumque plantarum temperatiorum; decocta aliis radicis ſcorzonerae, aut eryngii, aut cornu cerui, vel ptiſana ex hordeo, cichoreo, gramine. Quibus aliquid adiiciunt vel vini, vel aceti, et calide potanda iubent. Dum his impletur corpus, blandus plerumque ſudor ſubſequitur, per quem reſurgunt vires vitales, et ſubigitur, expelliturque de corpore noxium illud ſiue ſponte natum, ſiue per contagium receptum, ſiue epidemice vagans, atque abſorptum, ſiue ab aëre vaporibus venenatis infecto ſuppeditatum miaſma, quod omne hoc malum fecit.

§. CCXCII.

Circa potum monita. De his (§. CCXCI.) igitur crebro, et liberaliter potandum eſt, ſed non tantum tamen, et non ita abunde, quantum in febribus vehementioribus, ardentibuſque, aut in peticulis ipſis, in quibus interdum febris in primis inter initia magis exardet, et pulſus validior, et durior eſſe conſueuit, niſi eum diatheſi inflammatoria morbus complicari videatur, aut cum aliis affectionibus, quae liberaliorem potum, atque aquoſiorem exigunt. Raro aqua pura ſufficit, quae, niſi ſaccharo, aut ſucco aliquo ſaponaceo vegetabili acuatur, vix intime cum ſanguine commiſceri poteſt. Nec frigida, licet a multis plurimum laudetur, in hac febre danda eſt. Teſtatur enim HVXHAMIVS, frigidam bibentes, eam reddere, per vrinae vias limpidiſſimam, nullo

modo

modo mutatam, magno cum ipsorum detrimento. Sed hic quoque inspicere oportet et regionem, et anni tempus; et temperamentum, et consuetudinem, et reliqua, per quae interdum frigida calidae anteferenda sit. Frigida in primis, vbi nullae dissoluti sanguinis notae cernuntur, fortasse minus conuenit, vt in *sporadica* plerumque, et spontanea; contra in *epidemica*, et *contagiosa*, vbi dissolutio pene vniuersi sanguinis plerumque occurrit, non parum vtilitatis potest afferre. Ius quoque pulli tenue, aut viperinum, tam vti remedium, quam vti alimentum restaurans subinde non nulli propinant, praesertim remittente morbo, et viribus fatiscentibus; quo nomine etiam Gelatinae cornu Cerui, decocta, aut iuscula panis, vulgo panatellae, addito vini tantillo, aut succo mali medici, aut aurei, aut citrei commendantur; quibus alendi saepe quidem, sed paullatim, sunt aegrotantes.

§. CCXCIII.

De symptomatis curandis.

Singularem porro considerationem varia symptomata requirunt. In primis in hac febre, vt supra narrauimus, euacuationes cuiuscunque generis facile excessu peccant; quas tamen comprimere res plena discriminis est, quia pessimae inde sequuntur morbifici humoris ad interiora metastases. Si igitur moderatae fuerint, sini; si immodicae, compesci quidem debent, non vero penitus cohiberi. Saepe enim sudori repente suppresso protinus succedunt horrores conuulsiui, pectoris oppressio, taedium, moeror, syncope, aliaque id genus grauissima symptomata. Sic, fluxu alui per adstringentia cohibito, nauseam, stomachi dolorem, colicos cruciatus, et delira superuenire, certissimum est. Imo ipsa inusta per cantharides vlcera iusto citius arescere, non vacat periculo. Quare

noua

noua subinde induci expedit, ne naturae hoc vtile euacuationis genus deficiat. Non enim canthari-des stimuli tantum caussa prosunt, sed etiam resolutione, atque excretione praui humoris, quam totis viribus tentandam docent pustulae, quae sponte in vigore, et statu morbi erumpunt, atque vlcerantur, et quo ducere oporteat, patefaciunt. Quas ob caussas vitetur aëris frigidi subitus appulsus, lintea, aut indusia frigida, potiones gelidae, atque omnia, quae actu, aut potentia, vt loquuntur, nimis refrigerant, aut reprimunt.

§. CCXCIV.

Sudoris vatio quae habenda.

Itaque sudores modum excedentes, non leuantes, vires prosternentes, quoniam liquationem ostendunt, prudenter compesci possunt. Nihil ad id praestantius est vino rubro aut meraco, aut aqua diluto; quo et sudores reprimuntur, et vires instaurantur, et pustularum eruptio, si ea praesens sit, promouetur. Ad hoc etiam valet Tinctura chinae chinae, interposita subinde Rhabarbari recta dosi ad saburram e primis viis identidem educendam. Sic non modo sistuntur sudores, sed etiam interdum fit, vt febris ipsa, quae sub morbi finem remittens solet euadere, distinctiores habeat accessiones, cortice deinde peruuiano validius dato exstirpandas. Peculiari quadam Tinctura *), cum *Elixirii Vitrioli* guttis aliquot iuxta *Pharmacopoeam Londinensem* eumdem in finem vtebatur HVXHAMIVS. Diarrhoeam refrenat Theriaca Andromachi, aut Diascordium Fracastorii, aut clysmata demulcentia. PROSPER ALPINVS testatum facit, fluxus alui *colliquatiuos*, qui febribus malignis Aegyptiorum superueniunt, tutissime compesci fructibus Berberum, atque his se ipsum curatum fuisse.

*) *Tinctura*

*) *Tinctura Huxhamii.*

Rec. Cortic. Peruuian. optim. pulv. vnc. ij. Flaued. aurant. vnc. ij. et sem. Rad. serpent. virgin. drachm. iij. Croci anglic. scrup. iv. Coccinell. scrup. ij. Spirit. vini vnc. xx. f. s. a. Infusio per dies tres, aut quatuor, deind. liquor coletur. Dos. a drachm. j. ad vnc. sem. quauis quarta, sexta, aut octana hora cum decem, aut viginti guttis Elixirii Vitrioli ex vino diluto, aut aqua idonea.

§. CCXCV.

At tanta est interdum sanguinis dissolutio in hac febre, praesertim epidemica, aut a contagio orta, aut nautica, et carceraria, vt non solum nimiis quibuscunque euacuationibus causam praebeat, verum etiam haemorrhagias, nigras deiectiones, gangraenas, vibices, atrasque peticulas corruptionis foetidae indices pariat. Tunc vno ore omnes clamitant ad acidos spiritus, et praecipue vitriolicos, vtpote sanguinis dissolutionem, *alkalescentiamque* coërcentes esse quantocius properandum, voluntque largiori manu potui admiscendos. Iure id quidem. Cum vero acidis spiritibus insit facultas irritabilitatem cordis, atque arteriarum, quae in huiusmodi malo propemodum exstinguitur, destruendi; non temere, et sine consilio audienda eorum vox est *). Inuertendum quidem principium putridum, aut alkalinum, cogendaque acidis sanguinis nimia tenuitas est, verum simul languenti irritabilitati prospiciendum; quod praestabitur, si acidis adiiciantur alexipharmaca, aut antiseptica leni stimulo aromatico praedita, vt fecit HVXHAMIVS in Tinctura modo laudata, aut factum videmus in *Elixirio* vitriolico, in quo Tinctura aromatica vitrioli oleo adiuncta vtramque indicationem adimplet.

Nimiae sanguinis dissolutioni quid opponendum.

*) Largiorem acidorum e fossilibus vsum, quem non nulli effuse laudant, dehortatur, et dilutissima tantummodo, et maxima cum circumspectione vsurpanda iubet

BARTHO-

BARTHOLOMAEVS CAMILLVS DE BOISSIEV. *Mémoir. sur les method. refraichiſſant., et echauffant. p.* 56.

§. CCXCVI.

Aphthis quae medela.

Vbi aphthae totum os, imaſque fauces tenent, quod circa morbi ſtatum, aut paullo poſt plerumque euenit, aut ad oeſophagum, ventriculum, atque inteſtina porriguntur, vnde deglutiendi difficultas, ſingultus, diarrhoea, et dyſenteria ſaepe permanant; tunc creberrime gargarizandum eſt ex aquis, quae et molliunt, et detergunt et vi antiſeptica pollent. In his aliquid ſpiritus ſalis tam acidi, quam dulcis inſtillari vtiliſſime ſolet, et tunc praecipue, vbi gangraenoſae, et nigrae apparent. Dandum quoque, ſi aluus cita cum torminibus fatiget, modicum Rhabarbari, puluere abſorbenti, atque aromatico contemperati. Interdum aphthae acerbiſſime dolent, ſomnumque omnem, aut quietem auertunt. Si ſedando dolori impar fuerit lac ore detentum, aut ſpiritus vitrioli ex melle roſaceo illitus, aut alia huiuſmodi, mihi quandoque feliciſſime ceſſit eas oblinire penicillo, quod in *ſaturni Balſamo* ſic dicto fuerat intinctum. Quando gargarizatione vtimur, poſt quamlibet gargarizationem indatur ori paullulum mucilaginis ſeminum pſyllii, et cotoneorum, ſyrupo mororum, aut rubi idaei admixto, lenteque deglutiatur. Sic enim demulcentur, leniunturque vlcera, et citius ſaneſcunt. Deterſis etiam, purificatiſque vlcuſculis ſummopere prodeſt liquor Myrrhae per deliquium, aut eius tinctura illinita.

§. CCXCVII.

In ſuffocationis metu ob mucum quid agendum.

Interdum magna pituitae vis in faucibus congeritur citam minitans ſuffocationem. Quod vbi incidit, lene emeticum remedio eſt. Mirum enim eſt, quam in quouis morbi ſtadio profit huiuſmodi auxi-

auxilium. SYDENHAMIVS eo aegros ſingulis momentis ſuffocationis periculo anxios, ſtupore obrutos, et ſpiritu fere ob fauces muco, aut viſcida ſaliua infarctas praecluſos quandoque feliciter liberauit *a*). Non raro aegrotantes crebris lipothymiis, et languore ventriculi afficiuntur, et difficillime ad bibendum, etſi ſitiant, impelli poſſunt; quaſi hydrophobia laborarent. Saepe id a cacochylia ventriculum obruente proficiſcitur. Tunc dato cardiaco, multum confert vna, vel altera poſt hora vomitum ciere, et ſic viſcidam ſaburram e ventriculo horum ſymptomatum cauſſam *b*) eiicere.

Hydrophobia ſpuria qui curetur.

a) *Variol. regular. an.* 1667. 68. 69. *Oper. p.* 178.
b) CAROL. BARBEIRAC. *Medicamentor. conſtitut. p.* 47.

§. CCXCVIII.

Saepe, etſi non ſemper, vt iam dictum eſt, peticulae, aut puſtulae miliares in augmento, aut ſtatu morbi huic febri ſuperueniunt. Quocunque modo eruperint, ſiue criticae, ſiue non criticae, id eſt ſalutares, vel non ſalutares, ſemper corrupti, et putreſcentis, deprauatique humoris aliquid extrorſum ferunt; eo tantum caſu excepto, in quo regimen calefaciens, et remedia nimium ſudorifera eas effecerint. Quando igitur naturae, non artis effecta ſunt, cauendum praeſertim ab aëre frigido eſt, et lenia porrigenda Cardiaca, vt naturae motus, et molimen leniſſime ſuſtineatur. Si enim aut frigore extrinſecus applicito, aut deficiente cordis vi intro repellantur, lethales ſaepe metaſtaſes impendent. Vbi maculae apparcant nigrae, fuſcae, liuidae, quae gangraenulas referunt, putridamque ſanguinis diſſolutionem oſtendunt, vnde quandoque ſanioſae, et ſanguineae etiam deiectiones contingunt, aut cruor e vena miſſus diffluat, et difficillime concreſcat; tunc acidis, auſteriſque alexi-

Peticulae, et Miliaria.

pharma-

pharmacis opus est. Talia sunt *Elixirium* Vitrioli, Spiritus Sulphuris, Tinctura rosarum vitriolata, succus vuarum immaturarum, Cortex peruuianus, Radix serpentariae Virginianae, vinum rubrum cinnamomo, aut maci incocto, aliaque huiusmodi.

§. CCXCIX.

Exanthemata intropulsa quid exigant.

Quod si casu, aut frigore, aut incauta indusiorum mutatione, aut animi pathemate maculae peticulares, aut pustulae miliares intro vertantur, atque ex eo caput, pectus, aut stomachus impetatur, delirium, conuulsiui motus, spiritus difficultas, anxietas, singultus, cordis palpitatio, pulsus intermissio, aliaque teterrima symptomata saepe oboriuntur; protinus tum in balneum calidum pedes demitti, aut crura pannis laneis ex aqua calenti expressis inuolui, et foueri, aut totum corpus fricari, aut cucurbitulis siccis cutim laxari, plurimum confert, vt iterum ad exteriora morbidus humor reuocetur. Eo respiciunt etiam cantharidum brachiis, aut suris applicatio, atque epispastica plantis pedum admota. Intrinsecus vero diluta herbarum leniter diaphoreticarum, si calide sorbillentur, stragulis corpore aliquanto grauioribus contecto, non parum diaphoresim, atque adeo exanthematum ad cutim propulsionem promouent. Hoc nomine in primis excellere dicuntur spiritus cornu cerui, aut eius liquor succinatus, serpentaria Virginiana, Camphora, et Moschus; quorum postrema nerueam etiam sensibilitatem, et spasticas affectiones sedando mira praestant. Sed Camphoram, vbi pulsus languidus, sed mollis et aequalis est; Moschum vero, vbi aliquantum durus, et tensus, docet Cl. QVARINIVS *a*) magis conuenire, quia hic neruis amicior est, et minori stimulo in cor, quam camphora, aut minus permanenti agere reputatur. Si

vero

vero exanthematum receſſio febrem accenderit vehementiorem, cum pulſu valido, magno, et duro, facie rubra, aliiſque notis phlogiſticis, et diatheſis inflammatoria, quae aut anteceſſit, aut in conſtitutione praeualere videtur, reuiuiſcat, ceteris omnibus praeſtabit parca, et cita ſanguinis miſſio.

a) Method. med. Febr. cap. IV. p. 55.

§. CCC.

Interdum aegri, etiam ſine exanthematum vllo retroceſſu, anxii fiunt, exagitantur, agrypnia, aut comate vigili tentantur. Tunc non nulli continuo ad narcotica confugiunt. Sed prudentius ſe gerunt, qui in morbo, in quo cerebrum inſigniter afficitur, et neruea vis aut languet, aut maxime ad languendum propendet, mitiora prius experiuntur, et quae anodyna vocantur, quam opium habentia. Tutiſſima autem videntur liquor anodynus *mineralis*, camphora, moſchus, emulſa ex ſeminibus frigidis, ſyrupus papaueris albi; et, ſi quando ad valentiora tranſire neceſſitas cogat, ea ſeligantur, quae opium quodammodo cicuratum continent, et leniter ſtimulantibus adiunctum, qualia ſunt Theriaca, Diaſcordium Fracaſtorii, atque his ſimilia. *Vigiliae quomodo occurrendum.*

§. CCCI.

Vermibus, qui frequentiſſime huiuſce febris, praeſertim cum epidemice ſaeuit, aut cum cacochylia primarum viarum iungitur, comites, vt ſupra notauimus, eſſe poſſunt, proſpiciendum quoque eſt. Hi autem, vbi in ventriculo, aut inteſtinis latent, ſymptomata omnia, vti nauſeam, lipothymias, vomitum, ſoporem, tremores, ſingultum, grauiora, et pertinaciora reddunt, ſed praeterea crebras ac repentinas viciſſitudines, quae medicum terreant, fugaces genarum rubores, ſomni perturbationes, narium pruritum, tormina, coli- *Quando cum vermibus complicatur, quid requirat.*

cas, alui fluxum, palpebrarum inter dormiendum diductionem, album oculi detectum relinquentes inferunt. Frequentissimum vero mihi visum est vermium argumentum, fames insolita, qua aegri ad edendum incitantur, et subitus pauor, quo dormientes repente euigilant. Quando igitur praeter haec signa vermium etiam deiectio eorum praesentiam patefacit; quoties eccoprotica, clysteres, acida fossilia, quae vermibus infensissima esse solent, non suffecerint; toties anthelminthicis reliquis locus dandus est, in quibus semen santonici experientia certissima comprobatum, et radix Valerianae syluestris palmam merentur.

§. CCCII.

Aurium abscessus et Parotides quomodo tractari debeant.

De aurium abscessu, et parotidibus supra (§. CCLXXVI.) meminimus. Aures enim non raro in hisce febribus dolore intus corripiuntur, suppurantur, atque abscedunt, vt ex iis magna puris vis effundatur. Quando id incidit, si morbus remittat, caput leuetur, coma discutiatur, mens respiscat, et reliqua symptomata mitigentur; expeditissimum est iudicare, morbificam materiam extrorsum ferri, interioresque capitis partes liberari. Contra vero, si aurium dolor, morbo inualescente accesserit, nec cessent grauia symptomata, imo sopor, delirium, stupor, neruorumque distentiones ingraueſcant, timeri tum potest, a cerebro, interioribusque partibus ad exteriores vsque mali, inflammationis, suppurationisque propagatio. Quorum alterum vt plerumque salutare est, sic alterum perniciosum. In priore casu expedit dolorem lenire lacte recenti tepido saepius iniecto, et mollissimis cataplasmatis desuper impositis; deinde pus aqua hordei simplici, aut leuiter mellita eluere, atque abstergere, quousque auris saneſcat. Raro aliis remediis

remediis opus est; quorum tamen plenior commemoratio habebitur, vbi de otalgia, auriumque vitiis differetur. In posteriore vero resolutio procuranda, et quoad fieri potest, interiorum partium suppuratio auertenda est iis, quibus *cephalitidi*, aut *phrenitidi* occurrendum alibi praecepimus.

§. CCCIII.

Sed frequentius in hac febre aliisque malignis, praesertim epidemicis, abscessus fiunt circa aures, tumoresque, qui pone eas, aut subter attolluntur, a parotide glandula de genere conglomeratarum nomen accipiunt; quod supra (§. CCLXXVI.) iam indicatum est. Neminem latere arbitror, parotidum duplex genus esse, primarium alterum, alterum secundarium; hocque posterius hic loci intelligendum esse. Parotis igitur secundaria, de qua hic loquimur, febribus superuenit vel per *diadochen*, vt vocant, siue materiae morbificae a nobiliori ad ignobiliorem partem translationem, vel per *epigenesin*, siue propagationem morbi, aut noui symptomatis accessionem. Magni autem interest, primone, an secundo modo oriatur. Multiplici vero ratione parotis intumescit, vt habemus ex Pathologia. Generatim tamen tumet vel ob maiorem humoris influxum, vel eiusdem lentorem, et densitatem, vel vasorum et totius compagis laxitatem, vel neruorum irritationem, vel humoris excernendi impedimentum, et ductuum excretoriorum obstructionem, aut spasmum. Neruorum autem irritatio frequentissima causa est, quod multis in locis videtur innuere *Hippocrates a*); nam neruea vis vt naturalibus secretionibus perficiendis plurimum confert, sic alterata labefactandis, vitiandisque causam praebet. Idcirco *conuulsorio modo* cum HIPPOCRATE plerasque fieri contendit PYIATVS *b*).

Parotidum duplex genus.

a) Vid.

a) Vid. PVIAT. *de Morb. Naronian. sect.* 2. *cap.* 12.
b) *Ibid.*

§. CCCIV.

Varius parotidum exitus.

Hinc varius est parotidum exitus, nec ex Hippocraticis locis, aut aliorum scriptis quidquam certi hac super re statui potest. Ex his enim apparet, suppurationem, quam magni faciunt, et plerique exoptant, neque ad morbi iudicationem necessariam esse, neque certo iudicationem afferre. Nam saepe resolutis parotidibus aegri conualescunt, et suppuratis pereunt. Communior opinio est, exortam parotidem, si febrem et dolores mitiget, salutarem fore, contra noxiam. Sed quandoque febris, quae antea remiserat, paullo post vehementius exardescit, periculumque, quod abiisse videbatur, reuertitur. *In vniuersum*, inquit DVRETVS *a*), *parotis sperabilem vitae salutem non facit, quod sit abscessus ἡμιέξοπος, neque ἀντιέξοπος*, id est *affluxus dimidiati, nec morbo paris.* Cl. vero PVIATVS generatim parotides periculosas esse *b*) praedicat, quod in eas tumentes lympha ingredi non potens ad cerebrum cum sanguine feratur, serosaque colluvie obruat, tumore deinde sic iugulares venas et fauces comprimat, vt sanguinis refluxus e capite praepediatur, spirandique, aut deglutiendi facultas cum summo vitae discrimine fatiscat.

a) *in Coac. Hipp. n.* 110. b) *L. c.*

§. CCCV.

Quae salutares, quae noxiae?

Ego vero, si libere quid sentio dicere liceat, putauerim in vniuersum parotides, quae per *diadochen* fiunt, salutiferas esse, quae vero per *epigenesim*, et *conuulsorio* modo superueniunt, aut sympathicae sunt (§. CCCIII.), plerumque noxias et lethales. Experientia etiam compertum saepe est, parotides, quae cito, id est *intra duodecim, vel viginti* horarum spatium

ſpatium *valde increſcunt, et molles ſunt inſtar tumoris flatulenti ſiue cum, ſiue abſque inflammatione,* aut vehementem dolorem inferunt, perniciosas ſemper exſtitiſſe: contra eas, quae ſtatim ab initio durae, atque inſtar tendinis rigidae, ac oblongae erumpunt, et paullatim augentur, et *tolerabili dolore* ſtipantur, ſalutem afferre conſueuiſſe, *praecipue* ſi *accreſcendo duritiem illam aliquamdiu* ſeruauerint. At, ſi durae iſtae parotides *circulum quemdam diuerſi coloris inſtar iridis* habeant, aut rubicundae, liuidae, *aut* nigrae fiant, malum indicium praebent; veneno enim gangraenam non modo tumoris, verum etiam vicinarum partium induci ſignum eſt *a*). Atque hinc non erit arduum cognoſcere, quando parotides ad ſuppurationem perduci debeant, quando eae diſcuti, reſoluique ſine vitae periculo poſſint. Sine periculo quoque ſponte euaneſcunt, vt ex Hippocratis obſeruationibus conſtat, per aluos citatas, id eſt diarrhoeam, et dyſenteriam, per vrinas cum ſedimento craſſo, per tuſſim cum ſputatione copioſa, et demum, vt non nullorum experientia oſtendit, per tranſpirationem etiam inſenſibilem. *Quando euaneſcant ſine periculo.*

a) Ex *Diemerbroekio* BONET. *Polyalth. T. I. lib. I. artic. 9. p. 436. §. 30. 31. 32.* item FARAEVS *l. 21. cap. 30.*

§. CCCVI.

Quam primum ſe attollit parotis, diſquirendum eſt, criticane ſit, an ſymptomatica? num caput, et febrim leuet, an morbum nouo malo grauiorem faciat? Si primum, curandum eſt, vt malignus, noxiuſque humor, qui in eam confluit, vniuerſus ibi accumuletur, coctione matureſcat, et facto puri exitus cito paretur. Si alterum, vtilius eſt, leniter reſolutionem tumoris moliri, debitiſque euacuationibus naturam a ſarcina ſubleuare. Itaque ſimul ac *Curatio quae in vtriſque inſtituenda eſt.*

tumor se prodit, duo in primis expetenda sunt, videlicet ne acerbius doleat, deinde, vt lente increscat. Quare ei admouendum est fomentum aut cataplasma, quod molliat, et dolori leniendo vi anodyna par sit, cautione adhibita, ne pondere noceat, aut pinguitudine aut glutine cutis meatus occludat. Passim anteferri solent radices Altheae, et Liliorum alborum; quas tamen non nulli ob mucedinem, qua scatent, quaque cutis spiracula obstruere creduntur, reiiciendas existimant. Opportuniora cataplasmata, aut fomenta reputantur, ex floribus Violarum, Verbasci, Papaueris rhoeados, Meliloti, Sambuci, Maluae, seminibus Lini, Papaueris albi, farina hordei, mica panis, atque aliis, quibus vis anodyna, et consopiens insit, parata. His Crocum, et Chamomillae flores adiici interdum possunt, si resoluendi simul indicatio concurrat.

§. CCCVII.

His et dolor auertitur, et nimius humorum concursus, quo tumor cito nimis, et vehementer augescat, praecauetur. Quod si suppuratio lente procedat, promoueri ea etiam potest blando aliquo medicamento. Ceteris praestare creditur a Cl. RVLAND Emplastrum Diachylon magnum. Facto pure, tumor maturius scalpello aperiendus est *).

Quomodo et quando aperiendus.

Aperiri etiam tumor crudus debet, si mole fauces coarctet, sanguinem e capite refluere impediat, suffocationem minetur, aut pestiferus humor eum gignat. Quo in casu igne potius, quam ferro aperiendum iubent complures. Sed tutius ferro id praestatur, citiusque effluente humore, quem vulnus allicit, parotis detumescit. Parato per incisionem puri exitu, quod supereſt crudi humoris concoquendum, digerendumque est, impositio vulneri vnguento *digestiuo*, et desuper adhibito aut emplastro

emplaſtro Diachylo magno, aut cataplaſmate emolliente ex iis, quae modo memorauimus. Si valentius digerere oporteat, quod humor lentus, viſcidus, frigidiorque ſit, Digeſtiuo aliquid Mercurii dulcis adiicere plurimum confert. At, vbi puris loco ichor acer, et ſanioſus effluit, vulneris labia pallent, aut liuent, putriduſque nidor exhalans corruptionem, aut gangraenam prope eſſe ſignificat, tum pulueris camphorae aliquid indere neceſſe eſt, aut toti tumori camphoram cum gummi arabico ſubactam ſuper dare, aut alia huiuſmodi antiſeptica, donec tumore penitus in pus conuerſo, repurgatoque abſceſſus cauo vulnus coëat.

Apertis, quaenam admouenda.

*) Mira ſane eſt obſeruatio ACRELII, qua oſtenditur, non ſemper tuto parotides, etſi perfecte ſuppuratas aperiri. Narrat enim milites Gallos ante aliquot annos in Bohemia ob ingens frigus, immodicoſque labores incidiſſe in febrem putridiſſimam, cui ſuperueniebant abſceſſus pone aures, ſub axillis, aliiſque in partibus cum manifeſta ſymptomatum omnium imminutione. Hos ab initio Medici ad plenam maturitatem perductos, vt criticos, aperiebant. At poſtea in debilitatem prolabebantur aegroti, et paullatim ſymptomatibus recrudeſcentibus plerique moriebantur intra octiduum. Ex his non nulli, poſtquam in huiuſmodi tumoribus fluctuans humor certo perceptus fuerat, materiam aluo, aut exſpuitione, aut naribus excreuerunt, atque omnes fere hi ſeruati ſunt. Hinc a natura edocti medici, omiſſa abſceſſuum inciſione, neque ſuppurationem externis remediis, neque reſolutionem euacuantibus amplius moliti ſunt. Verum quando abſceſſus ex toto maturuerant, dabant aegris purgans medicamentum ex manna, rhabarbaro, aut ſale Epſomenſi. Poſt tertiam plerumque medicamenti doſim alui excrementa generatim purulenta prodibant; aegri recreabantur, et abſceſſus minuebantur, et tandem euaneſcebant. Victu vtebantur tenui, ſine ſale, et aromatibus, et potu blando, demulcente. *Vid. Comm. ſociet. med. et philoſ. Edimb. T.* I. *P.* 4. *ſez.* I. *n.* III. Si haec vere dicuntur, ita rara tamen videntur, vt legem non ſanciant.

An aditu aëri aperto corruptio et gangraena promoueba-tur? In aërem peſtilentem, qui tum forte aderat, cauſſam reiicit cl. VACCA BERLINGHERIVS (*Dell' Idropiſ. ſaccat. p.* 121.). An datis intrinſecus antiſepticis, extrinſecuſque adhibitis praecaueri potuit? An vere pus per nares, per os, per aluum eductum, aut potius reſoluta, vt par erat, parotis, aliaque euacuatione natura leuata? Nihil profecto certi de his auſim decernere.

§. CCCVIII.

Si vero anodyna, atque emollientia (§. CCCVI.) nihil proficiant, tumorque nimis increſcat, et vehementer doleat, et multo magis, ſi etiam rubeat, ſanguis illico mittatur. Nec plethorae ſigna hic requiruntur ad ſanguinis miſſionem, quemadmodum GALENO *a*) neceſſaria viſa ſunt, ſed ſufficit partis affectae magna tenſio, irritatio, et ſpaſmus. Neque ſanguinis miſſionem prohibent pulſuum paruitas, aut imbecillitas; nam ſaepe poſt paucas ſanguinis vncias emiſſas pulſus attollitur, eleuatur, et validius micat. Vires quippe oppreſſae tunc potius, quam exſolutae, et deficientes videntur. Id ipſum auxilii genus cito adhibendum eſt, quando parotis ſymptomatica eſt, aut per epigeneſim oritur, aut a ſpaſmis irni praeſertim ventris eſt. RIVERIVS in epidemica conſtitutione febris illius, quae Monſpellii anno 1623 ſaeuiſſimam ſtragem edidit *b*), adeo feliciter ſanguinis miſſione erumpentes parotides, quae, antequam hoc remedio vteretur, omnes aegros occidebant, repreſſit, vt nemo ex iis, quibus vena etiam cum pulſu languidiſſimo ſecta eſt, obierit. TRAVERSARIVS quoque apud LANCISIVM *c*) teſtatur, feliciſſime in febribus anu. 1709 ad 1711 graſſantibus ad hoſce inſidos tumores ſanguinem detractum fuiſſe. Cl. item PVIATVS *d*) idem a ſe factum affirmat; imo is non tantum initio erumpentis parotidis, verum etiam

in

in eius augmento, et progreſſu ſanguinem mitti poſſe prolatis periclitationibus oſtendit. Nec aliter parotidibus erumpentibus obuiam ibat clariſſimus, atque expertiſſimus olim apud Bononienſes Medicus, et Clinices Profeſſor publicus JOSEPH AZZOGVIDIVS, qui ſimul ac apparebant, ſanguinis miſſionem imperabat, nec quidquam inde detrimenti vnquam vidi *).

a) *De compoſit. pharm. ſecund. loc. l.* 3. *cap.* 2.
b) *Prax. med. lib. XVII. cap.* 1. *p.* 354.
c) *De Nox. palud. effluuiis l.* 2. *epid.* 4. *cap.* 5.
d) *De Morb. Naron. ſect.* 2. *cap. XII. p.* 198. *et ſeq.*

*) Saepe in aliorum medicorum aegris parotides obortas offendi, rariſſime in iis, quibus ego medicinam feci; cum tamen triginta annorum ſpatio quamplurimis fecerim. Hinc eo adducor, vt ſuſpicer, parotides ſymptomaticas, et pernicioſas, quibus ſanguinis miſſionem profuiſſe legimus, ex eo natas fuiſſe, quod vel ſanguinis miſſio perperam omiſſa ſit inter initia, vel non ſatis ſanguinis detractum ad eas auertendas. Saepe enim parotides iſtae ſanguineae, vt TRALLIANO vocantur, ſunt, et a phlogiſtica ſanguinis diatheſi, cum qua crebro malignae febres quibuſdam in conſtitutionibus complicantur, originem ducunt. Suſpicioni huic meae fauet ſanguinis miſſi conſideratio. Is enim, vt RIVERIVS ipſe teſtatum facit, eſſe ſolet *corruptus*, et *putridus*, id eſt, vt cum noſtris loquar, *inflammatorius*, *pleuriticus*, albo, et duro corio contectus.

§. CCCIX.

Sanguinis mittendi quantitas.

Quantum vero ſanguinis detrahi debeat, id prudentis, peritique medici eſt. In magna virium oppreſſione, aut imbecillitate tres, vel quatuor vnciae e venis brachii mitti poſſunt. Si his arteriarum motus reuiuiſcat, iterari aliquot poſt horis ſanguinis miſſionem licet ad eam quantitatem, quae opportunior videatur. Si quis tamen, cunctis rite penſitatis, non audeat venam ſecare, hirudines tumori circum admoueat, ſicque dolorem leniat, ſuffocationiſque periculum arceat. A ſangui-

nis missione detumescit parotis, dolor imminuitur, caput releuatur, spiritus liberior redditur, sed non semper tumoris resolutio consequitur. Suppuratio enim, sed mitior, et melioris notae eius locum tenet, quod minime malum est. Quando vero nulla suppurationis futurae signa se produnt, aut parotis symptomatica est, vt eam resoluere vtilius videatur; post sanguinis missionem leniter, et sensim tam internis, quam externis remediis resolutio tentanda est, quo spectat etiam omne revulsionum genus. RIVERIVS postero a venae sectione die catharticum medicamentum propinabat. Sic enim optimo effectu non modo reuellebat a superioribus partibus, sed etiam morbificae caussae portionem e corpore eiiciebat. Aperientibus quoque, et diureticis vrinas ciere proficuum est; itemque iis vti, quae saliuam mouent, exspuitionemque proliciunt, et leniter gargarizare, vt glandulae omnes in os hiantes vberiorem humorem eructent. Extrinsecus emplastrum ex cicuta, aut vnguentum arthanitae, aut sapo lacti incoctus, aliaque resoluentia mitiora locum habent. Perspiratione etiam sola interdum parotides resoluuntur; et quamquam per *diadochen* ortae sunt, si tamen lente, et paullatim euanescant, earum resolutio tum innoxia omnino deprehenditur. Contra si repente, et subito delitescant, periculum summum vitae imminet, nisi maligna materies per auctam aliquam excretionem emandetur. Tum vbi id timeri potest, attrahentibus et cucurbitulis impositis reuocandus tumor, aut exulcerandus illico locus est, et Cantharides, vt vesicam excitent, variis locis admoueri solent, aliaque reuellentia vtiliter adhiberi.

Resolutio quibus auxiliis procuranda.

Si subito retrocedant, reuocandae.

§. CCCX.

§. CCCX.

In hac febre ſuſpecta eſſe aluum ducentia ſupra monuimus (§. CCLXXXV.), vtpote quae diarrhoeas *colliquatiuas*, vix ſiſtendas facile arceſſunt. Morbo tamen ad finem vergente licet inteſtinorum ſordes blando eccoprotico medicamento, vti Rhabarbaro, Cremore Tartari, Myrobalanis, alioue ſimili ſubinde exturbare, interpoſitis pro re nata cardiacis, et paregoricis, vt nimia alui ſolutio praecaueatur. Sic enim non ſolum primae viae a recrementis morbidae materiae ibi depoſitis expurgantur, verum etiam efficitur, vt ſaepe febris ab initio continens demum fiat remittens, aut intermittens periodica, quae cortice peruuiano penitus exſtingui poſſit. *In fine morbi an liceat purgare?*

§. CCCXI.

Quod ad victus rationem pertinet, haec ea eſſe debet, quae ceteris acutis morbis conuenit, ſed ſimul reficiens vires, et reſtaurans. Haec ſola rite adhibita, et temporis ſpatium ſaepe magnam curationis partem implent. Plerumque pauperiores patientia, et ſola victus exquiſita ratione contenti, ſpretis quibuſcumque Medicorum pharmacis, felicius euadunt. Ad virium in primis defectum, quem malignior morbi fomes, aut nimia aliqua euacuatio affert, ſedulo reſpicere oportet. Vtendum igitur liquido, tenui, ſed reſtaurante alimento, quod etſi reſpuat aeger, ſaepius tamen id vel renitenti quaſi per vim ingeri debet. Nullibi enim magis nocet abſtinentia, aut tenuiſſima diaeta, quam in hac febre. BVCHANVS prae ceteris ad hunc finem quam maxime extollit vinum Burdigalenſe (vulgo *di Bordeaux*), narratque, aegros quaſi pulſibus carentes, continuo delirio affectos cum extremitatibus frigidis, aliiſque proximae mortis indiciis, data quotidie iſtius vini vitrea lagena, quam vocant *Bottiglia*, cuim *Victus ratio.* *Vſus vini vtilis.*

cum sero lactis, aut cremore hordei, aut auenae seruatos fuisse non paucos *a*). Interim quies cum animi, tum corporis, et perfecta tranquillitas imperanda. Cubiculi calor sit temperatus, nouoque subinde aëre admisso vetus halitibus, vaporibusque infectus emendetur. Calore enim, acrioribusque alexipharmacis, quibus nonnulli promouent, foventque sudorem, resoluitur aeger, non reficitur: Tanta autem vis aëris purioris, recentisque est, vt febris nautica, carceraria, et nosocomialis, aegris e nauibus, carceribus, nosocomiisue in salubrem locum transductis, mox saepe mitescat, et facilius, citiusque curetur.

Calor moderatus.

Aëris renouatio.

a) *Medecin. Domestiq. T. 2. chapit. 8. p. 167.*

§. CCCXII.

Quae species huc referri soleant.

Plures, quam opus est, a SAVVAGESIO species huiusce febris, siue *Typhi*, vt ipse vocat, propositas video. Species enim tertia, quae *Typhus comatosus* ab eo nominatur, siue *Febris maligna cum sopore* RIVERII *observ. ab Anonymo communicat. obs.* 4. ad differentiam spectat *febris lentae neruosae ex contagio* (§. CCLXXIX.), in qua calor idem semper fuit ab initio ad finem, et sexagesima demum die solutio contigit per sputa multa, et viscida. Species 2. eiusdem, siue *Typhus neruosus*; species 1., siue *Typhus carcerum;* spec. g, siue *miliaris nautica;* spec. h., siue *miliaris purpurata;* spec. 5., siue *Typhus castrensis;* spec. 6., siue *typhus aegyptiacus* a CVLLENIO *a*) *Synonyma potius, quam varietates habentur.* De *Typho hysterico verminoso* SAVVAGESII *spec.* 4., de *Typho exhaustorum spec.* 8., et de *Typho a Manipuera spec.* 9. idem CVLLENIVS dubitare videtur, cum de iis *non satis sibi liquere* moneat. At timeo, ne ipsemet CVLLENIVS ad Typhos multa febrium genera, quae a *Typho* maxime distant,

distant, ibi retulerit, sicque in idem vitium inciderit. Exemplo sit *Febris pestilens hectica* FORESTI *l. VI. obs.* 32., quae nequaquam *Typhi* species est, cum, ni valde fallor, manifestissime descriptionem eius legenti pateat, *Febrem gastricam malignam* eam fuisse, a qua continuitas continens, soporque, quae *Typhi* propria sunt, omnino aberant. Reliquarum febrium, perperam pro Typhis habitarum, discrimina, partim ex iis, quae hactenus posuimus, partim ex iis, quae deinceps dicentur, vt spero, elucescent. Epidemica febris anni 1779. a TESSIERIO descripta *b*) vere ad hoc lentae malignae genus spectat. *Cullenii error notatur.*

a) *Gen. morb. Cl.* 1. *sect.* 2. *Gen. V.*
b) *Mém. de la Soc. Roy. de med. vol.* 3. *p.* 23.

FEBRIS HECTICA *).

§. CCCXIII.

Febris *hectica* sic appellatur, quia totus corporis habitus in ea laborare a Veteribus credebatur. A calore enim praeter naturam in solidis partibus accenso, atque assidue in iis inhaerente eam gigni, olim putatum est. Febriculae autem quoddam genus est, continentis naturam seruans, sensim, et sine notabili virium iactura, et cum exigua pulsus frequentia diutissime perdurans, a pastu aliquantulum recrudescens, et maciem corpori summam demum inducere solitum. Hinc *habitualis* etiam a quibusdam, aut *lenta* nominatur. Distingui solet in *primariam*, quae sponte sine alio malo praecedente exoritur, et in *secundariam*, cui occasionem, et genesim praecedens alius morbus praebuit, itemque in *symptomaticam*, quae alterius morbi praesentis veluti effectus, aut symptoma est. *Primaria*, siue *essentialis*, siue *hectica simplex*, vt alii loquuntur, adeo raro occurrit, vt dubitari possit, an vnquam *Hecticae definitio.* *Primaria et Symptomatica.*

quam exsistat. Quam ob rem non defuerunt, qui eam prorsus negarint *a*). Ego, vt verum fatear, in toto meae praxeos curriculo non memini hecticam huiusmodi vspiam vidisse; neque vidit Cl. CVLLENIVS *b*), cui hectica *semper symptomatica esse* videtur, vel saltem plerumque talis, vt coniicit ex variis speciebus, quas hoc morbi genere *c*) complexus est SAVVAGESIVS **). At *symptomaticae*, quaecunque fuerint, ad *lentas remittentes*, amphemerinas, saepe anomalas, atque inaequales spectant, proindeque nullo modo pro veris hecticis, quae continentium in modum procedunt, haberi possunt.

*) *Synonyma.*

Hectica primae, et secundae speciei GALENI. *De diff. febr. l.* I. *cap.* 8. *et omnium* GALENICORVM. *Febrium lentarum prima species, hectica dicta* LVDWIGII *comm. Lipsi. vol.* 7. *part.* 3. *p.* 450. *Febris lenta* JVNCKERI, *Conspect. Med. Theor. Pract.* Tab. 69. et HOFFMANN., *Med. Ration. Systemat. T. IV. sect.* 2. *cap. XIII.* §. 2. NB. HOFFMANNVS, et JVNCKERVS *a febribus lentis*, quae apud ipsos non aliae sunt quam nostrae *hecticae primariae*, segregant *hecticas* sic ab ipsis dictas, vtpote *magis symptomaticas, et gravioribus vlcerationibus, vomicis, abscessibus, et viscerum corruptionibus* superuenientes; siue quod idem est, *hecticis primariis lentarum* nomen, *symptomaticis hecticarum* tribuunt. *Febris habitualis*, siue *hectica* JO. RAYM. FORTIS *de febrib. et morb. Mulier. pag.* 351. *Hectica κατ' ἕξιν iuxta habitum, seu habitualis* BELLINII, *de febrib. p.* 163. *op. T.* I. siue *P.* I. *ed. venet.*

a) Vid. PIENS *P.* 2. *de febrib. p.* 49. *et* ETTMVLL. *Oper. omn. T.* 2. *P.* I. *p.* 367. *b*) *Gen. Morb. cl.* I. *ord.* I. *sect.* 2. *Gen. VI. c*) *Nosolog. method. cl.* 2. *ord.* I. *Gen. V.*

**) Species hecticarum SAVVAGESII sunt Hectica *chlorotica, syphilitica, scrophulosa, a calculis, ab hydropibus, a vermibus, cachectica, a fluxibus etc.* quae omnes, vt patet, *symptomaticae* plane sunt, et praeterea *exacerbantes*, siue remittentes. Quam vero *infantilem* (*spec.* I.) vocat, ea cum charactere careat, vel *rachitica*, vel *scrophulosa*, vel *verminosa*, vel *mesenterica*, vel aliorum morborum symptoma CVLLENIO, mihique videtur. *Symptomatica* pariter sine dubio est,

eſt, quae phthiſim, vicera, abſceſſus, fiſtulas, ſcabiem, ſimileſque morbos ſubſequitur. *Hectica veſpertina* (*ſpec.* 2.) vix pro morbo haberi poteſt, neque hecticis accenſeri, quia continuitas aequalis, quae hecticae propria eſt, in ea deſideratur. *De hectica lymphatica* (*ſpec.* 12.), et *nervea* (*ſpec.* 13.) non liquere ſibi ait CVLLENIVS, et ſi liqueret, nemo tamen dixerit, *hecticas primarias* eas eſſe, cum omnes *lentae* quidem, ſed *amphemerinae* videantur.

§. CCCXIV.

Hectica primariae deſcriptio.

Attamen, cum GALENVS *a*) *Hecticam primariam* commemoret, nec *ſecundariae* mentionem omittat, cumque ETTMVLLERVS *b*) illam a clinicis obſeruatam interdum eſſe aſſeueret, aliique complures agnoſcant; non hic praetermittam eius deſcriptionem, qualem ab iis traditam inuenio, ſecundum graduum, qui in ea conſiderari ſolent, diuerſitatem. In tres autem gradus diuiditur. In primo gradu calor eſt valde mitis, et ne ipſis quidem aegris moleſtus; pulſus moderate celer, et frequens, ſed aequalis, et plerumque duriuſculus; vrinae non multum a naturalibus alienae. At calor, qui primo attactu mitis videtur, manu diutius, diligentiuſque exploratus acer, et mordax percipitur, magis praecipue circa arterias, et volas manuum, quam alibi. Fereque proprium, atque inſeparabile ſignum habetur caloris huius, crebritatiſque pulſuum a paſtu incrementum, nullo horrore, aut frigore, aut alio indicio praecedente, quod nouam febris acceſſionem praemonſtret. Vt vero certius diſcernatur, an a paſtu febris tantum inualeſcat, aut vera acceſſio ſit, quae caſu in eam horam incidat, mutandum eſt cibi ſumendi tempus, iſque dandus aegrotanti procul ab eo tempore, quo dari conſueuerat. Nam ſi hectica vere fuerit, exacta vna, vel altera hora increſcet calor, et pulſuum celeritas; id eſt anticipabit, vel cunctabitur

Tres eius gradus.

Hectica primi gradus.

bitur huiusmodi incrementum, prout ante, vel post cibus sumtus fuerit. Caloris autem augmentum istud, quoniam ab externa huiusmodi causa profluit, et breui deinde conquiescit, non videtur continuitatem continentem, quae febris huius praecipua nota est, immutare, ita vt ad febres remittentes transferri debeat.

a) *De diff. febr. l.* 1. *cap.* 8. vbi haec habentur: *Quae igitur febres hecticae appellantur duplici via ortum habent, magna quidem ex parte ex ardentibus* (imo ephemeris, quotidianis, aliisque, vt alibi (§. 204. 242. etc.) memoravimus) *febribus, quae tantum protrahuntur, vt longitudine temporis humorem in corpore cordis contentum consumant: vel fieri potest, vt eius adhuc magna portio reseruetur. Illae vero non tantum hecticae sunt, sed rabidae etiam. Quae autem manente adhuc humiditate generantur, vbi cordis corpus occupauerint, hinc maxime accenduntur, quemadmodum lucernae flamma ex ellychnio. Atque vna quidem a nobis exposita est earum febrium generatio. Reliqua autem est, quum statim ab initio innaserint similem primum sui ortum ephemeris facientes, aut ex tristitia, aut ira, aut lassitudine nimia vna cum solis feruore contracta.*

§. CCCXV.

Secundi gradus. Sed difficilius cognoscitur in primo, quam in secundo eius gradu. In hoc manifestior fit cutis ardor, aut calor; vires sensibilius minuuntur; corpus magis macrescit, nihilque ab alimentis reficitur; vrinae prodeunt rubicundae, sedimentum dimittunt, sursum efferunt cuticulam caeruleſcentem, aut oleosam ob fusam pinguedinem, quae per renes cum sero sanguinis elabitur, et lotio deinde supernatat. *Tertii gradus.* In tertio gradu corpus contabescit totum, et tanta macie extenuatur, vt ossa vbique promineant; squallet facies; tempora collabuntur; capilli defluunt; oculi incauantur, et quasi defixi haerent; nares acuminantur; cutis vniuersa exasperatur, atque arescit. Tum hectica, quia humiditas

omnis

omnis consumta videtur, *marasmodes* GALENO *a*) est. His interdum sudores colliquantes, in primis circa caput, et collum, nocturno potissimum tempore, aluique fluxus putridi accedunt, quibus vitae reliquum exstinguitur. Sed primaria, et propria signa habentur calor ab omni pastu post aliquot horas auctus, extenuatio corporis lenta, et pulsus celer, paruus, frequens, debilis, et subinde durus. Quae vbi concurrunt, hecticam iam adesse, aut imminere certo significant. Genarum autem rubores, aliaque, de quibus mentionem faciunt in hecticae historia scriptores, symptomaticae, et phthisicae magis propria sunt.

a) *L. c.*

§. CCCXVI.

Signa hecticae secundariae.

Hectica porro (§. CCCXIV.) isthaec internoscitur a *symptomaticis*, reliquisque *secundariis*, quod hae vel ab organico alicuius partis vitio, vti pulmonum, hepatis, lienis, pancreatis, omenti, renum, vteri, ventriculi, intestinorum, aut mesenterii, aliarumve partium, etiam exteriorum vlceribus, vomicis, abscessibus, fistulis, tumoribus, strumis, scirrhis, cancris, obstructionibus, vel ab aliqua peculiari corporis et sanguinis labe, vti scorbuto, lue venerea, cachexia, chlorosi, aliisque cacochymiae generibus ortum ducunt, accessionibusque vagis, atque erraticis inaequaliter exacerbantur, et coniunctas habent horumce morborum, aut affectionum notas. Differt praeterea a febribus colliquatiuis reliquis primariis, quod illae *acutae* et *vehementes* sint, non *lentae*, quod citissime incipiant, atque inualescant, et breuiore tempore suum cursum absolvant; et demum quod macies solum post ingentes euacuationes aegrotantem occupet; dum contra in hectica principium obscurum est, et longum, mitis, et parua febris, diuturna duratio, et macies

Quomodo discrimen appareat inter febres colliquatiuas et hecticas.

cies etiam sine notabili euacuationum excessu. To-
Quo differat atrophia? to autem caelo discrepat ab atrophia, aut Tabe neruosa, de qua alibi, quod in hac sine febri corpus marcescit.

§. CCCXVII.

Caussa proxima. Quid de huiusce febris proxima caussa senserint Veteres, alibi (§. CCCXIII. et CCCXIV.) exposuimus. A veteribus non longe discedit BELLINIVS *a*), cui videtur esse *intemperies calida, et sicca partium solidarum, humiditatem ipsarum roridam, vel substantiam carnosam, et adiposam, vel membranosam, et fibrosam* pro triplici eius gradu absumens. Dubium tamen est, num calor iste praeter naturam, et siccitas caussa sit febris hecticae, an effectus? Vtrumque enim esse posse, pro rerum diuersitate crediderim. Nam et sanguis phlogisto onustus atque acer calorem, et febriculam mouere potest, et febricula ipsa calorem acrimoniae extricare, atque euoluere. Quibus veterum loquendi ratio non probatur, *dyscrasiam sanguinis acido salsam, et acrem* cum nimio eius lentore *coniunctam* accusant *b*); alii *acrimoniam alkalinam*, et *rancidam* saepe in hac febri reperiri, ex phaenomenis, quae eam comitantur, coniiciunt, *siue illa sit* eius *caussa, siue sit effectus c*). In vniuersum omnes in eo conueniunt, vt eam a sanguine et lympha acri procreari *d*) putent. ERID. vero HOFFMANNVS vt in hecticis symptomaticis *humorem quendam corruptum, et putridum, qui temperatae, et naturali sanguinis et humorum vitalium mixtioni penitus est aduersus*, peccare, sic in primariis, quas ipse *lentas* nuncupat, variam esse originis caussam existimat *e*), cum experientia compertum sit, ex plurimis manifestis, siue procatarcticis caussis non parum inter se diuersis eam exoriri. Fatendum tamen est, per eas omnes, vt ex earum proxima recensione apparebit, sangui-

nem

nem blanda, et naturali sua indole, et mixtione priuari.

a) *De Febrib. mihi pag.* 162.
b) ETTMVLL. *Oper. T.* 2. *P.* 1. *pag.* 368.
c) SCHACHT *Instit. Med. Pract. cap. VI.* §. *V.*
d) LVDWIG. *Comm. Lipsi. vol. VII. P.* 3. *p.* 450. *etc.*
e) *Med. Rat. Syst. sect.* 2. *cap. XIII.* §. 3. 4. *et* 5.

§. CCCXVIII.

Antecedentes igitur, et procatarcticae causſae calorem huiusmodi hecticum inferunt, vel quod *plurimum substantiae in partibus solidis* absumunt, vel quod *maximum calorem* excitant, vel quod *utrumque praestare possunt a*), vel quod in corpore aliquid retinent, quod excerni, ne noceret, debuisset. Tales sunt diuturnae, atque insignes euacuationes, diarrhoea, dysenteria, diabetes, ptyalismus, gonorrhoea, fluor albus, seminis nimia et frequens profusio, sudores immodici, copiosiora sanguinis per vterum, anum, nares, aliasue partes profluvia; fames; assidui labores; exercitationes nimiae; vigiliae; animi curae; lucubrationes; studiorum intemperantia; febres ardentes, acutae, contumaces intermittentes, aliaeque quaeuis continuae; variolae; morbilli; euacuationes criticae, aut consuetae deficientes, retentae, aut improuide cohibitae; et demum habitus corporis calidior, et siccior; aëris, et regionis constitutio calida, et sicca; liquorum inebriantium, aut alimentorum acrium, et calefacientium abusus; melancholicae affectiones; nostalgia; furor; amor. His accenseri quoque debet mala ciborum digestio, vt frequentissima huiusce febris causſa, neruorumque nimia debilitas, quibus ciborum coctio, chylificationisque perfectio aut chyli in succum dulcem, atque alibilem conuersio, aut huius assimilatio, atque appositio impeditur *b*). *Causſae antecedentes.*

a) BELLIN. *l. c.* *b*) Vid. HOFFMANN. *l. c.*

Prognoſis.

§. CCCXIX.

Omnis hectica febris per ſe valde diuturna eſt, et difficilis curationis, et plerumque poſt lentam, longamque conſumtionem morte finitur. Generatim *primaria*, ſiue *ſpontanea*, ex peruerſo ſex rerum non naturalium vſu in primis genita, nondum inueterata, corpore bene conſtituto, minus periculi habet. *Secundaria* (§. CCCXIII.) ardentibus, diuturnis, aut aliis acutis febribus ſuccedens difficilior curatu, et periculoſior paſſim cenſetur; non ita vero, quae haemorrhagiis, aliiſque euacuationibus nimiis ex cauſſa euidenti natis ortum debet; nam facilius arte diſcutitur. *Symptomatica* demum, ſi ab alicuius viſceris vlcere, aut alio incurabili vitio dependeat, omnium difficillime ſuperatur, excepta ea, quae lui venereae, ſcorbuto, cachexiae, ſimilibuſque humorum tantum vitiis ſuperuenit, cuius interdum curatio poſſibilis perhibetur. Praeterea primus hecticae gradus ſpem aliquam facit; alter plus difficultatis exhibet; tertius plane lethalis eſt. Aetas quoque variam prognoſim ſuppeditat. Iuniores, viſceribus ſanis, et firmis praediti, ceteris paribus, facilius; adulti difficilius, et ſerius; ſenes, quocumque modo ſe habeant, fere nunquam *a*) euadunt. Non raro *hectica primaria* in phthiſim pulmonarem, alioſque viſcerum morbos terminatur. Pedum, et crurum oedemata, quae prouectiori malo ſaepe aduenium, conclamatum eſſe de aegri ſalute, paſſim indicare creduntur. Funeſtior item hectica eſt iis, qui temperamento, et habitu calidiore, ſiccioreque donantur, quam humidioribus, toroſioribuſque.

a) ETTMVLL. *l. c.*

Curatio.

Curatio.

§. CCCXX.

Quam primum ad hecticam curandam aggredimur, diſpicere oportet, num *ſymptomatica* ea ſit, an vero *ſpontanea* et *primaria*, aut *ſecundaria*. In ſymptomatica, vt patet, morbo principi, cuius ſymptoma eſt, omnis curatio adhibenda eſt, et pro eius diuerſitate varianda, prout alibi opportune dicetur, cum de morbis, quibus lenta febris accedit, ſermo erit. In *ſpontanea*, ſiue *primaria*, itemque in *ſecundaria ſimplici* generatim nimius calor temperandus eſt, acrimonia quaeuis obtundenda, aut emendanda, lentor humorum, ſi quis eſt, diluendus, ſolidarum partium ſiccitas humectanda, exſuccum, macreſcenſque corpus idoneo alimento reſtaurandum, debile, et laxum firmandum, omniſque cruditas a laeſa coctione ciborum auertenda. Quare vt opportune haec fiant, ad cauſſas reſpicere oportet, a quibus febris inducta eſt, et pro earum ratione aliud, atque aliud medendi genus adhiberi opus eſt. Itaque ſi nimiae euacuationes corpus exhauſerint (§. CCCXVIII.) humoreſque non ſolum inopia, verum etiam acritate laborent, cibis eupeptis, et remediis nutrientibus parca manu, ſed crebro datis, atque acrimoniae peculiari aduerſis vti conuenientiſſimum eſt. In his iura carnium tenuiora, atque oua ſorbilia, ſed in primis lac aſininum, deinde vaccinum excellunt. In lactis vero vſu probe curandum eſt, vt primae viae liberae et purae ſint, vt acida omnia exulent, vt e mammis recens eductum ſumatur, vt a parua quantitate initium eius fiat, paullatimque augeatur, carnes vitentur, et praeter lac vix aliud alimentum praebeatur. Si lac nequaquam feratur, ei ſubſtitui poſſunt cremores oryzae, aut auenae, aut hordei,

Indicationes generales.

Curatio hecticae a nimiis euacuationibus.

iura ranarum, teſtudinum nemorenſium, cancrorum fluuiatilium, viperarum, emulſa ex amygdalis dulcibus, et ſimilia. Quoniam vero ſaepe ex nimiis euacuationibus viſcera, et reliquae ſolidae partes eneruantur, idcirco intermiſcenda nutrientibus ſubinde ea ſunt, quae leniter roborant, et firmant. Paullatim vero ciborum quantitatem augeri neceſſe eſt.

§. CCCXXI.

Curatio hectica a motu nimio, et calida acrimonia.

Quod ſi exercitationes immodicae, curae, vigiliae, inedia, aut febrium acutarum ardor humores diſſlarint, ignis vim auxerint, acrimoniamque calidam, ſiue *alkaleſcentem* inuexerint; tum ſerum lactis; decocta cichorei, auenae, hordei, acetoſae; ſucci vegetabilium acidorum, aut aceſcentium; ſpiritus vitrioli potibus ad gratam aciditatem inſtillatus; balnea aquae dulcis tepida (nam nihil aqua ad phlogiſton contemperandum, trahendumque praeſtantius); blandae poſt balnea illinitiones, vt nimia perſpiratio, aut ſudor coërceatur; ruſticanus aër, ad humidum quodammodo vergens, et purus; victus humidus, et refrigerans praecipue indicantur. Vbi morbus a ſuppreſſis conſuetis euacuationibus, aut a retenta, aut cohibita critica materie originem duxit, illae omni cura reuocentur; haec contemperetur, atque ad excretionem proliciatur. Quo ſpectant diluentia, edulcantia, aperientia, et leniter diaphoretica, vti ſunt ptiſanae, decocta, et iura purificantia vulgo dicta.

Hecticae a ſuppreſſis euacuationibus.

§. CCCXXII.

Hecticae a laeſa chyloſi.

Cum vero a dyſpepſia, ſiue mala alimentorum coctione, ſordibuſque primarum viarum, quod frequentiſſimum eſt, hectica gignitur, aut febribus inter-

intermittentibus diuturnioribus succedit, tunc plus emolumenti affert emesis, et blanda alui ductio, subinde iterata, quam sexcenta alia. Post purgationem per epicrasim institutam amaricantia stomachica, et roborantia conueniunt, vti infusa, aut decocta radicum taraxaci, cichorei, valerianae syluestris, herbae absinthii, agrimoniae, centaurei minoris, corticum aurantiorum, cascarillae, quassiae, chinae chinae, quibus demum adiici aliquid potest ferri, aut chalybis, aut aliqua ex eo mitissima praeparatio, quale est *specificum stomachicum* POTERII, etsi hodie, sed immerito, fere obliuioni traditum sit. Aquae item acidulae, ferratae dictae, vti Spadanae, Pyrmontanae, Recobarienses, Mauritianae, aliaeque similes parua, et continuata diu copia sumtae mira hoc in casu praestant.

§. CCCXXIII.

Celebre olim fuit *Antihecticum* POTERII, quo bis in die cum conserua rosarum rubrarum dato non paucae hecticae febres cum phthiseos pulmonaris suspicione curatae feliciter dicuntur *q*); nec fortasse omnino contemnendum remedium est. Non desunt etiam qui ad calorem hecticum extinguendum, lymphaeque acritates mitigandas saccharum saturni, variasque ex plumbo tincturas extollunt. Sed saturnina quaeuis noxia, et venefica a prudentioribus reputantur *). Sanguinis quoque missionem plerique reiiciunt, nec iniuria. Interdum tamen inter initia, morbo non adhuc adulto, viribus constantibus, pulsu duro, validoque exsistente, in sanguineis, habitioribusque aegrotantibus, quibus praesertim euacuatio aliqua consueta defecerit, aut sanguis vehementius ferueat, ea, dummodo parciore manu, et potius iteratis

vicibus inſtituatur, opportuniſſima ad iugulandum veluti in ipſo initio morbum eſſe poterit. Quod ſi hectica iam ad tertium gradum peruenerit, nullaque fere ſpes ſuperſit, *palliatiua*, vt aiunt, *cura* vtendum dumtaxat eſt, ſymptomatibuſque, quoad fieri poteſt, rite, prudenterque obſiſtendum.

a) PETR. POTER. *inſign. curat. et ſingul. obſeruat. cent.* I. *cap.* XXIII. *cent. III. cap. XIX. cap. XX. cap. LXXVIII. cap. LXXXIII.*

*)' Saturnina medicamenta veneni lenti inſtar agunt, et tabe vplurimum glandulari, ſiue ſtrumoſa conficiunt. Colicas atrociſſimas a ſaturni ſaccharo, et a tinctura antiphthiſica Garamanni natas exemplis, et obſeruationibus ſuis confirmat TISSOTIVS (*De colica Saturnia.*).

PARS TERTIA.

DE FEBRIBVS CONTINVIS REMITTENTIBVS.

§. CCCXXIV.

Medium quaſi locum inter febres *intermittentes* (§. LXIV.) et *continuas continentes* (§. CXCIV.) obtinent *continuae remittentes*, cum neque vllum integritatis interuallum habeant, neque vna, et continuata acceſſione, ſed ex pluribus et manifeſtioribus, quam in *continuis continentibus* eſſe ſolent, veluti compoſitae decurrunt, donec ad finem, perfectamque ſolutionem perueniant. Statis enim quibuſdam temporibus, et certis interuallis exacerbantur, et nouas quaſdam acceſſiones ſubeunt, iterumque poſt aliquot horas paullatim remittunt ſe ſe, et pacatiores factae miteſcunt; qua alterna incrementi, et decrementi viciſſitudine ſua ſtadia proſequuntur, quin tamen vacuum ſpatium inter huiuſmodi circuitus relinquatur vllum. Hinc *compoſitae* a quibuſdam vocantur, ab aliis *continuae proportionales*, aut *continuae periodicae*, quod circuitus obeant periodis intermittentium ſimiles, aut etiam *continuae in ſpecie a)*, a Graecis vero συνεχέες, et συνεχεῖς. MORTONO *b)* placuit eas *continentes* nominare, alia prorſus vocis vſurpatione, quam communiter ab aliis accipi ſoleat. At aequiori iure a pleriſque *Remittentes* dicuntur.

Synechees et Synecheis.

a) SENNERT. *de Febrib. l. 2. c. 13.*
b) *Oper. T. 2. De Febrib. exercit. 2. c. 3.*

§. CCCXXV.

Differentiae. Praecipuae earum differentiae ab excandescendi modo, et periodo desumuntur. Hinc aliae *quotidianae*, aliae *tertianae*, aut *quartanae continuae*, tam *simplices*, quam *duplices*, *triplicesque*, aut *continuae erraticae*, *et vagae*. Non nulli ad *Remittentium* ordinem reuocant *subcontinuas* (§. LXIX. LXXI.) et *subintrantes* (§. LXXI.) TORTII, itemque eas, quae ex continua, ac intermittenti, aut ex continuis varii generis vna implicitis coalescunt; quaeque rectius, aptiusque a nobis, aliisque *proportionatae* appellantur. Quia autem de *subcontinuis*, et *subintrantibus veris*, quae origine, aut natura ad *intermittentes* plane pertinent, alibi iam actum est, et quia *proportionatas*, siue *complicatas*, et *complexas* a reliquis secernere, et peculiari tractatione comprehendere consultius, opportuniusque nobis visum est; ideo hic solum de legitimis *Remittentibus*, proprieque dictis sermonem habebimus.

§. CCCXXVI.

Comparantur remittentes cum aliis similibus. Etenim *verae remittentes* natura sua, et prope insita vi, vel ab ipsomet exordio, continuae sunt, et quoddam veluti *continentium spuriarum*, vt non nulli opinantur, genus constituunt. Nam in his singulae accessiones, praesertim si hybernum tempus sit, se se produnt maiore corporis aestu, et calore *); procliuitate in somnum, capitis dolore, aut saltem grauitate, coloratiore facie, et pulsu sensim pleniore, et vehementiore facto: remissiones vero obscurius omnino fiunt, cum in ipsis pulsus parum subsidant, parumque caloris gradus minuatur, nullus sudor, aut vix sensibilis, et nulla alia boni ominis excretio subsequatur. Contra *subcontinuae*, atque eae, quae ob anticipantes accessus, et longiores circuitus *subintrantes*, vt vocantur, euadunt,

euadunt, ab initio ſaltem intermittunt, manifeſtiora tum ingreſſus, tum remiſſionis praebent indicia, et ſudore, vrinaque vel copioſa, vel lateritia emiſſa miteſcunt, neque aliam curationem exigunt, quam quae *veris intermittentibus*, a quibus permanant, accommodata eſt. *Proportionatae* demum differunt a *Remittentibus*, ex eo, quod conſtantiorem, maioremque continuitatis, et magnitudinis gradum habent, quam *ſubcontinuae*, et *ſubintrantes*, et ſimul tamen manifeſtiorem quamdam periodi rationem offerunt, quam ſimpliciter *remittentes*. Praeterea *remittentes* matutinis plerumque horis ab intenſione ſua ſolent laxari, et miteſcere, et pomeridianis, aut circa veſperam tantummodo exaſperari, et inualeſcere: quod non adeo fixum, ratumque eſt in *ſubcontinuis*, *ſubintrantibus*, et *proportionatis*; quia harum circuitus non vno, ſed alio, atque alio tempore recurrunt.

*) Scire autem conuenit, acceſſiones remittentium febrium, quanquam vt plurimum maiore corporis aeſtu, et calore, vt dixi, ſe prodant; tamen primo die, atque interdum ſecundo a frigore, aut horrore, ſicuti pleriſque aliis febribus continuis grauioribus contingit, incipere et ipſas ſolere; imo quandoque horrores non modo initio acceſſionum, ſed etiam in earum augmento fieri, et quaſi erratice redire per aliquot dies, et demum iterum euaneſcere. In continua remittenti quotidiana autumnali, atque hiemali ann. 1782. et 1783., quae diuturna fuit, et ſaepe ad quadrageſimam diem protrahebatur, circa decimam ſeptimam, aut vigeſimam morbi diem, modo citius, modo ſerius huiuſmodi horrores accedebant non modo in exacerbationum initio, verum etiam in earum augmento, ſaepe cum ſpaſtica faucium, et pectoris conſtrictione coniuncti, atque ibant, et redibant per aliquot dies, quin tamen exitium afferrent.

§. CCCXXVII.

Cauſſa, vt aiunt, materialis harum febrium fere eadem videtur ac *continentium*, ſed aliquo modo parcior, *Cauſſa.*

parcior, aut inaequalior, ita vt nec tanta, nec talis sit, quae ad eundem febrilem motum pari vi, atque vniformi vigore sustinendum valeat; siue id fiat originis loco, et sede, siue in sanguinem influendi ratione, siue successiua, et periodica eius euaporatione, siue quocunque alio modo se habeat. Non dissimulauero tamen, quosdam esse, qui contra persuasum sibi habent, caussam eiusmodi natura ipsa non nihil accedere ad eam, a qua febres intermittentes gignuntur; eo quod *Remittentes* interdum, postquam aliquamdiu se protriuerint, continuitatem amittere, et sensim *intermittentes* fieri obseruarint. Verum quando sic permutantur, probabilius videtur, eas *proportionatas* potius fuisse, quam *remittentes* simplices, et puras; cum hae numquam fortasse in veras intermittentes desinere visae sint, aut si intermittentibus similes paullatim fiant, cortici tamen peruuiano pertinaciter reluctantur, quod verae intermittentes haud facerent; atque adeo inter vtrarumque caussam proximam, materialemque discrimen non leue intercedere.

§. CCCXXVIII.

Coniecturae. Itaque verosimillimum est, vel a primarum viarum saburra, vel a succis earumdem deprauatis, vel a glandulis conglobatis, totoque vasorum lymphaticorum systemate, vel a cellularis telae loculis aliquid subinde, et statis temporibus in sanguinem infundi, vnde hae febres non modo excitentur, verum etiam foueantur, et nouis veluti accessionibus identidem recrudescant. *Differentiae.* Pro vario porro caussarum remotarum, quas deinceps opportune recensebimus, genere, atque ingenio, pro diuerso aetatis, temperamenti, habitus corporis, aliarumque circumstantiarum ratione, aut concursu *benignae*, vel *malignae; purae, simplices, periodicae, regulares*, vel *anomalae*,

anomalae, *erraticae*, et *complicatae*; *mitiores*, vel *grauiores*; *gaſtricae*, vel *venoſae*; *bilioſae*, vel *ſanguineae*; *putridae*, vel *inflammatoriae*, vel *lymphaticae*, et *catarrhales*, vel multifariam *mixtae* *) eſſe poſſunt; quas quidem nequaquam omnes pertractare animus nobis eſt, nam infinitus propemodum numerus nos obrueret, ſi ſingulas ad cauſſarum omne genus, omnemque ſanguinis, et corporis conſtitutionem expendere, et deſcribere vellemus: ſed ex his praecipua et frequentiora genera adducere contenti erimus, vt ad reliqua cum diſtinguenda, tum curanda planior quodammodo via aperiatur.

*) Praetermittere hic nequeo, Cl. BVCHANIVM (*Medic. domeſt. T. 2. chap. XI. p. 215.*) verba feciſſe de *febre remittente*, vti ipſa eſſet genus quoddam peculiare, non claſſis. Sed videtur varias ſpecies vna ſimul confudiſſe, aut ſaltem *proportionatam*, quam indicaui, praecipue delineaſſe; quod luculentius oſtendam, cum de *febribus proportionatis*, ſiue *complicatis* ſpeciatim dicendi erit locus.

FEBRES QVOTIDIANAE CONTINVAE.

ET PRIMVM QVOTIDIANA CONTINVA VETERVM*).

§. CCCXXIX.

Deſcriptio. Quotidiana continua, Barbaris *latica* etiam dicta, quod latentem et quaſi abſconditum calorem foueat, ſingulis diebus, vt par eſt, recrudeſcit, et ſe ſe remittit; numquam vero aliquam inter quaslibet acceſſiones, quae gradu, modo, hora ſibi quam maxime affines eſſe conſueuerunt, integritatem relinquit, niſi morbo penitus deuicto. Phlegmaticos, ſenes, pueros, infantes, et foeminas humidiores

midiores affligit, et prae ceteris homines corripit otio, crapulae, longiori somno, aut victui duro, crudiorique deditos, aut loca humida incolentes, aut obeso, pituitosoque corporis habitu praeditos. Quo fortasse factum est, vt Veteres eam a pituita in sanguine accumulata et putrescente proficisci putauerint, ideoque febrem *pituitosam*, aut *phlegmaticam* illorum complures appellauerint. Nec ab horum sententia valde discrepare videntur neoterici scriptores, qui eius caussam in mucosa, viscidaque colluuie primas vias aeque ac reliquum corpus obruente, atque acritudinis, aut corruptionis gradum quemdam adepta posuerunt. Hinc quidquid seri, et lymphae copiam, lentorem, tenacitatem augere; fibris vero laxitatem, atque atoniam inducere, aut aqueorum humorum motum retardare potest, id omne caussae remotae, et proëgumenae loco habere non dubitant; cuiusmodi sunt aetas in primis senilis, temperamentum phlegmaticum, tempus hiemale, suppressa perspirabilis humoris, aut pituitosi cuiusque excretio, victus ratio humida, et frigida, atque alia huiusce generis.

Caussa materialis.

*) *Synonyma.*

Quotidiana continua SENNERTI, *de Febrib. l. 2. cap. XIV. et plerorumque. Febris phlegmatica periodica* AVICENNAE, *de Febrib. cap. 46. Febris phlegmatica, vel amphimerina, vel quotidiana continua* NICOLAI NICOLI, *de Febrib. Quotidiana continua in specie* ETTMVLLERI, *Oper. T. 2. Colleg. Pract. p. 357. Febris lymphatica primaria* ETTMVLLERI *Colleg. Consultat. casf. XXXI. p. 1459.* Amphimerina* SAVVAGESII, *Nosol. method. cl. 2. ord. 2. Gen. IV.*

* Lymphaticas primarias duplicis generis habet ETTMVLLERVS, alteras nimirum sine praecedente vllo morbo, et sponte ortas, alteras, quae conualescentibus, et speciatim iis, qui febribus intermittentibus diu laborarunt, ob pleniorem cibum, quo se repleuerunt, superueniunt. Vtraeque quotidianae continuae veterum perfimiles sunt,

atque

atque a lympha viſcida, et, vt ipſe ait, acida repetuntur; ſiue, quod idem eſt, a ſuccis lentis, crudis, male elaboratis, nempe pituitoſis; eodemque curationis genere tolluntur.

Diagnoſis.

§. CCCXXX.

Praeter caloris, et febris continuitatem, et praeter manifeſtas intenſionis plerumque circa veſpertinum, remiſſionis vero circa matutinum tempus viciſſitudines, id habet peculiare, et proprium *Quotidiana continua*, vt ſine frigore, et horrore inualeſcat, et ſine pariter ſudore remittat; quam ob rem facile a *ſubcontinuis*, a *ſubintrantibus*, aut etiam a quibuſdam *proportionatis* diſtinguitur. Et, ſi quando aliquis frigoris ſenſus in acceſſionibus, aut ſudor in remiſſionibus percipitur, leuiſſimus ſane vterque eſt, ſic, vt alter leuiſſimae pedum perfrigerationi, aut aurae frigidiuſculae cutim occupanti; alter madori, quo caput, aut collum, aut aliqua ſingularis pars humeſcit, perſimilis potius ſit, nec in ſingulis deprehendatur. Calor in ea primo attactui ſe mitem oſtendit, ſed paullo poſt, manu diutius corpori applicita, acriuſculum, atque inaequalem. Pulſus, etſi frequens, et febrilis ſemper ſit, rarior tamen, tardior, et minor offenditur, quam in aliis febribus acutis, et continuis. Facies tumet aliquantum, et laxa, et ſubliuida apparet. In ſomnum aegri propendent. Vrina emittitur, teſte RIVERIO, initio alba, aquoſa, et perturbata, deinde craſſior, et non nihil rubra, ſed non ita, vt in febribus acutioribus. Sitis non vrget, niſi peculiaris humorum acritas, aut tanta lymphae craſſities, aut ſanguinis lentor tantus adſit, vt ſalivae ſecretione imminuta, aut deprauata os, et fauces areſcant, et tunc ſaepe lingua albo, et viſcido muco foedatur. Neque demum cetera febrilia ſymptomata vehementius deſaeuiunt.

§. CCCXXXI.

§. CCCXXXI.

Haec autem quotidianae purae, et regularis propria ſunt. Si vero cum ea diatheſis inflammatoria, aut cacochylia primarum viarum, aut malignitas complicetur, aliquantum ſymptomata variari ne-

Variatio ſi complicata ſit.

ceſſe eſt. In primo caſu pulſus validior, maior, frequentior, et durior; calor, et ſitis intenſior; facies rubicundior; vrinae ſaturatiores; reſpiratio grauior, et difficilior; capitis dolor pulſans, atque interdum peruigilium, primis ſaltem diebus, morbum exacuunt. Idque potiſſimum in quibuſdam conſtitutionibus, quae inflammatoriis affectibus inferendis accommodatae magis ſunt, in temperamentis ſanguineis, aetate florente, et vegetiore contingit. Quod ſi hac febrem dolores capitis, colli, aut crurum, aut alicuius partis, puta brachii, humeri, manus, comitentur, atque in acceſſionibus exacerbentur, quia tum rheumatiſmi non nihil particeps videtur, nomen rheumaticae, ſiue rheumatiſmicae a multis, nec inepte ei tribuitur. In altero oris ſapor deprauatur, aut amareſcit; cibi faſtidium, et nauſea, aut vomitus, et crebri ructus, et flatus vexant; hypochondria cum epigaſtrio tument, grauantur, et borborygmis perſtrepunt; facies, oculique flauent; et venter ſaepe liquidior eſt, foetidaque excrementa dimittit. In tertio denique vires ſummopere languent ſine manifeſta cauſſa, pulſus inaequaliter micant, tendines ſubſiliunt, mens obfuſcatur, et tetris ſomniis aberrat, dum interim exigua febris eſſe videtur, et calor mitis, et vrina ſanorum ſimilis, et ſic porro. Sed in primis tum ad miaſma aliquod putridum ſuſceptum, aut ad epidemicam conſtitutionem ſedulo reſpicere oportet, vt certius iudicium fiat. Quando autem ex huiuſmodi ſignis malignam naturam in ipſa cognoſcimus, tunc vix ea differt a *febre remittente maligna*,

maligna, neruosa dicta, de qua infra (§. CCCCXXXVI.) plura dicemus, ac proinde pro vna, eademque sumi posset. Reliquas vero differentias (§. CCCXXVIII) facile per se quisque dignoscet, si animum aduerterit ad ea, quae supra non semel inculcauimus.

§. CCCXXXII.

Quoniam vero *quotidiana continua* lento passu incedit, et durationis longitudine, symptomatumque lenitate quandoque *hecticam*, si minus primariam, symptomaticam certe, praesse ferre potest; nunc qua ratione discerni possit, etiam dicendum est. In hectica calor, qui alioquin aequalis est, a pastu tamen increscit, et post aliquot horas ad pristinum gradum reuertitur. In quotidiana vero, etiam si nihil cibi assumtum fuerit, aut iam multum temporis post captum cibum praeterierit, vespere tantummodo intenditur, et ad mediam vsque noctem inualescere pergit; deinde sensim mitescit ita, vt mane temperatissimus videatur. Pulsus in hectica durus, et contractus saepe est; in quotidiana mollis, et latus. Cutis in illa squallet, et resiccatur; in hac nequaquam. Hectica primaria *continentium*, quotidiana continua *remittentium* morem, et naturam sectatur; et quamquam prior, vbi symptomatica est, accessionibus, remissionibusque suis propius ad quotidianae similitudinem accedat, ab hac tamen longe abest erratico typo, et alterius morbi praesentia, quem ea consequitur, et comitatur. Largiar vero, si vrgeas, amphemerinam, siue quotidianam continuam plerumque eam esse, sed symptomaticam, et vagam. Demum hecticam caussae antecedunt, quae valde calefaciunt, atque exsiccant; quotidianam contra quae refrigerant, laxant, augentque humiditatem.

Quo modo differat ab hectica.

Prognosis.

§. CCCXXXIII.

Longa, et curatu difficilis plerumque esse consueuit, atque adeo non prorsus vacat periculo. Quo magis corpus lentis, crassisque humoribus scatet, et quo hi tenacius cohaerent, vberiusque sanguinem inficiunt, aut canaliculos minimos penitius opplent, ac obstruunt, aut altius in glandulis, cellulis, membranisque coaceruantur, et lentescunt, eo diutius trahitur, pertinaciusque naturae, atque artis viribus obnititur. Quas ob caussas non vnum ei tempus est, quo finiatur. Nunc enim quadragesima tantum die soluitur, nunc demum sexagesima. Interdum etiam vltra hosce fines extenditur. Principium igitur morbi fere ad vigesimam vsque diem pertingit. Longior plerumque est, quae tardiori, mitiorique motu procedit, quaeque nulla humorum corruptione, aut acrimonia, aut bilis mixtione, vt veteres aiebant, incitatur. Citius contra ad finem ea perducitur, in qua plures subinde euacuationes sequuntur. Periculi vero differentiam faciunt ipsa symptomata. Si enim protinus ab initio vires vitae prosternuntur, et simul appetitus deficit; quoniam morbi diuturnitati ferendae impares aegri tum videntur; timeri profecto exitium potest; idque eo certius, quo viribus iam fractis, et deiecto appetitui longiores, grauioresque accessiones, et somni profundiores accesserint; nam coniicere hinc licet, non solum ventriculi sensum a pituitosa colluuie obtundi, sed cerebrum etiam ipsum eius copia obrui. Vbi autem ista procul absint, spes est fore, vt morbus feliciter terminetur. Maligna, epidemica, et cum putredinis signis coniuncta, lethalior est, quam benigna, sporadica, et pura. Imo tunc intra breuius, quam com-

communiter ſolet, ſpatium occidere etiam poteſt. Non raro diuturnitate hepatis obſtructiones, cachexiam, hydropem arceſſit, vel in hecticam ſecundariam migrat; in quam procliuior eſt, maiuſque diſcrimen affert illa, quae cum alicuius viſceris labe, aut alio peculiari morbo complicatur.

Curatio.

§. CCCXXXIV.

Cum in huiuſmodi febre pituitoſus humor abundet, et lympha lentore, et ſpiſſitudine peccet, mucuſque iners vbique excedat; et ſimul ſolidae partes laxitate, atque atonia laborent: mox liquet, liquores illos attenuandos, ſoluendos, excernendoſque eſſe, has excitandas, roborandas, firmandas. Sanguinis miſſio vix locum habet; niſi plethora, aut inflammatoria diatheſis praeſto ſit, aut aliquod graue ſymptoma ſuperueniat, quod eam requirat. Cucurbitulae ſcarificatae capitis dolorem, aut ſoporem egregie diſcutiunt, itemque fricationes, balneа pedum, epiſpaſtica, atque alia id genus reuellentia. Si vero profundior ſomnus teneat, cantharides occipiti, pone aures, brachiis, aut cruribus apponi debent. His enim tenax, viſciduſque humor non ſolum reſoluitur, verum etiam aliorſum auocatur, excernitur, ipſaeque vitae vires excitantur. *Indicationes.* *Remedia S. M. cucurbitulae, fricationes, balnea, Epiſpaſtica.*

§. CCCXXXV.

Purgantia tam initio morbi, quam per totum eius progreſſum ſubinde iterata cum primas vias a mucoſa ſaburra liberant, tum reliquam in vaſis contentam, et circumeuntem liquant, educuntque. Interdum tamen neceſſe eſt eam incidentibus, ſaponaceiſque medicamentis excretioni paratiorem reddere; quod in primis expedit, vbi ventriculus *Purgantia.*

muco tenaciori ſcatet; quin imo emeticis breuiori ſcilicet via, excutere; potui item dare, quae attenuant, aperiunt, atque euacuationem vrinae, ſudoriſque ſollicitant, qualia ſunt decocta ex radicibus aperientibus, aut leniter aromaticis, lignis blande ſudoriferis, aut herbis amaricantibus parata. *Sales.* Sales fixi lixiuiales glutinoſos humores omnes potentiſſime diſſoluunt; poſt hos veniunt ſales medii; *Incidentia.* liquor cornu Cerui ſuccinatus, ſpiritus MINDERERI, itemque ſpiritus, et ſales volatiles, oxymel ſimplex, aut ſcilliticum, Kermes minerale, et quam plurima huiuſmodi. At ſi cum hac febre complicetur diatheſis inflammatoria, aut malignitas, aut venenatum, putridumue miaſma, aliquantum profecto varianda curatio eſt, prout nempe complicationis genus, atque adiuncta ſymptomata poſtulare videntur. Tunc autem in memoriam reuocentur, quae ſupra variis in locis praecepta fuere. Victus porro ratio indicationibus reſpondeat. In vniuerſum tenuis, aperiens, blande reficiens ſit, oportet; neque in ea vinum penitus interdicendum eſt.

Epiala GALENI *de diff. febr. l. 2. cap. 6.*

§. CCCXXXVI.

Varietas quotidianae deſcriptae. Interdum quotidiana continua illud peculiare habet, vt vno eodemque tempore, qui ea laborant, calorem ſimul, et frigus querantur. Hanc ſpeciem GALENVS *Epialam* nominauit. Duplex autem a SENNERTO *a*) ſtatuitur, *vera* et *ſpuria*. Epialam *veram* a pituita acida, et vitrea, *ſpuriam* vero a pituita, et bile ſimul commixtis gigni, ſibi imaginatus eſt. Sed vt cauſſa meram hypotheſim ſapit, ſic huiuſmodi Sennertiana diſtinctio ſuperuacua omnino eſt. Qui vero calor, et frigus eodem tempore ab aegris percipiatur, non conuenit inter veteres ſcriptores. Si quid coniectura valeo, proba-

bile

bile equidem crediderim, frigoris potius ſenſum, quam verum frigus illud eſſe. Nam irritatis cutaneis neruis, intimeque ſpaſtice affectis talis idea in ſenſorio communi excitari poteſt, vt aegrotantes ſe frigere credant; mutato nempe ſic cerebri meditullio, quemadmodum mutaretur a vero frigore neruis applicito. Calorem porro ſimul, et frigus percipi, dum non omnes ſimul nerui per ambitum corporis diſcurrentes ſpaſtice afficiuntur. Illaeſis quippe ſenſus caloris, ſpaſmo vero correptis ſenſus frigoris inſideat, neceſſe eſt.

a) *L. c.*

§. CCCXXXVII.

Rara omnino eſt Epiala; cui curandae proponebant Veteres validiora attenuantia, incidentia, et cardiaca calefacientia; quia materialem cauſſam, ex qua oriri eam putabant, craſſiorem, et glutinoſiorem ſibi fingebant. Sed veroſimilius eſt, lentori frigido acrimoniam adiungi neruos peculiariter irritantem. Ceterum eadem propemodum ſeruanda ſunt, quae ad quotidianae continuae, ſiue *phlegmaticae* modo expoſitae curationem commendauimus; quamquam mitius purgare praeſtet in Epiala, quia in hac vires magis languent, nec fortiora cathartica facile ferantur. Quare id, quod vna vice effici non licet, partitis fiat, et lenibus medicamentis, quae aluum ducunt, et cauſſam obſtruentem, atque irritantem paullatim detrahunt.

Febris Syncopalis humoroſa Auicennae Lib. 4. Fen. 1. c. 53.

§. CCCXXXVIII.

Scire quoque intereſt, AVICENNAM duas *febris ſyncopalis* differentias inſtituiſſe, nempe ſyncopalem *minutam*, et ſyncopalem *humoroſam*, illam ex bilioſo humore, hanc ex pituitoſo genitam. Vtra-

que ſic nominatur ob ſyncopen, quae acceſſionibus ſuperuenit, diſtinguitque hanc ſpeciem a reliquis. Poſterior igitur, videlicet *ſyncopalis humoroſa*, cum in ea ob humoris pituitoſi copiam, et oris ventriculi debilitatem febre ingruente in ſyncopen aegri incidere credebantur, quotidianae in modum decurrens huc quoque ſpectat. Haec difficillima curatu habita eſt, quia neque purgationem, neque miſſionem ſanguinis ob virium defectionem admittit. Quare GALENVS ſolis frictionibus vtendum eſſe voluit cum ad morbificam materiam reſolvendam, tum ad eamdem euacuandam. Videtur tamen clyſteribus, blandiſque eccoproticis locum reliquiſſe, et, poſt prauorum humorum ſarcinam imminutam, ſicque periculum ſyncopes amotum, incidentibus, in primis oxymelli, hyſſopo, cinnamomo; et demum etiam alui ductioni, quemadmodum in quotidiana continua pituitoſa Veteres facere conſueuerant. Illud vero animaduertere debeo, quod ſyncopales eiuſmodi febres tam quotidianae, quam tertianae ſimiles, plerumque ſunt de genere intermittentium, et praecipue ſpectant ad *comitatas perniciоſas* TORTII, eodemque modo cito, et feliciter curantur. Quod ad victus rationem pertinet, parciorem eſſe volebant, atque ex alimentis tenuioris ſubſtantiae, et concoctu facilibus comparatam. Potui vero aut vinum, aut cereuiſiam, aut hydromel concedebant.

Quotidianae continuae ſymptomaticae.

§. CCCXXXIX.

Ad quotidianam continuam veterum, ſiue pituitoſam, aut phlegmaticam transferendae ſunt continuae ſymptomaticae a vitiis glandularum conglobatarum, et conglomeratarum, a ſtrumis, ſcrophulis, bubonibus, rhachitide, ſcorbuto, cachexia,

lue

lue venerea, aliaeque ab ETTMVLLERO lymphaticae dictae, aut a SYLVIO *a*) in *lymphaticas glandulares*, *pancreaticas*, *et saliuales* distinctae, itemque omnes *lentae*, siue *hecticae symptomaticae* (§. CCCXIII. CCCXVI.) siue phthisicae, vt passim nominantur. Harum autem curatio partim a morbi primarii, vnde oriuntur, partim a generali quotidianae pituitosae curatione desumitur. Est quoddam quotidianae genus ETTMVLLERI *b*), quod huc quoque pertinet. Id lue venerea laborantibus, vbi morbus ingraueſcit, aut vbi decoctis sudoriferis nimium, aut praepostere vtuntur, superuenire consueuit. In lue enim venerea lympha viscidior, acriorque peccare videtur, eaque glandulae saliuales, aliaeque partes, in primis circa guttur male plectuntur. Febris inde orta, etsi lymphatici generis, cum tamen ad phlogisticam diathesim vergat, exposcit sanguinis missionem, diluentia, temperantia, et demum mercurii prudentem vsum.

a) *Prax. med. l.* I. *cap.* 29. §. *VI.*
b) *Oper. omn. T.* 2. *Colleg. Pract. p.* 362.

FEBRIS CATARRHALIS *).

§. CCCXL.

Illud quotidianae continuae febris genus, quocum catarrhales capitis, narium, faucium pectorisue affectiones vel ab initio coniunguntur, aut quod eaſdem vt cauſſam, proxime subsequitur, *febris catarrhalis* passim apud clinicos scriptores nomen obtinuit. Nonnulli tamen, et praesertim Germanorum plerique huic denominationi notam addiderunt benignitatis, *catarrhalem benignam* eam appellantes, ne scilicet cum alia febre confunderetur, cui *catarrhalis malignae*, seu *petechizantis* nomen ab iis tribuitur, etsi, ni fallor, improprie, cum hac appellatione febrem epidemicam, et malignam naturae

Quenam catarrhalis benigna.

omnino diuerſae, alteriuſque generis, vti infra oſtendam, complexi eſſe videantur. Alii, vt GORTERIVS, et FRACASSINIVS pro *catarrhali* maluerunt *lymphaticam febrem* dicere; quod a ſeroſis, lymphaticiſque congeſtionibus defluxionibuſque circa caput, fauces, aut pectus recens obortis videretur proficiſci. Hoc tamen nomine aliam, vt patet, quotidianae ſpeciem deſignant, quam eodem deſignata fuit ab ETTMVLLERO. Is febrem a lympha craſſiori, et viſcida genitam, ſed ſine coryza, ſine gutturis, et faucium dolore, et ſine tuſſi intellexit; illi vero febrem ex eadem cauſſa natam quidem, ſed hiſce omnibus catarrhalibus affectionibus comitatam. Sunt demum qui *rheumaticam* a rheumate denominarint; rheuma enim continenter cum ea complicatur **).

*) *Synonyma.*

Febris catarrhalis benigna JVNCKERI *Tab. LXVII.* HOFFMANN. *de febr. ſect. I. cap. VI.* LVDWIG. *Inſtitut. Clinic. P. I. cap. I. ſubſect. I. §. 110. Febris lymphatica* GORTERII *Syſtem. Prax. Med. l. 3. titul. 4. n. 231. Febris lymphatica* FRACASSINII *De Febrib. ſect. 3. De febr. contin. lent. cap. 2. Amphimerina catarrhalis ſpec. I.* SAVVAG. *Noſolog.* cl. 2. ord. 2. Gen. VI. *Febris rheumatica* quorundam. *Catarrhus* aliis.

**) Quamquam haec febris ratione catarrhi morbis febrilibus adnumerari poſſet, placuit tamen cum pleriſque ſcriptoribus inter febres eam recenſere; quia non ſatis perſpectum videtur ſemper, catarrhusne princeps morbus in ea ſit, an vero potius, quoniam cum catarrho nexu ita perpetuo, arctoque febris coniungitur, ipſe pro cauſſa febris proxima ſtatui debeat, febris vero pro morbo primario; vt inflammatio pleuritidis, vt polypus palpitationis etc. Fateor tamen vltro, interdum catarrhum, rheuma, tuſſim ſine febri eſſe; tuncque minime ad febres ſpectare. Quandoque etiam febri coniungi, et modo hanc effectum, modo morbum principem eſſe. Quacumque tamen ratione accidat, cum febri iungitur, cur non in febrium numero collocetur?

Diagnoſis.

Diagnosis.

§. CCCXLI.

Tempore aequinoctiorum, praesertim autumnalis, ingentiumque aëris, et tempestatis mutationum, repentinarumque vicissitudinum plerumque exoritur febris catarrhalis, multosque aggreditur. Inuadit potissimum sub vesperam frequenti potius, et repetita horripilatione, quam frigore, et horrore, aut leui tantummodo extremorum refrigeratione, et quandoque etiam, vbi leuior morbus futurus est, sine vllo siue frigoris, siue horripilationis indicio. Mitis vt plurimum est, et postquam aliquot horis increuit, solet circa mediam noctem se se remittere. Remissio autem non solum ad matutinum tempus, verum etiam ad totam fere diem producitur, donec iterum vesperi ordinata periodo resurgat, et recrudescat. Praecedit, vel continuo subsequitur coryza, siue grauedo, catarrhus, sternutatio, lacrymarum profluuium, oculorum rubor, faucium phlogosis, et dolor, molesta laryngis titillatio, raucedo, tussis satis importuna, sicca plerumque, aut pauca, tenuia, saliualia excernens, raro mucosa, et crassa, toto morbi decursu excrucians, somnumque abrumpens, pectoris grauitas, dyspnoea, dolor tum dorsi, tum artuum omnium, tensionis, aut punctionis sensum inferens. Cum his saepe coniungitur cephalalgia, aut capitis grauitas, et debilitas, vniuersi corporis lassitudo, appetitus quandoque adauctus, quandoque, quod frequentius est, imminutus, gustus deprauatus, aut deficiens, et sitis. *Symptomata.*

§. CCCXLII.

Interdum euenit, testante JUNCKERO, cui suffragatur experientia, vt nedum ab horripilatione febris exordiatur, redeatque, primis nempe diebus, verum etiam ab horrido frigore, quo dimi- *Interdum incipit ab horrore, et frigore, ali-*

que aliis symptomatis.

diam, vel integram horam concutitur corpus, succedente calore primum miti, deinde acriori cum aliqua circa praecordia anxietate, aut etiam ad vomendum incitatione. Calor vero iſte tunc ita protrahitur, vt non, niſi altero mane deferueſcat; idque praeſertim plethoricis vſu venit, prima videlicet

Pulſus qualis.

febris acceſſione. Pulſus pro vario morbi tempore, et gradu, variaque aegri temperie, atque habitu varius eſſe conſueuit, ſed celer ſemper, et frequens.

Sudor.

Progrediente morbo ſudores erumpunt,

Sputum.

praeſertim in remiſſionibus, copioſi, et foetidi; pituita craſſa, et mucus e naribus emungitur; e faucibus, bronchiis, et pulmonibus magna concoctae materiae albae, et glutinoſae, interdum flauae, et puri ſimilis vis extuſſitur; aut diarrhoea inſuper cum vrina ſimul ſedimentum deponente ſuperuenit; quibus febris feliciter ſoluitur. Hinc facile huiuſce febris elicitur diagnoſis, veraque eius natu-

Catarrhus ſignum proprium.

ra. Non enim, vt monet experientiſſimus JVNCKERVS, rationi conſonum eſt, *febrem catarrhalem ibi arguere velle, vbi neque tuſſis, neque grauedo, neque raucedo, neque peripneumonia, neque eryſipelaceum quidpiam ſe ſe manifeſtat.* Qua animaduerſione rectiſſime corripiuntur illi, qui nomine *catarrhalis febris* abuſi ſunt, eoque aliud omnino, alienumque morbi genus ſaepe comprehenderunt. Nam quae vulgo dicitur *febris catarrhalis maligna*, aut *petechizans*, nullam ex notis ſupra relatis habet, vnde nomen accipiat, *catarrhaliſque* nuncupetur.

§. CCCXLIII.

JVNCKERO aliiſque non nullis huiuſmodi febris viſa eſt vna, eademque cum *quotidiana continua veterum*, de qua paullo ante (§. CCCXXIX.) ſeparatim

Quomodo differat a quotidiana continua veterum?

egimus. Verum ab illa, SAVVAGESIO etiam iudice, differt *catarrhalis* artuum, et dorſi dolore, coryza, faucium phlogoſi, raucedine, tuſſi, dyſpnoea, vagis

vagis, longisque horripilationibus aliisque peculiaribus notis (§. CCCXLI.), et praecipue diuturnitate, qua aegrotantes fatigat. Neque confundi debet febris haec catarrhalis cum rheumaticis illis faucium, et pectoris congestionibus, quae non raro aliis febribus siue continuis, siue intermittentibus, in statu, aut declinatione morbi, non infrequenter superueniunt, aut cum iis ratione tempestatis, aut constitutionis epidemicae vel ab initio complicantur. Nam in his catarrhalis affectio epigenomena est, atque *accidentalis*, non essentialiter, vt in catarrhali febri, connexa, atque inseparabilis. Discrimen quoque non leue esse ait HOFFMANNVS inter febrem hanc catarrhalem, de qua loquimur, atque illam, quae Rheumatismi comes est, quaeque a Rheumatismo ipso dimanat. In catarrhali siquidem interiores narium, faucium, laryngis, tracheae, bronchiorumque membranae laborant, atque ex his aliquid critice effertur. At in rheumatismo soli musculi, eorumque inuolucra, aut tendines, et ossium ligamenta occupantur, neque quidquam inde prodit, quod sensibilis, criticaeque euacuationis nomen mereatur. Leui etiam negotio idem Auctor putat distingui huiusmodi febrem ab illis narium, fauciumque affectionibus, quas lues venerea, aut scorbutus, aut simplex catarrhus efficit. In his enim nulla plerumque febris tenet. Paullo autem difficilius catarrhalis febris internoscitur ab ea quotidianae intermittentis specie, cui ob accessiones vespertinas, longioresque circuitus spuria (§. CXXXV.) nomen est, in primis si catarrhalibus affectibus originem debeat, aut ab his (§. CXLI.) stipata sit. Attamen in quotidiana huiusmodi manifestior vt plurimum horror accessiones exasperat, aut antecedit, et vera integritas, licet breuis, eas intercipit, qua in re

Discrimen inter febrem catarrhalem, et alias affectiones similes, et rheumatismum.

Vt differat a quotidiana intermittenti spuria?

re omne discrimen contineri docet LVDWIGIVS *a*).

a) *Instit. Clinic. subsect.* 3. §. 98.

§. CCCXLIV.

Causae. Causa eius proxima videtur esse serum, et lympha copia, aut lentore, aut acrimonia, aut omnibus hisce vitiis peccans, in vasis ambitum corporis perreptantibus, in primis cutaneis congesta, haerens, irritans; aut ad vasa, glandulas, folliculos, cryptasue mucosas membranarum nares, palatum, fauces, laryngem, bronchia, similesque partes, quin imo oesophagum, ventriculum, atque intestina inuestientium copiosius adfluens, easdem replens, distendens, inflammans, siue, vt breuissime dicam, causa proxima in leui, et serosa harum partium aut omnium, aut aliquarum phlogosi sita videtur. Proëgumenae vero causae, quae ad morbum corpus quodammodo praeparant, praecipue sunt temperamentum sanguineo-phlegmaticum, habitus mollis et laxus, aut cacochymicus, acritates variae, vlcerum, scabiei, crustae lacteae, achorum, aliarumque excretionum suppressio. Proëgumenis superuenientes procatarcticae mutua coniunctione causam proximam efficiunt, vti sunt subitae corporis, et praesertim capitis, collique refrigerationes, cum aëri frigido, aut humido vere, aut autumno imprudentius obiicimur; potus frigidus calente corpore haustus; subita perspirationis imminutio; maxime tempestatum variationes, et demum acre epidemicum inspiratum, aut aliter corpore receptum *). His enim non modo lympha crassior, acriorque redditur; mucosi humores coguntur; excretorii ductus arctantur, verum etiam sanguis, reliquique humores, constrictis, et maiori vi resistentibus exterioribus partibus ad interiores nondum a frigore

frigore affectas, proindeque laxiores, et minus renitentes vberius propelluntur, et confluunt, vt ibi congestiones, et leues inflammationes pariant.

*) Id epidemicum miasma ex eo maxime elucet, quod saepe, catarrhalibus affectibus epidemice regnantibus, communi hoc morbo corripiuntur etiam illi, qui iamdiu in cubili aliis ex caussis se continent, et sibi a frigore, aërisque iniuriis religiosissime cauent. Id centies obseruauimus. Neque credas velim, me istud obseruasse solum in iis catarrhis, in quibus suspicari licuisset de contagione per aegrotantes cum sanis communicata; quod sane, si vnquam accidit, rarissimum omnino est, nisi etiam valde dubium, atque incertum dixerim; sed in illis catarrhalibus affectibus testor id deprehendisse, quos in alios contagione propagari nulla certe ratio, nullaque argumenta suppetebant, vt vel leuissime suspicaremur. *Acre* autem *epidemicum inspiratum, aut aliter corpore receptum* cum dicimus, illud intelligimus, quod halitus, et vapores e terra siue humida, siue palustri, siue aliter insalubri eleuati aëri impertiunt, aut aliunde venti quidam ad nos transferunt; nam ita interdum celeriter diffunditur malum, vt a simplici contactu, et communicatione tanta propagationis velocitas pendere non possit, nisi ventorum ope miasmata dispergantur quaquauersum. Ex hac enim caussa catarrhos epidemicos magna ex parte oriri, probabile admodum puto; reliquos vero eorum mitiores, et minus, vt ita dicam, vniuersales, tempestatum, et atmosphaerae vicissitudinibus, quae humores corporis nostri varia ratione depravant, deberi.

Prognosis.

§. CCCXLV.

Incerto dierum numero febris haec finiri consuevit. Vbi leuior eius caussa, et gradus est, vno, duobus, tribus, vel quatuor diebus absoluitur. Tum ad *ephemeras plurium dierum*, sed perperam, quia nequaquam continens est, a plerisque refertur. Vere proxime elapso huiusce anni 1780 epidemica ita fuit, vt hic Mediolani, itemque Taurini, aliisque

Perperam ad ephemeras refertur.

que in regionibus vix vllus eam effugerit. Inuadebat sine frigore, cum lassitudine totius corporis, coryza, tussi, magno calore et tribus succeſſiuis diebus circa vesperam suas acceſſiones repetebat, sensim minores, et mox oborto copioso in remiſſionibus sudore, vrinis crassis emissis, sputisque puriformibus et concoctis facile, et cito exscreatis, tertia vt plurimum, aut quarta, quod longissimum fuit, acceſſione penitus desinebat, sola tussi ad aliquot dies superstite. Frequentius tamen, vbi validior cauſſa eam efficit, et legitima, puraque est, qualem supra descripsi, ad septimum, ad nonum, aut decimum quartum diem extenditur. Per se benigna, communi omnium sententia, esse creditur, et recte curata periculi expers habetur; nam saepe vel primis diebus reserata cutis excretione soluitur per sudores, vel post aliquot dies per copiosam materiae viscidae exspuitionem, aut largum muci, et pituitae e naribus stillicidium, aut crebras alui deiectiones, aut magnam vrinae crassae, et subsidentis copiam, vel per omnes hasce simul euacuationes iudicatur.

§. CCCXLVI.

Interdum tamen, cum vehementiori ex cauſſa nascitur, et sanguis diathesi inflammatoria magis inficitur, vt in quibusdam epidemicis conſtitutionibus saepe accidit, facile in anginam, aut peripneumoniam, aut pleuritidem trausit, nisi mature, et prouide venae sectio, et regimen antiphlogisticum subueniat. Talis fuit illa *febris catarrhalis*, quae *anno* 1658 *medio vere Londini epidemice* grassata est *a*), aut alia, quae anno 1675 nemini fere pepercit, et sub tussis epidemicae nomine a SYDENHAMIO *a**) descripta est; itemque ea, quae anno 1709 Romae *in conſtitutione quadam epidemica*, quam Rheumaticam LANCISIVS *b*) appellat, desaeuiit. In hac coryzae,

coryzae, et rheumata cum modica tussi ab initio infestabant, pari ferme ratione, qua idem mali genus seculo XVI et XVII, vt referunt CAGNATVS *c*), et DONVS *d*), saeuierat. Deinde accedebant huic febri pectoris dolores, angina, pleuritis, aut vera peripneumonia, praesertim in iis, qui neglecta prima morbi et tussis inuasione intemperanter viuebant *).

a) WILLIS. *De febrib. cap. XVII. p.* 85.

*a**) *Observ. medic. circa morb. acut. hist. et curat. Sect. 2. cap. V. pag. mihi* 150. 152. *b*) *De nativ. deque aduentit. Romani Coeli Qualitatib. cui accedit Historia Epidemiae Rheumatic. quae per hiemem anni* MDCCIX *vagata est. Rom.* 1711. *c*) *De salubrit. Roman. aëris p.* 22. *d*) *De vestit. salub. agr. Rom. p.* 16.

*) En Lancisianae descriptionis Synopsim. Totius corporis lassitudo primum, tum febris cum rigore, mox vagus in pectore infra, supraque dolor, assidua tussi, et quidem sicca comitante, inuadebat. Pulsus durus, vrinae flammeae, atque interdum turbidae obseruabantur; nec mora sanguinis sputum, et respirandi difficultas superueniebant. Tum genae saepe rubebant, ac flavus toti corpori color, vti in aurigine laborantibus inducebatur. Mirum est, notatuque dignum, carceres, locaque ab aquilonaribus ventis dissita, ac remota eiusmodi morbum minime sensisse. Mulieres minus, quam viri, item minus opulentiores, ac nobiles, quam egeni eidem obnoxii fuerunt, et si quidam in eum incidissent, leviorem certe morbum, nimirum coryzam, raucedinem, et externum pectoris dolorem, leuesque rheumaticarum febrium accessiones experti sunt. Plerique a morbo conualuerunt aut sudore, aut narium haemorrhagia, aut alui fluxu, aut vberiore vrina, aut omnibus hisce simul concurrentibus euacuationibus cum sputi item concocti, vt plurimum, reiectione. Non raro tamen sine sputorum coctione dolores pectoris, febresque decedebant. Dissecta defunctorum cadauera ostendebant praecordia rubentia vsque ad diaphragma, et nigricantia sanguine coacto, inque magnis cordis vasis polyposo. Aquilonares venti, et tempestas perfrigida diu durans visa est potius huiusce morbi caussa. Hist. Roman. epid. cap. 2. p. 196.

§. CCCXLVII.

§. CCCXLVII.

Interdum in phthisim transit.

In phthisim etiam pulmonarem non raro malum migrat, tum in primis cum tussis diuturnior euadat, aut saepius haec febris recurrat, eosque corripiat, qui iam aliqua pulmonum labe laborant, aut vitiosa pectoris structura deformantur. In vniuersum *quo magis*, vt inquit JVNCKERVS, *ab indole sua leuiore recedit*, et *cum vehementia tam frigoris, quam aestus insultat, eo iustior est metus alicuius labis circa viscera haerentis.* Item quo maior sanguinis, aut seri impuri copia aegrotantes grauat, eo deterior, longiorque morbus esse solet, quemadmodum obuenit scorbuticis, aut miasmate miliari deliteſcente affectis; quum in his insolita, et pernicioſiora symptomata oboriantur, vitaeque non leve periculum afferant. Ceterum hypochondriacos vehementius affligit, quoniam in his grauiora sibi adiungit symptomata, vti praecordiorum anxietates, difficiliorem respirationem, inquietudinem, et flatulentos imi ventris dolores. Neque minori gradu torquentur foeminae, quae hysstericae passioni, aut mensium suppressioni obnoxiae sunt.

Curatio.

§. CCCXLVIII.

Indicationes.

Cura omnis impendenda est, vt aequabilis sanguinis, et humorum omnium circuitus restituatur; ab interioribus ad exteriora alliciatur; congestiones resoluantur; acritas mitigetur; perspiratio omnis interna, et externa promoueatur; coctio, atque excretio materiae morbificae opportune contingat.

Quando sufficiat diaeta sola.

Quare, vbi leuior morbus est, eiusque causa facile tolli, et diffiari potest, totum opus soli naturae, rectoque vitae regimini committatur. Tum sola quies, et lectuli tepor, et largus tepensque potus, qui diluat, temperet, et leniter *secretiones*, excretionesque

tioneſque omnes, ſputi praeſertim, et ſudoris adiuuet, cum tenuiori victus genere ſufficient. At cum febris paullo intenſior tenet, et grauiora invehit ſymptomata, efficaciori artis auxilio opus eſt. Tunc primum ſanguinis miſſio animaduerſionem meretur. Hanc plerique aut ſilentio praetereunt, aut manifeſte reiiciunt, aut rariſſime neceſſariam eſſe exiſtimant. HOFFMANNVS, qui eam opportuno tempore, et regimine inſtitutam in plethoricis frequentem catarrhalium affectuum reditum egregie praecauere affirmat, praeſente tamen catarrhali febre omnino omittendam praecipit; quod experientia didicerit, diuturniorem inde catarrhum fieri. Pace autem tanti viri, aliorumque eamdem ſententiam tuentium, ſanguinis miſſionem non timeo hic quoque proponere, tamquam maxime vtilem, accommodatamque non modo ad cauſſam proximam huiuſce febris, quae in phlogoſi quadam partium affectarum ſita videtur (§. CCCXLIV.), atque ad quaſcunque congeſtiones promte, efficaciterque diſcutiendas, verum etiam ad prauos affectus, qui eiuſmodi rheumaticas affectiones ſubſequi interdum ſolent, tubercula nimirum, haemoptyſim, et phthiſim, certo, et tuto auertendos. Id enim iteratis periculis in Italia a nobis compertum eſt; nec aliter in Gallia SAVVAGESIO viſum; quam ob rem ipſe febris catarrhalis curationem a ſanguinis miſſione inchoandam ſuadet.

De ſanguinis miſſione quid indicandum.

§. CCCXLIX.

Non tamen eam temere inſtitui oportet, nec nimis liberaliter: ſed omnia prius, quae ſaepius alibi monuimus, perpendenda a Medico ſunt, ſanguinis miſſionem indicantia. Si enim haec deficiant, et contra ſeroſus humor abundet, pars ſanguinis rubra iuſto parcior ſit, vaſa et fibrae laxiores, cum

Monita.

pulsu paruo, debili, et molli, sanguinis missio non modo superuacua erit, verum etiam noxia, et tunc solum imminuta a tergo vi impellente congestiones serosae pertinaciores fient, imo augebuntur, vt HOFFMANNVS timet. Si quid tamen venaesectionem petere videatur, dum reliqua dubiam, ancipitemque reddunt, ei cucurbitulae tam siccae, quam scarificatae, hirudinesque tutissime subrogantur. In constitutione epidemica, de qua supra (§. CCCXLV.) memini, pulsus pleni, validi, interdum duri, facies rubra, accessiones aliquanto vehementiores continuo vnam, vel alteram sanguinis missionem postulabant, qua omnes feliciter sanabantur. Idque eo magis necessarium est, si constitutio epidemica cum diathesi sanguinis phlogistica coniungatur, et facile sibi anginam, pleuritidem, aut peripneumoniam adscisçat (§. CCCXLVI.). In ea, quam LANCISIVS descripsit, sanguinis missio ante quartum diem adhibita robustioribus profuit, etiamsi sanguinis sputum praecessisset; quod profecto cruditatis, non resolutionis, aut coctionis signum erat. Imbecilliores vero, et praesertim post septimum, si iam sputum concoqui coepisset, aliaeque vtiles euacuationes simul adessent, non parum laesit. Saepe larga sanguinis detractio non suffecit; alias vero exigua dumtaxat morbum deuicit; imo interdum sola lateris scarificatio curam perfecit *). Vtilem quoque sanguinis missionem expertus est SYDENHAMIVS, vbi huiusmodi symptomata inflammatoria superueniebant; sed neque ita largam, neque ita repetitam volebat, vt in pleuritide, et peripneumonia primaria fieri debet. Animaduertit enim, in symptomaticis hisce pleuritidibus, aut anginis, aut peripneumoniis, quoties febris, cui superueniunt, ex se sanguinis missionem non exigit, vnam vel alteram, tantummodo sufficere, plures

noxias

noxias esse. Interim regimen refrigerans, atque antiphlogisticum imperabat, et praecipue suadebat, vt quotidie aegri per aliquod spatium lectulum desererent. Illo enim tempore in Anglia mos inualuerat, vt calefacientibus remediis et nimio lecti calore hisce in morbis abuterentur.

*) Praeterea LANCISIVS non omittebat fomenta extrinsecus, quae molliunt, intrinsecus ea, quae diluunt, laxant, et resoluunt, atque etiam cantharidum applicationem. Testatur haec omnia plurimum emolumenti attulisse. Fatetur etiam clysteres, et blanda aluum laxantia sua vtilitate non caruisse.

§. CCCL.

Purgantia medicamenta raro conueniunt. Attamen, cum primae viae cacochylia obsidentur, aut muco viscido, quod saepe incidit, scatent, lenientibus tantum expiandae sunt, cassia videlicet, manna, tartaro, salibus neutris amaris, passulis, aut prunis praeparatis, oleo amygdalino, aut seminum lini, aliisque pro circumstantiarum ratione. Neque id a principio solum, verum etiam in progressu opportune fieri potest, si serosi, impurique humoris copia excedat, difficiliusque a faucibus, atque a pulmonibus auocetur. Clysteres singulis, aut alternis diebus tutissime iniiciuntur, tam ad aluum apertam seruandam, quod necessarium ducitur, quam ad reuellendum, refrigerandumque. Hoc vno auxilio SYDENHAMIVS maxime confidebat, cum acres, phlogisticasque particulas e sanguine secernere atque educere sensim vellet. Acre enim perspirabile, et phlogisticum principium retentum, commodissime ad intestina transfertur, atque illinc euacuatur. Dum haec aguntur, reliquum curationis persoluunt diluentia affatim, et tepide hausta. In his praestant, quae simul acrimoniam demulcent, vti decocta hordei, radicum

De purgatione aliquid.

Clysteres.

Diluentia.

althaeae, et glycyrrhizae; diluta florum papaueris erratici, violarum, verbaſci; emulſa ex amygdalis, aut ſeminibus frigidis, quibus etiam vis quaedam anodyna ineſt. Flores item bellidis, et ſambuci hic commendantur. Illi reſoluente in primis, hi diaphoretica facultate pollere creduntur.

§. CCCLI.

Antiphlogiſtica. Febris aeſtum, quando ardentior eſt, ſanguiniſque lentorem, ſi, vt ſaepe euenit, cum ea complicetur, praeter ſanguinis miſſionem temperant, ſoluuntque oxymel ſimplex; nitrum; terra foliata tartari, eiuſque liquor; roob baccarum ſambuci; ſerum lactis purum, aut ex cichoreo, taraxaco, ſcabioſa decoctum; hydromel, aliaque huius generis. *Incidentia.* Validius lentam viſcidamque lympham incidunt, dummodo moderatior febris motus, et ſolidarum partium quidam veluti torpor permittat, decocta radicum Bardanae, Pimpinellae albae, Enulae campanae, Vincetoxici, Polygalae Virginianae, aut noſtratis, ligni ſaſſafras, herbarum Hyſſopi, Veronicae, Chaerefolii; oxymel Scilliticum; Syrupus de Eryſimo Lobelii, aut de Peto; flores ſulphuris; Benzoë; Kermes minerale, reliqua. Quibus illud etiam efficitur, vt pulmonum infarctus, ſputis copioſioribus promotis, reſoluantur.

§. CCCLII.

Quae tuſſim leniant. Tuſſis quandoque adeo moleſta eſt, vt leniri potiſſimum debeat. Eam igitur mitigant ſperma ceti albiſſimum, minime rancidum; oleum amygdalarum dulcium, aut ſeminum lini recentiſſime ſine ignis ope expreſſum; butyrum; cremor lactis; hydrogala; emulſa ex ſeminibus pinguibus, et farinoſis; *mucilagines* ſeminum althaeae, maluae, pſyllii; et prae ceteris ea, quae ſomnum inducunt, vti diacodium, ſyrupus de Meconio SYDENHAMII, pilulae

lae de ſtyrace SYLVII, de cynogloſſa, laudanum nepenthes QVERCETANI, atque opium ipſum. Sed caute, et non, niſi vrgente neceſſitate, depletis vaſis, purgatoque ventre, et minuta pituitoſa colluuie, qua pulmones obruebantur, ad eorum vſum deueniendum. Sudori proliciendo, qui in huiuſmodi febre maxime proficit, opportuniſſima ſunt, ſi iis, quae memorauimus, non reſponderit, decocta, et diluta plantarum amaricantium, vti cardui benedicti, chamaedryos, abſinthii alpini, chamaemeli, calide epota; fricationes totius corporis; cucurbitulae ſiccae; balnea pedum; quae poſtrema etiam a capite, et faucibus vtiliſſime reuellunt. Revellunt quoque epiſpaſtica ex cantharidibus et ſimul praeſtantiſſime reſoluunt, attenuantque, ceruici, aut brachiis admota, in primis ſi temperamentum, habitus corporis, excretiones cutaneae ſuppreſſae, pertinax tuſſis id auxilii genus expoſcant.

Quae ſudori mouendo apta.

Reuellentia.

§. CCCLIII.

Reliquis quoque ſymptomatibus eſt ſuccurrendum. Fauces, ſi dolor acer eas vexet, lacte tepido, aut decocto hordei, florumque ſambuci leniter colluantur. Interdum dolori aphthae accedunt, quae penicillo in ſpiritum ſalis, vel vitrioli, addita mellis ex roſis exigua parte, intincto abſtergantur, cicurenturque. Diarrhoea ſi ſuperueniat, non comprimenda eſt. Profuſior tamen compeſci quidem poteſt; tardior, et pigrior rhabarbari puluere, aut eius tinctura leniter incitari. Nares obſtructae aqua tepenti, aut eius vapore attracto foueantur, vt vaſa laxentur, congeſtio reſoluatur, et mucus inde facilius emungi queat. Si ſtimulo opus ſit, quod diſcuſſa membranae pituitariae phlogoſi contingere quandoque poteſt, mel aquae, vel ſaccharum, vel manna, vel ſuccum betae rubrae adiicere

Symptomatis quae ſuccurrant.

althaeae, et glycyrrhizae; diluta florum papaueris erratici, violarum, verbaſci; emulſa ex amygdalis, aut ſeminibus frigidis, quibus etiam vis quaedam anodyna ineſt. Flores item bellidis, et ſambuci hic commendantur. Illi reſoluente in primis, hi diaphoretica facultate pollere creduntur.

§. CCCLI.

Antiphlogiſtica. Febris aeſtum, quando ardentior eſt, ſanguiniſque lentorem, ſi, vt ſaepe euenit, cum ea complicetur, praeter ſanguinis miſſionem temperant, ſoluuntque oxymel ſimplex; nitrum; terra foliata tartari, eiuſque liquor; roob baccarum ſambuci; ſerum lactis purum, aut ex cichoreo, taraxaco, ſcabioſa decoctum; hydromel, aliaque huius generis. *Incidentia.* Validius lentam viſcidamque lympham incidunt, dummodo moderatior febris motus, et ſolidarum partium quidam veluti torpor permittat, decocta radicum Bardanae, Pimpinellae albae, Enulae campanae, Vincetoxici, Polygalae Virginianae, aut noſtratis, ligni ſaſſafras, herbarum Hyſſopi, Veronicae, Chaerefolii; oxymel Scilliticum; Syrupus de Eryſimo Lobelii, aut de Peto; flores ſulphuris; Benzoë; Kermes minerale, reliqua. Quibus illud etiam efficitur, vt pulmonum infarctus, ſputis copioſioribus promotis, reſoluantur.

§. CCCLII.

Quae tuſſim leniant. Tuſſis quandoque adeo moleſta eſt, vt leniri potiſſimum debeat. Eam igitur mitigant ſperma ceti albiſſimum, minime rancidum; oleum amygdalarum dulcium, aut ſeminum lini recentiſſime ſine ignis ope expreſſum; butyrum; cremor lactis; hydrogala; emulſa ex ſeminibus pinguibus, et farinoſis; *mucilagines* ſeminum althaeae, maluae, pſyllii; et prae ceteris ea, quae ſomnum inducunt, vti diacodium, ſyrupus de Meconio SYDENHAMII, pilu-

lae

lae de ſtyrace SYLVII, de cynogloſſa, laudanum nepenthes QVERCETANI, atque opium ipſum. Sed caute, et non, niſi vrgente neceſſitate, depletis vaſis, purgatoque ventre, et minuta pituitoſa colluuie, qua pulmones obruebantur, ad eorum vſum deueniendum. Sudori proliciendo, qui in huiuſmodi febre maxime proficit, opportuniſſima ſunt, ſi iis, quae memorauimus, non reſponderit, decocta, et diluta plantarum amaricantium, vti cardui benedicti, chamaedryos, abſinthii alpini, chamaemeli, calide epota; fricationes totius corporis; cucurbitulae ſiccae; balnea pedum; quae poſtrema etiam a capite, et faucibus vtiliſſime reuellunt. Revellunt quoque epiſpaſtica ex cantharidibus et ſimul praeſtantiſſime reſoluunt, attenuantque, ceruici, aut brachiis admota, in primis ſi temperamentum, habitus corporis, excretiones cutaneae ſuppreſſae, pertinax tuſſis id auxilii genus expoſcant.

Quae ſudori mouendo apta.

Reuellentia.

§. CCCLIII.

Reliquis quoque ſymptomatibus eſt ſuccurrendum. Fauces, ſi dolor acer eas vexet, lacte tepido, aut decocto hordei, florumque ſambuci leniter colluantur. Interdum dolori aphthae accedunt, quae penicillo in ſpiritum ſalis, vel vitrioli, addita mellis ex roſis exigua parte, intincto abſtergantur, cicurenturque. Diarrhoea ſi ſuperueniat, non comprimenda eſt. Profuſior tamen compeſci quidem poteſt; tardior, et pigrior rhabarbari puluere, aut eius tinctura leniter incitari. Nares obſtructae aqua tepenti, aut eius vapore attracto foueantur, vt vaſa laxentur, congeſtio reſoluatur, et mucus inde facilius emungi queat. Si ſtimulo opus ſit, quod diſcuſſa membranae pituitariae phlogoſi contingere quandoque poteſt, mel aquae, vel ſaccharum, vel manna, vel ſuccum betae rubrae adiicere

Symptomatis quae ſuccurrant.

licebit. Non nulli mannae puriori fruſtula teretia, et oblonga oleo amygdalino illita in nares immittunt, quo humor felicius exſtillet.

§. CCCLIV.

Cautiones. Ceterum omnia, quae nimium commouent, aut calefaciunt, aut contra quae nimis refrigerant, aut aciditate coagulant, et perſpirationem cohibent, diligenter vitentur. Hypnotica ipſa caute vſurpentur, vt ſupra (§. CCCLII.) monitum eſt, praeſertim, ſi caput imbecillum, et graue, ſi aetas ſenilis, et aluus adſtricta ſit. Oleoſa porro, et nimis laxantia, vti bechica pleraque, parca, et cauta manu dentur, ne appetitum, digeſtionemque deiiciendo, aut pulmonum compagem nimis laxando, cachexiam, et phthiſim demum arceſſant. Poſt febrem depulſam, aut ea ad finem vergente, ſi primae viae videantur viſcido muco obſitae, aut catarrhalis humor ad fauces, pectuſque confluere diutius pergat, tum lene eccoproticum ex Manna, aut Rhabarbaro efficiet, vt illae repurgentur; hic aliorſum auocetur. Si demum bronchia, et pulmo atoniam contraxerint, nimiaque laxitate laborent, roborari, firmarique poterunt cortice chinae chinae, aut caſcarillae, balſamicis reſinis, *conſerua* roſarum rubrarum, aliiſque, quae tonica, et traumatica dicuntur.

§. CCCLV.

Verum ſaepe incidit, vt huiuſmodi febris ex leui quacumque cauſſa reuertatur, obnoxioſque nimium ſibi quoſdam reddat. His curatio etiam prophylactica neceſſaria eſt. Itaque qui in eam proniores ſunt, vitare debent eas omnes cauſſas, quibus catarrhales affectiones induci ſupra tradidimus; tempore verno, atque autumnali, antequam in morbum incidant, ſi plethorici fuerint, ſanguinem ſibi detrahendum curare; ſobrie alimentis vti; corpus veſtibus

veſtibus mature munire, ſeroque eas dimittere; perſpirationem ſedulo curare; exercitatione, frictionibuſque validis habitum corporis bonum, et firmum comparare; quo reſpiciunt etiam balnea tepida et deinde frigida ex aqua fluuiatili, aut marina aeſtiuo tempore adhibenda. Praeterea illis, qui humidiore, laxioreque temperie donantur, vere, autumnoque decoctis ex ſarſaparilla, radice chinae, ligno ſaſſafras, lentiſco cum paſſulis ad XXX aut ad XL dies vti conuenit, victumque exſiccantem adhibere. Contra vero lactis ſerum, iura ranarum, et viperarum, ptiſanae ex hordeo aut auena proderunt iis, qui tenui corporis habitu ſunt, quique acritatibus ſcatent. Profuit etiam non paucis fonticulus *nuchae*, aut brachio inuſtus, quo a catarrhis pertinacioribus et recidiuis liberati narrantur. His igitur fit, vt morbi reditus mirifice praepediatur. *Cura prophylactica.*

§. CCCLVI.

Hactenus de febre catarrhali tam ſporadica, quam epidemica, benigna, nec non de complicata cum diatheſi ſanguinis inflammatoria. Complicari etiam poteſt in primis epidemica cum ſaburra primarum viarum, et tunc *gaſtricam*, de qua paullo poſt dicam, aemulatur; item cum latente miliari miaſmate, aut morbilloſo, aut petechiali; ſed dubium remanet, vtrum tunc potius ſymptomatica ſit, quam primaria. Nec malignitatis expers interdum eſt, in primis cum epidemice graſſatur; vel ſaltem maligna quandoque euadit, quemadmodum LANCISIVS ſub finem epidemiae rheumaticae modo memoratae accidiſſe teſtatur. SAVVAGESIVS diſtinguit febrem catarrhalem a *rheumate pectoris* febrili id eſt a leui, et lymphatica bronchiorum phlogoſi cum febre; ſed ni fallor, ſi quid diſcriminis intercedit, id totum in gradu, et loco eſſe videtur. Catarrhos *Variae complicationes.* *An maligna interdum?* *Animaduerſiones.*

tarrhos etiam varii generis idem auctor a febri hac segregatos voluit, videlicet *catarrhum benignum* (Spec. 1.), *catarrhum ferinum*, siue vulgo *Quinte* et *Coqueluche* *), siue tussim ferinam (Spec. 2.), *catarrhum epidemicum*, vulgo *Grippe* aut *Folette* (Spec. 3.) **), cum plerumque febris eos non comitetur, vel si comitetur, symptomatica tuno haberi potest. Ceterum si hūiusmodi morbi cum febri iam ab initio iungantur, eamque comitem habeant, non video, cur ad catarrhalem febrim reduci non possint. Huiusce generis videntur fuisse *morbus epidemicus* anno 1557 Nemausinos agros, et totam ciuitatem deuastans, *coqueluche* vulgo dictus *a*), aut alius praedicto non absimilis, anno 1580 Arelate, Auenione, vicinisque locis grassatus *b*), itemque *febris* illa *lenta* et *maligna comitata morbo gutturis epidemico*, Alcmariae mense Octobri ann. 1557 a FORESTO *c*) obseruata, aut alia similis, quae epidemice ann. 1580 mensibus *Iunio*, et *Iulio* Delphis stragem edidit *d*), nec non quae cum angina vlcerosa, ptyalismo, et petechiis Condomi apud Vasconnes ann. 1750 vagata legitur *e*), aliaeque ab HVXHAMIO *f*), et non paucis aliis commemoratae; in quibus tussis cum faucium asperitate, aut inflammatione ferueuti, aut vlcerosa, febri continua, dolore capitis vehementi, peruigilio, lumbagine, coryza, pectoris saepe infarctu, aut phrenitide multos quarto die, alios septimo, ad summum decimo quarto enecabat. Plerumque sanguinis missio ingruente morbo, cito celebrata, bechica, lenis purgatio, aut spontanea alui solutio, aut demum sudor foetidus prorumpens, aut arte excitatus remedio fuit. Qui plura scire cupit, citatos auctores, aliosque *g*) consulat, necesse est.

*) Italis Tosse *canina*, aut *asinina*, aut *conuulsiua*.
**) Vulgo Romae olim *mal del castrone*.

a) *Observ.*

a) *Obſerv. comm. obſ.* 9. *apud* RIVERIVM. *b*) *Ibid. obſ.* 10. *c*) *Obſerv. et curat. l. VI. obſ.* 1. *d*) *Ibid. obſ.* 3. Haec ipſa catarrhalis conſtitutio epidemica eodem anno 1580 deſcripta fuit ab HENISCHIO, vt ſupra (§. *CCXXVI. in not.*) indicaui, et ab Anonymo apud RIVERIVM (*Obſerv. addit. obſ. X.*) et ab aliis non paucis, quia totam Europam, aliaſque diſſitas regiones peragrauit, ſed prae ceteris a PETRO SALIO DIVERSO in libro *de Febre peſtilenti cap. XI.* *e*) SAVVAG. *Noſol. cl.* 2. *ord.* 2. *gen. VI. ſpec.* 13. *f*) *Ibid.* g) Praeterea conſulatur e noſtratibus IOANNES TARGIONIVS TOZZETTIVS (*Prim. Raccolt. d'oſſer. med. p.* 174.), qui catarrhos epidemicos Florentiae ab annis 1323. ad ann. 1752 obſeruatos recenſet, et Cl. IAC. BARTHOL. BECCARIVS in commentario *de quadam peculiari conſtitutione epidemica*, et ſpeciatim de *Catarrho epidemico an.* 1730, qui vniuerſum fere terrarum orbem celerrime occupaſſe narratur. Exſtat huiuſmodi Commentarius in *Act. Acad. N. Curioſ. Germ. Tom.* 3. *p.* 142., et nuper in lucem prodiit recuſus in *T.* 3. *Conſilior. medicorum*, Bononiae editorum poſt auctoris mortem. In eo non ſolum abſolutiſſima morbi hiſtoria traditur, ſed etiam aliorum temporum ſimiles conſtitutiones recenſentur, et vna comparantur. Multum affinitatis cum catarrho epidemico a BECCARIO deſcripto videtur habuiſſe qui proxime elapſo anno 1782. totam pene Europam *Catarrhi Ruſſici* nomine peruagatus eſt; de quo Cl. IO. ALOYSIVS TARGIONIVS quaedam ſcitu digna edidit in *Vol. VII. degli Avviſi ſopra la ſalute vmana.* Inter exteros porro habemus Cl. LORRYVM, qui catarrhum ann. 1775. et 1776. Pariſiis epidemicum deſcripſit (*Mém. de la Societ. Royal. de méd. vol. I. p.* 2. *vſque ad p.* 13.) et non valde diuerſum, vt ipſe putat, ab eo, quem Londini vidit anno 1675 SYDENHAMIVS, et quem acta acad. Edimburg. ann. 1733. graſſatum referunt, aliumque ſimilem, ſed mitiorem, anno 1745. pariter Pariſiis viſum memorauit. Obſeruationes quoque maxime vtiles de Tuſſi epidemica ann. 1779, et 1780. cum R. Societ. Medica (*Mém. de la Soc. Roy. de Méd. vol.* 3. *p.* 16.) communicauit Cl. COQVEREAV. Haec autem tuſſis fere cum *Catarrho Ruſſico* ann. 1782. conuenire videtur; ſic, vt dubitari poſſit, an a ſeptentrionalibus plagis morbus inceperit, aut aliunde proceſſerit. Catarrhales item epidemici affectus, qui Dublini ann. 1729. 1732. 1733. 1737. 1743. et 1762. vagati ſunt, a MACBRIDIO (*Introd. method.*

ad Theor. et Prax. med. T. 2. cap. VI. p. 35.) exponuntur, et a Cl. PERKINSIO Boſtoni medico hiſtoria catarrhorum epidemicorum ann. 1731. 1745. 1750. 1751. 1753. 1767. et 1768. tradita legitur in *vol. 1. Hiſt. Reg. Soc. medic. p. 206.* Quae omnia legi, et perpendi fortaſſe deberent ab iis, qui diſputationem nuper inuectam de *contagioſa catarrhi Ruſſici natura* dirimere velint.

FEBRIS LACTEA PVERPERARVM *).

§. CCCLVII.

Foeminis recens enixis interdum ſecundo a partu die, ſaepius tertio, quandoque etiam quarto Febris quaedam ſuperuenit, cui *Lactea* nomen eſt, quia, ſi non a lacte ad mammas confluente, quod controuerſum eſt, oritur; ſaltem tempore, quo lacte mammae turgere incipiunt, accedit. Ephemeris, aut ſynochis ſimplicibus annumerari a Noſologis ſolet, ſed, vt ego arbitror, ineptiſſime, cum continua remittens ſit, quotidianaeque continuae morem, quando vltra viginti quatuor horas trahitur, obſeruet, nouiſque acceſſionibus vſque ad finem, quem intra paucos dies conſequitur, exaſperari conſueuerit. Plerumque hiſce ſe ſymptomatibus exſerit: nox praecedens inſomnis, et irrequieta tranſigitur, aut ſi ſomnus obrepit, turbulentis imaginibus interrumpitur. Mane pulſus eſt aliquanto frequentior, quam ex conſuetudine. Accedit non raro capitis dolor, et frigus, interdum leuis tantum horripilatio totum ſpinae dorſi tractum decurrens, et quauis corporis in cubili conuerſione ad ſcapulas, imo ad totum fere corporis ambitum ſe diffundens, ſubindeque reuertens. Veſperi deinde calor auctus ſubſequitur, et pulſus validior, et frequentior; dum interea mammae incipiunt dolere, tendi, intumeſcere, et aliquid ſeri effundere. Dorſum, et ſcapulae dolore tenſiuo afficiuntur, lac-

Hiſtoria morbi.

que

que ab axillis quasi ad mammas deriuari sentitur; respiratio fit quodammodo grauior, et laboriosior; lochia, nisi iam prius parcius fluere coeperant, tum manifeste imminuuntur, et quandoque albescunt, aut saltem multo minus rubent; saepe areola nigricat, papillae prominent, et leuiter rigent; glandulae circumcirca turgent, et dolent; simulque brachia ob vicinarum partium distentionem difficilius moueri possunt, et demum mammae tumoribus quibusdam inaequalibus, tactui manifestis, dolentibusque occupantur. Nocte febris proserpit, et somnum irrequietum reddit, donec matutino tempore aduentante omnia mitescant, et pulsus fiant multo pacatiores, et aliqua quies cum leni madore cutis consequatur.

*) *Synonyma.*

Febris lactis vulgo a Mulieribus nominata RIVERII, *Prax. Med. lib. XV. cap. 24. Febris Lactea improprie dicta* LEVRETI, *Oevr. T. I. Art des Accouchemens p. 151. Ephemera Lactea puerperarum* SAVVAGESII, *sp. 5. Gen. I. Class. 2. Febris Lactea Auctorum.*

§. CCCLVIII.

Remissio haec aliquot horas quidem perdurat; quin tamen ad veram integritatem perueniat. Pomeridianis horis cum leui horripilatione iterum febris exacerbatur. Pulsus initio vt plurimum parvus, contractus, et celer percipitur; deinde paullatim insurgit elatior, crebrior, et per interualla subinde varius. Tunc saepe caput acutius dolet, somnus difficulter capitur, artuum lassitudo excruciat, et, si lochia sistantur, aut parce admodum fluant, etiam rubet facies, calet, spiritus aegre ducitur, et febris cum pulsu duro, et vehementi invalescit. Tamdem nocte media paullatim omnia mitiora euadunt, vt mane postero iterum febris cum omnibus symptomatibus ad pristinam remissionem

nem reuertatur. Si quiescant puerperae; copioso potu, blando, diluente, atque aperiente, et tenuissimo victu vtantur, saepe intra duos, vel tres dies huiusmodi accessiones, et turbae desinunt, vberiore lactis prouentu, et multo sudore, foetido, subacidum odorem spirante per totum corpus aequaliter diffuso. Interdum vsque ad quartum, vel quintum diem, nempe ad nonum a partu, protrahitur febris, mitioribus semper accessionibus sensim redditis, et demum ex toto insensibiliter euanescentibus. Quando breuissima omnium est, intra viginti, aut triginta horas ephemerae instar absoluitur, imo in foeminis quibusdam optimae temperiei, et constitutionis adeo leuis quandoque existit, vt praeter noctem vnam minus tranquillam, vix aliam molestiam subeant, praecipue si infanti vbera porrigant; vt passim id videmus euenire, viditque in sua vxore, aliisque multis Cl. SWIETENIVS *a*).

a) *In Boerhaav.* §. 1329.

§. CCCLIX.

Causae. Ex Physiologicis constat, vterum a foetu edito paullatim contrahi, indeque *humores redundantes*, inque *vteri vasis contentos*, aut chylum, vt alii docent, ipsum, siue lacteo-serosum liquorem, qui ad vterum ferebatur, ad mammas per venas repelli: quo insignioribus earum vasis, et glandulis repente repletis, distractisque praeter morem nerueis fibrillis, dolorem, febremque moueri, magna veri specie tradidit FRIDERICVS *a*) HOFFMANNVS. Verum huiusmodi causa non tanti facienda visa est Cl. SWIETENIO *b*), vt in ea penitus ipse conquiesceret. Quam ob rem, cum febrim huiusmodi eo potissimum tempore exoriri videret, quo vulneribus superuenire solet, et auulsionem placentae non sine

aliqua

aliqua interioris vteri superficiei laceratione concipere posset, leui ideo interioris vteri caueae phlogosi, praeter lactis ad mammas concursum, febris huiusce ortum tribuit, necessariam istiusmodi leuem inflammationem arbitratus ad separandas destruendasque blanda suppuratione chorii reliquias adhuc ibi adhaerentes, quod in primis ostenditur a puriformi, imo purulenta lochiorum natura, quae ad aliquot porro dies calore, et peculiari foetore manifestatur. SAVVAGESIVS vero, cui satis esse videtur, febrim hanc post contractum vterum nasci nosse, ad caussam finalem, ob quam a Natura excitatur, indagandam se potius conuertit, opusque prouidentissimae naturae eam existimat, vt nimirum sanguine sic fortius validiusque moto, atque adacto mammarum vasa dilatentur, et chylo illuc appellenti, atque in lac permutando viam liberam aperiant *c*).

a) *Med. Ration. Systeм. T.* I. *l.* I. *sect.* 2. *cap. XV.* §. 1. *b*) *L. c.* *c*) *L. c.*

§. CCCLX.

Quorum singulorum auctoritas cum plurimum apud me valeat, vtra opinio praeferenda sit, non facile definiuerim. *De hisce sententiis quid sentiendum.* Ausim tamen animaduertere, illud Hoffmannianae sententiae, quo minus vniuersim vera habeatur, aduersari, quod febris interdum ante veniat, atque aliquantum protrahatur, quam mammae humorum copia turgescant, dilatationemque dolorificam, cui febris tribui possit, patiantur. Praeterea, si vnica et perpetua eius caussa in maiori humorum copia ad mammas concurrente, et dolorificam dilatationem inferente sita, et locata, esset; profecto verisimile videretur, huic febri Primiparas tantum obnoxias esse, vtpote angustiora et firmiora vasa habentes, non vero illas, quae pluries enixae sunt, aut quae proli carissimae iam vbera praebuerunt, cum in his vel

ob

ob iam alias toleratam lactis secretionem, vel lactationem vasa ampliata fuisse dicenda sint. His accedit, quod mulieribus quibusdam vltimis gestationis mensibus mammae ita lacte intumescunt, vt ab vtero post editum foetum contracto *) eius secretio atque a dolorifica earum dilatatione febris deriuari nequeat. In his enim vasa iam patula, et lacteo latice plena se sistunt; nec tamen ideo semper febris lacteae immunes seruantur.

*) Canem venaticam vidi, quae cum tentigine venerea percita esset, a maris miscela, et coitione diligentissime fuit secluſa, donec in ea veneris desiderium esset restinctum. Huic tamen eo tempore, quo, si marem admisisset, parere debuisset, vbera sic lacte intumuerunt, vt terram quasi attingerent. Cum autem rem ipse valde admirarer, Chirurgus, ad quem canis illa spectabat, mihi asseuerauit, se alias eiusmodi lactis sine conceptu prouentum in aliis canibus, et animalibus conspexisse. Quae si vera sint, erit certe physiologis noua via ineunda, vt lactis in puerperis apparitionem explicent, quin ad vteri contractionem respiciant. Et sane grauidis iam in mammis lac apparet; ne de virginibus, et viris ipsis dicam, quibus interdum magnam lactis copiam ad mammas confluxisse perhibent. Cl. ROBINETVS, quem puto omnem a se erroris caussam diligenter remouisse, narrat (*Interpr. de la Nat. T. 2. Part. V. c. 70 et seq.*), virgini cuidam tanta lactis vi mammas repletas fuisse, vt arte illud educi debuerit.

§. CCCLXI.

Sauvagesius refellitur.

SAVVAGESIO vero, caussam, vt vocant, finalem huiusce febris constituenti quis assentiatur? Siquidem certis obseruationibus compertum, exploratumque est, lac interdum tam ante partum, vt praenotauimus, quam post partum in mammis secretum deprehendi, quin eiusdem secretionem vlla febris anteiuerit, auctoque sanguinis motu vasa lactifera ad lactis prouentum praeparauerit. Deinde si lactis secretio vasorum dilatationi per febrim peractae debeatur, cur non etiam virginibus febre

correptis

correptis mammae lacte replentur? Quis demum sanae mentis sibi persuadeat, Naturam consilii adeo inopem fuisse, vt non alia ratione, quam ista, nec commoda, nec discriminis experte, lactis in puerperis secretionem moliri eidem licuerit? Alienissimum sane id a vero videtur, cum in brutis animalibus lac sine febre comparetur, et reliquae animati corporis secretiones, etiam tardiores, puta seminis, sine huiusmodi absurdo opificio peragantur.

§. CCCLXII.

Quod ad SWIETENII attinet opinionem, is, dum febrim hanc a leuissima interioris vteri superficiei inflammatione deducit, planum quoque facit, et explicatu facillimum, cur puerperae interdum ea careant, tunc nimirum, cum placentae auulsio ita lenis fuerit, vt nullam vtero vim intulerit, vel cum placenta sponte, et tota ita exciderit, vt nihil reliquum, ne *Hunterianae* quidem aliquid, vteri cauo adhaeserit. Quando vero contrarium euenit, vt vel vis aliqua in auellenda placenta adhibita fit, vel aliquid membranae chorii vtero adhaeserit, non modo febris, quam lacteam dicunt, superuenit, verum etiam eam comitantur dolor, tensio, tumor aliquis regionem vteri occupans, atque eodem prorsus tempore circa pudendum, vel in vrina emittenda calor quidam, ardorque, etsi non magnus percipitur. At vbi neutrum acciderit, nec vlla eiusmodi incommoda vteri regionem infestent; contra vero mammae doleant, tendantur, et tumeant, si tamen febris accesserit, vt non raro fit, potestne haec memoratae vteri inflammatiunculae adscribi? Non quidem; cum SWIETENIVS ipse huiusmodi causam non ita perpetuam habet, et solam, vt alteram, lactis nempe copiam mammas distendentem, omnino excludendam velit. Maior

Expenditur opinio Swietenii.

potius

potius difficultas in eo ſita videtur, quod interdum nulla vteri culpa, nullus moleſtiae in mammis ſenſus antecedat, aut comitetur, et nihilo tamen minus febris lactea puerperas corripiat. Quid tum? An ab humorum vberiori ad mammas confluxu, an a chorii reliquiis vtero adhaerentibus eam natam tunc dixeris?

§. CCCLXIII.

Non vna huiuſce febris cauſſa.

Quas ob res vehementer ſuſpicor, non vnam febris huiuſce originem, naturamque eſſe, ſed aliam atque aliam; quamquam vulgo *lactea*, quaſi a lactis ſecretione profluueret, perperam, atque improprie nuncupetur. Et primum quidem probabile admodum eſt, vt plurimum hanc febrem a ſola vteri contractione, quae modo citius, modo ſerius contingit, pendere. Contracto enim vtero, atque adeo parcius, aut dilutius fluentibus lochiis, quod modo altero a partu die, modo tertio, modo quarto accidit, ita ſanguinis circuitus permutatur, vt hac de cauſſa ſolum cordis arteriarumque motus concitetur, febriſque, breui tamen ceſſatura, reſtituto nimirum aequabili humorum omnium circuitu, oriatur. Quod ſi aliquid impuri humoris ab vtero, aliiſque imi ventris viſceribus poſt foetum editum nec preſſis amplius, nec diſtentis in ſanguinem, lymphamque remeet, qui mora, et ſtagnatione grauiditatis tempore vitiari aliquomodo potuit; tum febris inde nata longius trahetur, iterabitque acceſſiones ſuas, donec omnis impuritas ſudore, vrina, aut alui fluxu expulſa fuerit, quod intra tres, quatuor, aut quinque dies fieri conſueuit. Nulla contra febris accendetur, ſi contractio vteri adeo lenis ſequatur, vt nullam ſenſibilem in ſanguinis circuitu perturbationem efficiat, aut ſi ab vtero, reliquiſque partibus nullus ſanguini, aut lymphae vitiatus humor affundatur, qui per febrim expurgari debeat.

debeat. Quo casu nec lochiorum fluxus praeter naturae ordinem minuetur, nec lactis secretio quidquam incommodi praeter leuem mammarum distentionem procreabit. Lochia porro decolorari, aut imminui accedente febrili motu, atque iterum, eo cessante, rubicundiora, et copiosiora restitui, maxime rationi consonum est, nec quisquam mirabitur.

§. CCCLXIV.

Quae proprie lactea dici possit.

Non tamen inficior, interdum tantam sanguinis, humorumque vim ad mammas confluere, vt immodice tumeant, caleant, doleant, et quodammodo inflammentur. Verum tum febris, quae ex huiusmodi caussa excitabitur, non praecedet, vt modo descripta, sed subsequetur mammarum tumorem, lactisque secretionem. Haec proprie *lactea* dici poterit, vtpote quae a lactis nimia copia, et congestione dimanat, et symptomatica est, nec vlla eget crisi per sudorem, aut diuresim, sed sola tantum humorum imminutione, et reuulsione, aut lactis fuctione soluetur. Tantoque molestior, pertinacior, et diuturnior erit, quo magis pars aliqua in tumorem excrescat, aut lacte coacto indurabitur. Hoc genus mali febrim symptomaticam moventis commune quoque est nutricibus; quod, quando breui discutitur, vulgo Bononiae *mal del pelo* dicitur; si vero grauius vexat, facile in mammarum abscessum desinit.

§. CCCLXV.

Quando ab vteri leui phlogosi oriatur.

Differre vero ab his speciebus (§. CCCLXIII. CCCLXIV.) videtur ea febris, quam leuis interioris vteri caueae ex sententia SWIETENII inflammatio parit (§. CCCLIX.). Haec enim, quando incidit, quoniam puerperas huic quoque obnoxias (§. CCCLXII.) esse posuimus, vteri dolorem, tumorem, calorem, dysuriam, aliaque symptomata, de

quibus supra retulimus, paullatim consequitur, et modo citius, modo tardius corripit, definitque pro vario phlogoseos gradu, atque intensionis duratione, et pro vario tempore, quo inflammatio ipsa, cuius febris isthaec symptoma est, aggreditur. In hac praeterea lochia decolorantur, et successive foetent, purisque naturam assumunt, et si grauius malum est, inter initia non modo imminuuntur, sed etiam fere omnino deficiunt. Non enim perpetuum est, lochia, febri accedente, minui, aut deficere, aut decolorari, aut foetere. At si, quacunque ex caussa, vti ex frigore admisso, terrore, animi pathemate, odoramentis, placentae frustulis retentis, sanguineis concretionibus, aliisque similibus lochia restitent, cohibeantur, repellanturue, aliud sane febris vehementioris genus oriatur, necesse est, ab hisce omnino (§. CCCLXII. CCCLXIII. CCCLXIV.) cum origine, et natura, tum symptomatum grauitate, et periculo, tum effectuum varietate, atque exitu diuersissimum. Vera enim inflammatio vteri tunc morbum facit, vel caput vel pectus, vel aliae nobiliores partes per metastasim pessime occupantur, vt inde plurima, funestissimaque mala puerperas in summum vitae discrimen adducant.

Quando ab vteri inflammatione.

Prognosis, et curatio.

§. CCCLXVI.

Generatim febris lactea, si indicato tempore incipiat, et leuior sit, biduo, aut triduo finitur, aut si aliquanto longior persistat, quarto, aut quinto die, leni, vt dictum est (§. CCCLVIII.), sudore, vrina multa, aut crassa, interdum etiam liquidiore aluo, aut lochiorum fluxu, quae non nihil substiterant, copiosiore restituto. Passimque periculi expers habetur. Verum accurate indaganda est eius origo,

origo, et natura, antequam quidquam de prognosi, aut curatione pronuncietur. Si igitur eiusmodi videatur, qualem (§. CCCLXIII.) descripsimus, vix medici opera indiget, dummodo mitis sit, et cito remittat, lochia leniter fluant, plethora absit, nec quodpiam aliud symptoma grauius praesto sit. Tunc enim satis est puerperam quiescere, a luce viuidiore, sermonibus, aut confabulationibus arceri, capite eleuato decumbere, corpus a frigore defendi, potu tepido, aperienti, inodoro, grato, humores diluere, blandaeque diaphoresi operam dare, victu tenuissimo ex iure pulli, simplici, aut cum pane decocto, ad iusta interualla prudenter tributo vti, et clystere molliente, sine stimulis, oleo oliuarum, vbi opportunum visum erit, addito, singulis aut alternis diebus aluum laxare, aut iam laxam abstergere, donec integritas redeat. Raro sanguinis missione opus est. Si tamen lochia aequo parcius fluant, aut, quod magis vrget, sistantur, plethora vasa turgeant, facies rubeat, caput doleat, et pulsationibus feriatur, aut spiritus difficulter ducatur, febris vehementius exardeat, cum pulsu pleno, forti, et duro, aut suppresso, aut vteri regio compressa aliquem doloris sensum edat, tunc sanguinem incisa in pede vena mitti protinus oportet, ne ex leui alias morbo in peiorem, grauioremque fiat transitus; idque interdum, ni remittant symptomata, prudenter repeti. *Prima species quomodo curanda.*

§. CCCLXVII.

Si vero ex signis (§. CCCLXIV.) comperiatur, febrim vere *lacteam*, nempe a copia humorum, aut lactis ad mammas congesti esse, non alia curatio adhiberi debet, quam quae mammarum inflammationi. Resolutio itaque omni cura tentanda est, primum abstinentia, quiete, dato iure pulli tenui, *Secunda species vere lactea dicenda.* *Eius curatio.*

singulis quatuor horis repetendo, aut bis in die panatella liquidiori, quae non multum lactis proeuentum augeat, potu aquoso, leniter diuretico, cui subinde interponatur puluis oculorum cancrorum cum nitro commixtus, vt temperet, acidamque acrimoniam absorbeat; deinde etiam, si lochia parcius fluant, febris protrahatur, pulsus vehemens, et durus, et plenus sit, et reliqua symptomata, quae inflammationis indicium praebent, vna concurrant, aut capitis dolor, aut spirandi difficultas aliquod auxilium petant, ad sanguinis missionem ex pede deueniendum est, pro circumstantiarum ratione etiam iterandam; nec omittenda enemata, quae molliant, et leniter aluum laxent. Extrinsecus porro dolentibus mammis, tensis, et nimium calentibus lintea imponi debent ex decocto maluae expressa, et identidem renouata, super datis semper linteis duplicatis siccis, et tepentibus, ne fomenta iusto citius frigescant, frigoreque noceant. His saepe fit, vt laxatis viis lac e papillis vbertim exstillet quod maxime leuat. Si rubor quasi erysipelatodes summam cutim teneat, non alienum est aliquid aceti simplicis, cuius odor ferri innoxie solet, decocto maluae adiicere, vt magis resolvens, et temperans euadat. Sed a resoluentibus protinus temperare oportet, ac dolor, et mammae relaxantur; nam cauto opus est, ne lactis subita ad interiora metastasis fiat, a qua plurima mala timeri possunt.

§. CCCLXVIII.

Fomenta ficca. Alii fomentorum humidorum loco praecipiunt, mammas operiri linteolis siccis, calidisque, atque haec, cum primum lacte maduerint, continuo renouari, ne frigescant; idque fieri volunt cautione adhibita, ne frigus admittatur, et noceat. Calorem autem

autem huiusmodi saepe antecellere quibuscunque aliis remediis, vt petroselino, apio, menthae, chaerephyllo, farinae fabarum, aut secalis, melli, vini foecibus, butyro recenti in spiritu vini soluto, emplastris diachylon, aut spermatis ceti, aliisque, quae admoueri solent, auctor est LIEVTAVDIVS *a*). Verum etiam calor iste, nisi temperatissimus sit, noxa non vacat. Interdum enim in caussa fuit, cur repente vt a frigore, sic a nimio calore contractis fibris vasorum lac repercussum, cerebrum, pulmones, aliasque interiores partes impeteret, apoplexias, pleuritides, peripneumonias, inflammationes, abscessusque inferens, funesta videlicet mala, quae a lacte nomen habent. At praestantius non nouimus auxilium tam ad mammas tuto molliendas, quam ad auertendam lactis metastasin, lactatione. Bis igitur quotidie mammis alumnus admoueatur, aut si per eius infirmiorem aetatem non liceat, curandum saltem est, vt lac per aliquam mulierem, aut per catellum, aut per siphonem accommodatum exsugatur, donec infans, febre in primis discussa, libere id ipse facere possit.

a) *Précis de Médecin. l. III. p.* 649.

§. CCCLXIX.

Lac non dantibus quid conferat.

Illis vero, quae lac infantibus dare nolunt, vt pleraeque hodie sunt, inclinata iam febre prodest quam maxime *arcanum duplicatum*, a scrupulis binis ad drachmas duas in quatuor partes diuisum, et iustis interuallis in singulos dies datum ex hausto diluti tepidi capillorum veneris. Hoc enim sale, teste LEVRETO, qui primus eius vsum hoc in casu proposuit, atque experientia suffragante, non solum lochia leniter promouentur, quod maxime interest, verum etiam vrinarum, aluique excretio sollicitatur; quo potissimum fit, vt lactis exuberans

Arcanum duplicatum.

copia per haſce vias vtiliſſime foras emittatur *a*). Continuari autem huiuſmodi remedium debet, donec nihil lactis in mammis appareat, totumque e corpore eductum videatur. Non reticendum hic eſt, quorumdam in more poſitum eſſe, nona circiter die, qua febris lactea deſiiſſe conſueuit, aluum leni medicamento ſubducere, ſi prius non ſatis reſponderit; idque eo conſilio praeſtant, vt lactis reliquias deturbent, a quibus alioquin retentis vehementer ſibi timent. Verum non vniuerſim, nec ſine deliberatione in puerperis ad alui ductionem properandum eſt, praeſertim lochiis rite, abundeque fluentibus. Haec enim a praepropera purgatione, aut temere inſtituta, facile ſupprimuntur, et periculoſas metaſtaſes faciunt. Aluo igitur pigra; lochiis imminutis, aut deficientibus; lacte ſaepius ad mammas redeunte; appetitu deiecto; oris ſapore deprauato; ſomno a falſis imaginibus perturbato, poterit tuto aluus laxari ſale aliquo medio, vti Anglicano, aut Mutinenſi, aut Polychreſto, aut eodem ipſo Arcano duplicato ad quatuor, aut ſex drachmas in magna aquae calidae copia ſoluto.

Purgatio.

a) *L. c.* §. 948.

§. CCCLXX.

Quomodo praecaueri poſſit febris lactea.

Haec quod ad febris lacteae curationem. Verum ſcire etiam conuenit, qua ratione ea anteuerti, aut minui poſſit. Itaque duodecim circiter a partu horis, poſtquam puerpera ſomno refecta eſt, ſi lac praebere velit, recens natum vberibus admouere debet; nam ſuctio matura, et ſubinde repetita facit primum, vt lactis ſecretio facilius in mammis ſuccedat, deinde lacte educto cauet, ne mammae vltra modum turgeant, inflammenturque. Quae vero nutrici infantem tradunt, aut ita mammas habent turgidas, vt ab eo depleri nequeant, mulie-

ris

ris egent opera, aut alio artificio, vt supra dictum est, quo lactis copia minuatur. Copia item arcetur victu parciori, et parum alibili, et lac serosius, liquidiusque, vt citius aut fugi possit, aut effluat, redditur potu aqueo, et facile transeunti. At his periculosior casus est, si lac mora acescens, aut vi- tiatum repente e mammis recedat, sic vt omnino flacceſcant, et grauibus aliae partes symptomatibus (§. CCCLXVIII.) cum febre vehementi occupentur. Tunc illico sanguinem ex pede potissimum mitti expedit; aluum laxare; lochia, et vrinas leniter ciere; vt lac oberrans ad excretionem ducatur; imo si fortius malum vrget, cantharidibus vesicas excitare, nouumque materiae exitum aperire. *Quid agendum in lactis metastasi.*

§. CCCLXXI.

Si signa demum leuis vteri phlogoseos, qualis ea est, de qua SWIETENIVS disseruit (§. CCCLIX. CCCLXV.), praeualere videantur, praeter eam curationem, quam supra (§. CCCLXVI.) commendauimus, poterunt etiam vsui esse fomenta emollientia, vteri regioni imposita, et oleosa intrinsecus dari, vt facilius, quae vtero inhaerent, secedant, et prodeant. Quod si lochia suppressa maioris inflammationis metum (§. CCCLXV.) incutiant, reuocari quantocius ea debent. Nemo est, qui tunc venae sectionem non approbet. De loco tamen, vnde mitti praestet, aliqua quaestio moueri solet. Plerique vero conueniunt, si lochia omnino, et repente suppressa sint, caputque aut pectus impetant, aut in vteri vasis retenta tumorem inflammatoriam efficiant, ex venis brachii latioribus mittendum liberaliter esse, vt validior ab affectis, praegrauatisque viscеribus reuulsio fiat; contra si tantum imminuta, ex pede, vt iterum reuocentur, et debita copia fluant. Putant enim secta in pede vena, ad *Tertia species.* *Sanguis vnde mitti debeat.*

vterum copiosius sanguinem allici, atque, vt aiunt, deriuari; quamquam, vt ego arbitror, secta etiam pedis vena ab vtero reuellere videatur. Venae enim pedis cum iliacis externis respondeant, necesse est, vt, his depletis, minor ad iliacas internas, quae vtero sanguinem afferunt, dato tempore fiat influxus; in quo reuulsio consistit. Quod si nec lochia post venaesectiones iteratas redeant, nec congestio sanguinis circa vterum digeratur, summum praesidium est in hirudinibus vuluae labiis interioribus applicitis, atque in mitissimis, emollientibusque liquoribus in vterum tepide per siphonem crebro iniiciendis. Inter hos oleum amygdalarum dulcium recentissime sine ignis ope expressum praestantissimum est. Fere eadem curatio conuenit in vteri ipsius phlegmone, quam placenta retenta, aut laboriosior partus, aut vis externa adhibita intulerit.

V. S. in pede reuellit ab vtero.

§. CCCLXXII.

Nutricum febris lactea curatio.

Quae demum tumoribus mammarum, qui nutricibus extra puerperium superueniunt (§. CCCLXIV.), opportunior curatio adhibenda sit, Chirurgiae scriptores vberrime docent. Praecipue vero ex iis, quae alibi de inflammatione in vniuersum tradita sunt, peti possunt. Illud tantummodo supereſt, quod moneam, lente omnino post depulsam febrem lacteam ad pleniorem victum esse redeundum, et corpus a frigore, aëre, aliisque noxis probe defendendum.

FEBRIS GASTRICA ACVTA *).

§. CCCLXXIII.

Quid hoc nomine intelligatur.

Huius quoque loci est illud febrium genus, quod, etsi varie ab auctoribus denominetur pro differenti sede, in qua eius fomes insidere creditur, aut

aut diuersa ipsius fomitis natura, et prauitate; rectius tamen cum BALLONIO *a*) *Gastricae* nomine nuncupandum videtur, dummodo *acuta febris*, non *lenta* hac voce (*) intelligatur. Quocunque autem nomine scriptores eam appellarint, febrem videntur significare voluisse, quae originis sedem in imo ventre habeat, et a cacochylia, siue a prauis, corruptis, putridisque materiebus, succisque primas vias infestantibus, et sensim in sanguinem irrepentibus (1) gignatur, quaeque alui deiectionibus cum spontaneis, tum arte promotis leuetur, et soluatur.

*) *Synonyma.*

Febris a putredine orta ALEXANDRI TRALLIANI, *l. XII. cap.* 12. *Febris putrida Monspelliensium*, FIZESII *Tract. de febrib.*, LE ROY *second. Mémoir. sur les Fievr. p.* 243. *Febris putrida quorundam* Recentiorum. *Febris mesenterica* BAGLIVII, *Prax. Med. l.* 1. *De feb. malig. et mesenteric.* §. 3. *et* 4. *Febris acuta mesenterica* BVRCHARDI, *Diss. de Febr. acut. Mesent. Febris acuta stomachica, et intestinalis* HEISTERI, *Compend. medic. Pract. cap. V. Febris stercoralis* QVESNAEI, *Des Fievr. T.* 2. *p.* 367. *Febris intestinalis, et mesenterica a cacochymia atrabilaria* RIEDELII, *De Febr. Intestin.* §. *XV. Febris putrida, aut biliosa* TISSOTII, *Avis au Peuple Prem. Part. chap. XVI. p.* 263.

a) *Epidem. l.* 2. *p.* 117. 120.

(*) Quae enim *Mesentericae* vocantur passim, atque a FERNELIO nomen habent, non sunt huius generis; nam ad lentas, et symptomaticas pertinent, de quibus, vbi de Hectica, iam mentio facta est.

(1) Viae, quae aditum in sanguinem praebent, non sunt tantum vasa lactea, verum etiam vasa absorbentia, quae vt minus irritabilia promtius, faciliusque recipiunt quemcumque humorem, licet acrem, et irritantem.

§. CCCLXXIV.

Quid cacochylia nobis sit.

Cacochyliae autem nomine venit quidquid in ventriculo, intestinis, hepate, pancreate, aliisque imi ventris visceribus a naturali statu alienum nidulatur, corrumpitur, aut alio quouis modo noxium est; siue id primario ibi haereat, et stagnet,

ſiue a totius corporis habitu, aut aliunde illuc confluxerit, et coaceruatum ibi ſit. Cuiuſmodi ſunt cruditates, et quaecumque alimentorum degenerationes in ventriculo collectae; excrementa in inteſtinis cunctantia, atque ad inſigniorem corruptionem euecta; bilis in ductibus ſuis, et cyſtide fellea vberius congeſta, et putreſcens, aut in duodenum, ventriculumque effuſa, aut illapſa, et diu nimis ibidem remorans; gaſtricus, pancreaticus, aut entericus ſuccus ſimiliter vitiatus; ſanguinis, reliquorumque humorum recrementa aut retenta aut retropulſa, atque ad inteſtina traducta; vermium varia genera; praua, noxia, putrida, venenata potus, cibi, medicamenti forma ingeſta; miaſmata abſorpta, deglutita, et ventriculo, inteſtiniſue inhaerentia; vno verbo ea omnia ex his, quae purgatione educi poſſunt, atque educta morbum imminuunt, aut penitus tollunt.

§. CCCLXXV.

Cur gaſtrica rectius appelletur.

Quia vero cacochylia iſta primarum viarum aut putrida, aut ad putreſcendum valde prona generatim hodie habetur; ideo Monſpellienſes, TISSOTIVS, aliique *) febrem inde genitam *putridam* nominarunt; verum fortaſſe non ſatis appoſite, nec accurate: nam fomes iſte febrilis variis modis nocere poteſt, variiſque vitiis praeditus eſſe, quin *putridus* exiſtat; et nomen *putridae* pluribus aliis febribus **) non modo a Veteribus, ſed etiam a Recentioribus inditum eſt, ſic vt rectius *gaſtrica* huiuſmodi febris appellanda videatur. Putridae enim vere dicendae illae videntur, in quibus vis putrefaciens ſanguinem ipſum diſſoluit, et putredo ipſa ſanguini ineſt, paullatimque in eo proſerpit. Quaecunque igitur febris, vt alibi indicauimus, ſiue continens, ſiue remittens, ſiue intermittens, aut compoſita

posita fuerit, cum putrida sanguinis dissolutione coniungitur, putrida dici potest, nec peculiare quoddam febris genus ea constituit. In vere putridis autem putredo ita propagatur, vt, quamuis corrupti humoris portio subinde secedat, excernaturque, febris tamen non ideo decrescit, vel minuitur, sed nihilominus pergit adhuc exurere, et deflagrare. Contra res se habet in febre *gastrica* siue ex cacochylia primarum viarum orta; nam colluvie hac per purgationem subducta pleraque symptomata decedunt, et febris ipsa proportionate mitescit. Quod si ob fomitis partem cum sanguine communicatam, cumque eo efferuescentem, febris non penitus euanescit; ipsa tamen extenuatur, prout saburra extunditur, detrahiturque. Quo sane discrimine *gastrica febris* a reliquis vere putridis vulgo dictis apprime distinguitur.

*) Passim Monspellii, referente LE ROY, (*l. c. n. p.*) omnes febres rediguntur ad duo summa genera; ad *putridas* nempe, et *malignas*. *Putridae*, quae in primis viis fomitem, vt supra notauimus, habent, acutis quidem accensentur, et symptomatibus grauibus stipantur, non tamen admodum periculosis. Quibus contra symptomata superveniunt periculosa et terrentia, eae malignae habentur.

**) *Putridae* a Galenicis vocabantur, vt ostensum supra fuit, omnes febres, exceptis ephemeris, et hecticis; et praesertim *Synochi*. Hodie *pestilentes*, *verae petechiales*, *carcerariae*, *contagiosae*, *nosocomicae*, et pleraeque *malignae* passim *putridae* dicuntur, vt apud HVXHAMIVM, PRINGLIVM, STÖRCKIVM, QVARINIVM, aliosque quam plurimos videre est. In hunc locum opportunissime cadit id, quod aduersus veterum sententiam scriptum reliquit ALEXANDER TRALLIANVS. Is (*l.* 12. *cap.* 2.) postquam ex eorum sententia multa de febribus ex putredine oriundis protulit, haec habet: *Nonnulli vero medicorum nullam prorsus in venis putredinem fieri, sed magis in ventre existimarunt. Eius autem rei fidem faciunt tum ex vermibus, quae in eo generantur, tum ex recrementis subductis, quae et malum odorem, et ad putredinem nihilominus*

hilominus inclinationem repraesentent. Indicant hoc quoque vomitus, inquiunt, qui crebro tam perfecte febres exciderunt, vt aeger non amplius malam accessionem sit expertus. Iam alias rursus a febri liberatos ex vna, et sola sorbitione, vel iniectione conspexisse, verum non ex his modo, sed aliis quoque multis accurate videre licet; quod venter etiam febrium ex putredine ortarum causa exsistat, forsan autem aliarum quoque fons, et origo ipse proprie exsistit.

§. CCCLXXVI.

Remittens semper est. Quotidianae continuae vt plurimum seruat typum et morem Gastrica febris. Non negamus tamen, interdum eam varias periodi subire vices, nempe Tritaeophyarum, aut compositarum, aut erraticarum simillimam. Sed semper vere remittens est, et cacochyliae primarum viarum notas habet; in quo eius character omnino consistit. A QVESNAEO acriticis, siue excrementitiis, vt ipse loquitur, febribus adnumeratur; quia neque coctionis, neque legitimae criseos capax est, vtpote quae sola impurae colluuiei subductione curatur. Id ipsum iam ante QVESNAEVM docuerat BAGLIVIVS *a*), inutilem in hac febre dierum criticorum considerationem ratus, cum coctionis, criseosque legibus minime eam respondere vidisset.

a) *Prax. Med. l. c. §. IV.*

§. CCCLXXVII.

Causae antecedentes. Eam antecedunt causae, quae ciborum coctionem laedunt, perturbant, et deprauant; quae perspirationem cohibent, et ad intestina conuertunt, quae bilem vberiorem, aut acriorem reddunt, fibrarum robur minuunt, motum humorum in imo ventre retardant, secretiones, excretionesque viscerum abdominalium supprimunt, cruditates, impuritatesque ventriculo, aut intestinis suppeditant, vti austrinae constitutiones, pluuiae immodicae, aquarum inundationes, crebrae frigoris et caloris vicissi-

viciſſitudines, vegetabilium recentium, vini, aceti, et cerealium ſeminum inopia, panis mucidus, aut vermibus ſcatens, aut aliter ſuſpectus, fructuum immaturorum, aut facile putreſcentium, et carnium, aut lacticiniorum, aut crudorum alimentorum abuſus, vita deſes, aut curis, vigiliis, ſtudiiſue nimium diſtenta, moeror, pathemata diuturna, et prae ceteris aeſtas praeferuida, ver humidum, et pluuioſum ſubſequens, atque alia huiuſmodi. Addunt etiam non nulli atmoſphaeram putridis halitibus refertam, atque effluuia locorum paluſtrium: quamquam ex his febres nedum gaſtricae, verum etiam neruoſae, et quaecumque aliae malignae, epidemicae, contagioſae, imo morbi ipſi exanthematici gigni ſoleant.

§. CCCLXXVIII.

Signa imminentis morbi.

Quibus vero iam imminet morbus, hi aliquot ante diebus valde languent; capite, lumbis, et genibus dolent, aut pondus, et grauitatem toto corpore ſentiunt; interdum vehementi cephalalgia vexantur; prauo oris ſapore, matutinis praeſertim horis afficiuntur; cibum faſtidiunt, ac auerſantur, et nocte inquietas, inſomneſque ſine vllo alio plerumque ſymptomate tranſigunt. Deinde incipiunt per vices horrere, et incaleſcere, donec tandem calore ſicco, atque acri exardeant. Tunc pulſus, qui horroris tempore erat paruus, et celer, ſe incipit efferre, et quandoque ſit vehemens, non tamen durus, vti in ſynocho vtraque eſſe conſueuit, niſi febris haec, quod non raro euenit, in plethoricum hominem, aut diatheſi ſanguinis inflammatoria praeditum inciderit. Capitis praeterea dolor plerumque ingraueſcit; vomitus aut vomendi cupido accedit; ſitis affligit; vrina parcior redditur; atque os manifeſtius amareſcit. Totam ferme noctem haec

Signa iam incipientis.

Progreſſus.

haec perdurant; mane vero aduentante omnia aliquantum remittunt; mitescit calor; pulsus etsi perpetuo sit celer, et frequens, et primis etiam diebus inaequalis, aut obscurus, non nihil tamen suae magnitudinis, et virium deperdit, aegro interea debili, et languido remanente *a*).

a) TISSOT. *Avis au Peuple Prem. Part. chapit. XVI.*

§. CCCLXXIX.

Reliqua morbi signa. Praeter communem sub vesperas febris intensionem gradum, non nullis etiam interdiu aut noctu aliae quaedam, atque inordinatae, primis potissimum diebus, obueniunt quasi accessiones, siue incrementi species, quae aegrum exagitant. Dentes, lingua, fauces viscida, et tenaci pellicula, modo albida, modo fusca, et nigricanti, modo flaua, et lutea obteguntur. Quibusdam aluus compressa est; pleriſque tamen liquescit, et fluit; sed pauca, liquida, vix leuantia descendunt cum crebra deiiciendi necessitate. Deiectiones autem foetidissimum spirant odorem, nec dissimilis ex ore halitus emanat. Vrina cum natura, habitu, et colore, tum copia varia est. Initio plerumque tenuis, naturalisque videtur, siue id a spasticis affectionibus, siue a sanguine nondum cacochyliae ingressu infecto, sed puro, deducere velis: procedente vero morbo crassa, turbida, subiugalis emittitur, et multiplex sedimentum, postquam refrixerit, deponit; talisque ad morbi vsque finem saepissime cernitur. Aliis cutis arida, et aspera est; aliis humida, mollis, et vapore perfusa, sed sine vllo symptomatum, et febris ipsius decremento. Hypochondria, quorum diligens obseruatio in omnibus acutis perutilis est, plerumque eleuantur, turgent, tenduntur, et dolent. Imo epigastrium in aliquibus, praesertim iis, quibus circa hepar bilis putrescit, et coacer-

coaceruatur, adeo tenditur, et tumet, vt prae dolore aegri manus attactum nec permittant, nec ferant *a*).

a) MERTENS *observ. medic. P. I. cap.* 2.

§. CCCLXXX.

Quamlibet alui deiectionem vt plurimum praenuntiant anxietates quaedam, fuſpiria, moleſtae ventris perturbationes, interiores ſpaſmi, borborygmi, flatuum ſtrepitus, aliaque huiuſmodi. Pauor dormientes crebro, et repente excitare conſueuit; imo vigilantibus quandoque adeo infeſtus eſt, vt ex leui quauis cauſſa ſaepe contremiſcant, et trepident. Quod plane ſymptoma BVRCHARDVS certiſſimum cacochyliae in primis viis exiſtentis indicium eſſe aſſeuerat. Pulſum etiam non parum lucis praebere, vſus comprobauit. Solet enim, vbi inteſtina, et ventriculus ſordibus ſcatent, et irritantur, paruus, contractus, inaequalis, atque interdum intermittens eſſe. Non rarum tamen eſt, multa ex his deſiderari, dubioſque haerere medicos, num primae viae excrementis obſideantur. In hac rerum ambiguitate, vt praecipit QVESNAEVS, oportet aluum clyſtere immiſſo pertentare. Promta enim, aut tarda, facilis, aut difficilis excrementorum deiectio, quae clyſterem ſubſequetur, eorum color, odor, habituſque alienus, aut naturalis, prauum in inteſtinis fomitem reperiri, vel abeſſe indicabunt. Sed debet clyſter ex iis conſtare, quae nec colorem, nec odorem excrementorum immutare, aut confundere poſſint. Aptiſſima ad id prae ceteris ſenna eſt ex aqua leuiter decocta, aut ſal catharticus amarus, aut Cremor Tartari, aut quicunque alius ſal aqua calenti ſolutus.

Pauor in ſomno quid ſignificet.

Pulſus qualis.

Queſnaei obſeruatio.

§. CCCLXXXI.

§. CCCLXXXI.

His igitur notis (§. CCCLXXVI. ad CCCLXXX.) haec febris potiſſimum proditur, HEISTERO iudice, et teſte, quando benignior eſt, et purior. Concedit tamen idem exercitatiſſimus Auctor, eam non raro ſibi alia aſſumere ſymptomata; quae non tam febrem ipſam, quam peiorem eius naturam, gradum, malignitatem, maiuſue aegrotantis diſcrimen indicare queant. Nam vbi malum aut ſoli naturae committitur, aut inepta curatione exaſperatur, aut ſua prauitate remediorum eludit praeſidium, quod ſaepiſſime in epidemicis quibuſdam conſtitutionibus, in quibus exitioſiores cauſſae eam gignunt, incidere obſeruatur; tunc acceſſiones vehementius inualeſcunt, tardius, vel minus remittunt, crebrius redeunt, duplicantur, triplicantur, aut inordinatae, atque erraticae fiunt. Hinc in ſcenam prodeunt ſummae praecordiorum anxietates, epigaſtrii, aut lateris vnius ſecundum hypochondria dolor acutiſſimus, pleuritidem ſimulans; virium defectiones; lipothymiae; ardor interiorum partium, exteriorum frigus, aut tepor; ſingultus; tremores manuum; tendinum ſubſultus; mentis emotiones; ventris, atque hypochondriorum, quorum perneceſſaria Medico eſt frequens contrectatio, meteoriſmus; motuſque ſpaſtici, quibus faciei muſculi conuelluntur.

Signa minus propria, peiorem morbum denotantia.

§. CCCLXXXII.

Ad haec aut ſponte, aut ex calefaciente, vt vocant, regimine, aut alexipharmacorum, ſudoriferorumque abuſu, aut neglecta alui ductione, atque ideo inuecta in ſanguinem morbida ſaburra maculae rubrae, aut liuidae, aut obſcurae pulicum morſibus ſimiles in ſummam cutim erumpunt, praeſertim circa collum, dorſum, et pectus, et tum petechia-

Peticulae.

petechialis vel *purpurata* febris vulgo appellatur, quamquam a *petechiali vera*, siue a *morbo petechiarum*, in quo *petechiae* primarium morbum continent, vt alibi videbimus, multum discrepare videatur. Interdum etiam *exanthemata* tam rubra, quam alba, grana milii referentia, modo solitaria, modo *peticulis* intermixta cum molesto pruritu prodeunt, et *morbum miliarem*, de quo alibi agemus, aemulantur: quae tamen hic, vt secundaria, et epigenomena haberi debent. Et tunc *miliaris febris* saepe nomen obtinet. Vbi vero malignitatis signa praesto sunt, et peticularem febrem simulat, quin tamen peticulae erumpant, *maligna* et *petechizans* a non nullis dicitur; item *morbillosa*, et *catarrhalis*, cum morbilli cum ea, aut catarrhales affectus complicantur. Huiusmodi profecto fuit *Febris catarrhalis putrida* anni 1768. a CAROLO MERTENSIO descripta, et pari doctrina et felicitate curata *a*). Nec absunt interdum materiae morbificae ad alias partes transmigrationes. Ad aures translata, surditatem, ad glandulas, parotides, similesque tumores, inflammationes, atque abscessus; ad fauces, anginam; ad pectus, pleuritidem, et peripneumoniam; ad cerebrum, vigilias, delirium, phrenitidem, aut soporosos affectus; ad ambitum corporis, abscessus, gangraenas, oedemata inducit. Quamquam multa ex his saepe eueniunt per solam neruorum, aut vasorum, aut membranarum, vt non nullis etiam placet, consentientium vim, quemadmodum ex eo demonstrari videtur, quod interdum aluo siue sponte, siue medicamento soluta penitus euanescunt. *Miliaria.*

a) Observ. med. de Febrib. putrid. et pest. P. I. cap. I.

§. CCCLXXXIII.

Quo casu (§. CCCLXXXI. et CCCLXXXII.) tandem euenit, vt, mente siue delira, siue profundo somno *Signa gravissimi morbi.*

somno oppressa, ipsa excrementa alui, et cum his saepe lumbrici egeruntur, insciis plerumque, aut non animaduertentibus aegris; qui supini omnino iacent, ad crura sensim delabuntur, et cuncta miserrima respuunt auxilia. Nec raro muscas venantur, festucas colligunt, garriunt, obmurmurant. Inter haec pulsus fiunt exiles, celeres, inaequales, obscuri, intermittentes, nec facile eorum numerari ictus possunt. Sudor frigidus vndique manat; pectoris cauum oppletur; stertor succedit, et demum mors feralium symptomatum agmen claudit.

§. CCCLXXXIV.

Quando benigna est, et legitima.

Quando vero benignus, purus, legitimus, nec vlla cum malignitate coniunctus morbus est (§. CCCLXXVIII. CCCLXXIX. CCCLXXX.), nec arte, aut neglectu peruertitur, aliquamdiu in eodem primo illo stadio, quod supra expositum est, persistit, quin ingraueſcat, aut minuatur. Postea mitior fit; symptomata omnia pacantur; accessiones minori profecto vi recrudescunt, citiusque, et manifestius se remittunt; capitis dolor tolerabilior est; aluus non ita crebro, sed facilius excrementa dimittit, quae vt concocta magis, et copiosiora descendunt, sic euidentius, certiusque releuant aegrotantes. Vrinae pariter vberius profluunt; somnus incipit facilior, et placidior esse, laborem non faciens, vires, animumque restaurans; lingua naturalem colorem, atque humiditatem acquirit; gustus emendatur; aliqua redit cibi cupiditas, et paullatim, cute molliori, et vaporosa vbique reddita, omnium functionum pristina integritas restituitur.

§. CCCLXXXV.

Diuiditur igitur in benignam, et malignam.

Ergo prima huiusce febris differentia est, vt vidimus, in *benignam*, et *malignam*. Posteriorem ostendunt virium lapsus, symptomata grauiora, exanthe-

antheniata; neruorum affectus, ſpaſmi, delirium. Horum abſentia priorem. Pro diuerſa vero gaſtricae cacochyliae natura, et ratione, variae etiam differentiae eliciuntur. Hinc *pituitoſa*, ſiue *glutinoſa* SARCONII et SELLII *a*), *bilioſa* TISSOTII *b*), et *verminoſa* J. D. MOREALIS *c*), aliorumque profiſcuntur; prout nimirum vel pituita, et mucus, vel bilis, vel vermes primarium febris fomitem continere creduntur. *Pituitoſam* indicari dicunt lingua glutinoſa, alba, quaſi lardo obducta; ſaliua viſcida fauces atque os replente; vrina tenui, limpida, aut turbida; ſapore oris fatuo; appetitu deficiente; victu antecedenti ex crudis, farinaceis, glutinoſis; temperamento pituitoſo, et melancholico. *Bilioſam* ſapore amaro, lingua flaua, vel certe non mucoſa, vomitu, aut diarrhoea bilioſa, temperamento cholerico, flauo cutis colore, vrinis ſubicteritis, aut lateritiis. *Verminoſam* lumbricorum ſignis alibi a nobis traditis, ſed praeſertim eorumdem frequenti excretione. Verum etſi ſingularum notae, quibus diſcerni eas poſſe putant, enumeratae modo ſint, non tamen exiſtimauerim iis eſſe multum tribuendum, cum ſaepe omnes illae cauſſae vna concurrant; nec pathognomonicae ita ſint, vt earum ope certa ſemper cuiuſuis differentiae diagnoſis haberi queat. *Aliae differentiae, earumque ſigna.*

a) *Pyretolog. p.* 242. *b*) Avis au peuple *chapit. XVI. p.* 263. *c*) *Delle febbri maligne, e contag. prodotte da vermi. Modena an.* 1739.

§. CCCLXXXVI.

Nec rarum eſt, *gaſtricam* febrem cum diatheſi inflammatoria ſanguinis, quin imo cum peculiari quarumdam partium inflammatione complicari. Hinc *gaſtrica inflammatoria* apud non nullos tunc audit, et plerumque ab initio continens eſt, quam- *Gaſtrica inflammatoria.*

quam deinde, sublata inflammatoria diathesi, mox remittentis speciem assumat. Interdum etiam in ea nedum cacochylia gastrica, verum etiam sanguinis nimia tenuitas, aut putrida dissolutio coniungitur. Quando id accidit, *gastricam*, aut *biliosam putridam* aliqui eam vocant. Talis videtur fuisse *febris biliosa Lausanensis* TISSOTII *a*), *maligna verminosa* MOREALIS *b*), *Febris continua putrida cum vermibus* VAN DEN BOSCHII *b**), *putrida biliosa anni* 1769. MERTENSII *c*), *Febris biliosa castrensis, et locorum palustrium* PRINGLII *d*), *Febris epidemica Senensis ann.* 1766. *et* 1767. NERVCCII *e*), *Febris putrida verminosa, et maligna anni* 1770. LEPEQVII DE LA CLOTVRE *f*); item *Febris epidemica ann.* 1779. GALERONII *g*), et pleraeque *gastricae epidemicae*, et *malignae* ab auctoribus descriptae*). Atque hae sunt praecipuae differentiae, quae in febrem gastricam cadunt. Num vero pro tot gastricarum generibus habendae sint, quae innumeras fere species comprehendant, vt SELLIVS posuit, vehementer dubitamus. Neque id naturae valde consentaneum, nec clinicis satis commodum videtur.

Gastrica biliosa et putrida.

a) Dissert. de febrib. biliosi., seu Historia epidemiae biliosae Lausanensis an. 1754. *b) L. c. b*) Histor. constitutionis epidem. verminosae, quae annis* 1760. 1761. 1762. *et initio* 1763. *etc.* regnauit *cap.* 3. *sect.* 1. §. 25. *c) L. c. P.* 1. *cap.* 2. *pag.* 50. *d) Osservazion. sopra le malattie d'Armata P. III. cap. IV.* §. 1. 2. 3. *e) Hist. febr. epid. Senens. ann.* 1766. *et* 1767. *Sen.* 1767. *f) Observations sur les Epidem. p.* 91.

*) Animadvertendum vero est, raro epidemicas febres praesertim malignas, simplicium, et sporadicarum naturam sequi, nec regulares, et vniformes esse, vt sparsae, siue sporadicae esse solent. Semper aliquid habent, quo a congeneribus discrepent, dissentiantque. Namque non modo ratione temperamentorum, sexus, aetatis, verum etiam anni temporis, tempestatum, regionis, loci, aliarumque circum-

circumstantiarum plurimum variantur. Imo probabile est, epidemicum ipsum miasma natura, virulentiae gradu, quantitate sic saepe variari, vt magnae subinde in morbis mutationes fiant, atque hinc fortasse euenit, vt in eadem epidemica constitutione morbus initio alius, alius in progressu, alius in fine videatur; nec vbique in finitimis locis eamdem exhibeat faciem, sed aliam atque aliam pro caussarum proëgumenarum fortasse varietate. Peculiare eiusmodi varietatum specimen occurrit in *febre maligna epidemica ann.* 1772. *et* 1773. a Cl. BONTAEO (*Mém. de la Soc. Roy. de Méd. Vol. I. p.* 23.) descripta. Erat haec quidem in omnibus continua remittens, et quotidianae typum seruabat, sed in aliis gastricam putridam, in aliis catarrhalem, in non nullis lentam neruosam, malignam perpetuo, atque anomalam prae se ferebat; sic, vt Cl. Auctor eam in plures species, nempe in *febrem malignam*, vt ipse vocat, *putridam*, in *biliosam*, in *mesentericam*, in *catarrhalem*, et in *neruosam* diuidere coactus fuerit; vt quilibet videre potest l. c.

Prognosis.

§. CCCLXXXVII.

Prognosis varia.

Generatim haec febris certos, statosque non habet siue salutis, siue exitii terminos. Nam aliae leues sunt, et benigniores, aliae grauissimae, aut malignae, prout nimirum paucioribus, aut pluribus pernicios symptomatibus, et quidem fibrosum, neruosumque genus plus, minus afficientibus insolescunt, et terrent. Ex spasticis enim potissimum affectionibus, quas in hac febre excitat heterogenei fomitis acerrima, et virulenta natura, non raro lethales peripneumoniae, pleuritides, anginae *), cardialgiae, colici, aut iliaci dolores, cephalalgiae acutissimae, tusses vehementes, summa virium deiectio, lethargus, phrenitis consequuntur; quemadmodum supra indicatum est; sicque complura mala implicatissima oriuntur, quae varios periculi, et perniciei gradus constituunt. Maius quoque periculum est, quando cum aliis morbis

complicatur, nempe cum morbillis, cum variolis, exanthematis miliaribus, cum synochis putribus, aut imputribus, praesertim ardentibus, cum particularibus inflammationibus, aliisque acutis morbis.

*) Anginae tamen in his febribus plerumque ab acri et septico fomite, vel miasmate ad fauces delato oriuntur, et facile in aphthas gangraenosas, et depascentes degenerant. Hinc malignae, et putridae tunc vocari solent. De quibus plura in *Capite de Angina* alibi. Similem saepe causam habent quoque pleuritides, et peripneumoniae, et celeriter in gangraenam terminantur lethalem.

§. CCCLXXXVIII.

Durațio. Attamen quando leuior est, plerumque paucos intra dies finitur. Contra, si grauior, non nisi exactis sex hebdomadis, imo etiam longiore tempore. Tanta vero diuturnitas morbi non a sola morbificae materiae copia, et prauitate, sed plerumque etiam a praepostera curandi ratione proficisci solet; nam communius eius curriculum intra quatuordecim, aut intra triginta dies, quando longius procurrit, circumscribitur. At quoties vehementissimis vrget symptomatibus, inepteque curatur, saepe accidit, vt aegros iugulet nona die, interdum decima octava, aut vigesima. Quandoque etiam post varias spei, et timoris vicissitudines ad quadragesimam, qua demum soluitur, vt modo innui, protrahi visa est. Ideoque cauendum est, quando etiam funestissima omnia videntur, ne statim exitium ineuitabile praedicatur, quia non raro, cognita, expulsaque per vomitum, aut alui deiectionem materiali causa, cito, atque inexspectato dissipantur.

§. CCCLXXXIX.

Alui fluxus quid indicet? Alui fluxus, qui vt plurimum superuenit, aut comes est, si arte, aut casu supprimatur, tum aegrotantium res in peius ruunt, translata ad interiora, nobilioraque alia viscera gastrica, corrupta-

que

que cacochylia. Quod STAHLIVS ipſe, et reliqui eius aſſeclae, vbi de febre *catarrhali maligna Germanorum*, ſiue *epidemica* et *petechizante*, quam reapſe ad gaſtricas ſpectare infra demonſtrabimus, ſpeciatim loquuntur, luculenter teſtatum faciunt. At deiectiones tenues, liquidae nimis, aquoſae, aut ſincerae non vacant periculo. Contra bonum omen portendunt excrementa paullo ſpiſſiora, pulticulae ſimilia, et faeculentiora, minuſque foetentia. Interdum etiam vrina craſſa, ſtrangurioſa, aut purulenta non leuem boni exitus, et iudicii ſpem facit. Gaſtrica maligna, aut epidemica, bilioſa, putrida, aut cum aliis morbis complicata pernicioſior, difficilior que eſſe conſueuit. Reſpiratio quo liberior, facilior que, aut aequalior; quo minor anxietas, aut irrequies eſt, eo maior ſalutis ſpes. Pulſus exiles parui, inaequales; facies liuida, tetra, pallida; ſummus virium lapſus; mentis aberrationes, in primis ſi eas nec capitis dolor, nec vigiliae immodicae anteceſſerint; frigus extremorum, cum olidiſſimis, pallidis, aut fuſcis, nigriſue deiectionibus, inteſtinorum gangraenam, aut ſphacelum imminere, proximamque mortem ſignificant. In gangraenam quoque facile abeunt viſcerum inflammationes, quae huic febri ſuperueniunt, nec mirum in tanta humorum putredine, aut ad putreſcendum procliuitate. Sanguinis item corrupti, atri, ſplendentis profluuium, niſi ab haemorrhoidibus fundatur, plerumque lethiferum eſt. Reliqua bonum, aut malum euentum indicantia ſatis, ni fallimur, ex iis, quae in huiuſce febris hiſtoria protulimus, erui poſſunt. Poſtremo id ſolum adiicimus, crudum morbum adhuc eſſe, dum ſymptomata intenduntur, aut pertinaciter saeuiunt; ad coctionem procedere, iis inclinatis, aut decedentibus; nam vera coctio nulla, vt ex BAGLI-

Deiectiones crudae?

Gaſtricae rum variae natura.

Signa bona, et mala.

Nulla coctio exſpectanda.

VIO, et QVESNAEO monuimus, in hac febre fieri consueuit.

Curatio.

§. CCCXC.

Indicationes. Morbi natura, atque ipsa ratio postulat, vt quam citissime omnis e primis viis saburra expellatur, inflammationis si quis timor est, aut metastaseos, prouide auertatur, spasticae solidarum partium affectiones tollantur, et putredini, aut sanguinis putridae dissolutioni, quoad fieri potest, eatur obuiam.

An sanguis mittendus? Ante omnia vero perpendendum rite est, num protinus ab initio sanguinem mitti expediat. Plerique enim non mittendum esse, docent. Sed ego, quaenam in hac controuersia attendenda sint; quo modo cognosci possit, vbi sanguinis missio conueniat, paucis complectar. Nam si aetas florida, si temperamentum sanguineum, si bonus corporis habitus, si plethora, si pulsus magnus, vehemens, aut durus, si dolor capitis atrox, si pectoris oppressio respirationem laedens, atque alia symptomata immitia concurrant, si ea, quae calefaciunt, diathesinque phlogisticam sanguini inducunt, praecesserint, si aliqua pars inflammationis metu tentetur (§. CCCLXXXI. CCCLXXXII.), aut gastrica febris cum diathesi inflammatoria, vti in *gastrico-inflammatoria* (§. CCCLXXXVI.) accidit, confestim, ac inter initia, sanguis e vena mitti debet, et si semel satis non fuerit, iterato id etiam fieri poterit. Inter symptomata, quae id auxilii exposcunt, recensendus quoque est venter tumens, dolens, tensus, et clausus. Alias sanguinis missio superuacua esse consueuit, imo noxia, tum in primis, cum febris iam aliquantum processerit, vel cum putrida sanguinis dissolutione complicetur, vt in *gastrico-putrida*, praesertim *epidemica*, aut *maligna* euenit.

Quo

Quo in casu, si quid tamen eam indicet, tutius sanguis cucurbitulis scarificatis, aut hirudinibus temporibus, naribus, aut haemorrhoidibus admotis mittitur; idque conuenientissimum prope est in ipso morbi etiam progressu.

§. CCCXCI.

Ceterum, quod perneceſſarium est, primarum viarum sordes mature excutiendae sunt, idque vel vomitione, vel ducta aluo praestandum. Vomitione, si materies circa ventriculum turgeat; quod innotescit potissimum ex lingua lurida, et sordida, ore amaro, anima foetida, nausea, vomitu bilioso, vel pituitoso, sensu molestiae, aut ponderis circa praecordia, anxietate, cephalalgia sympathica, aurium susurru, oculorum caligine, aut vertigine, neque interea febris impetus, aut inflammati ventriculi, intestinorumque suspicio, aut sputum sanguinis, aut aliud quidpiam obstet. Obstare etiam solet enterocele, nisi cingulo rite applicito intestinorum vehemens prolapsus auertatur. Grauiditas quoque impedimento est; sed non tanto, vt quandoque in robustis, difficulterque abortientibus, si necessitas vrgeat, leniſſime vomitus cieri non possit. Alui vero ductione, si vomitus cieri nequeat, aut gastrica colluuies intestina potius teneat; quod indicant genuum grauitas, lumborum dolor, epigastrii, aut ventris tumor sine inflammatione, borborygmi, flatus, tormina, alui egestiones foetidae, liquidae, mordicantes, et biliosae.

Purgatio duplex.

Indicantia emesin.

Indicantia alui ductionem.

§. CCCXCII.

Vomitus autem cieri potest vel aqua tepida oleo remixta, affatimque epota, vel oxymelle scillitico, vel ipecacuanha, vel in robustioribus tartaro emetico, in magna aquae tepentis copia soluto, et diuisim ad interualla, donec vomitus subsequatur, propinato.

Quibus auxiliis vomitus, aut alui deiectio quaerenda.

pinato. Nec semel tantum, vbi multa gastrica cacochylia est, sufficit vomitum prolicere, sed interdum id iterari, prout res exigit, opus est. Educta per breuiorem viam cacochylia, proponit TISSOTIVS Tamarindorum lene decoctum, vel aliquot Cremoris Tartari drachmas singulis, vel alternis diebus sumendas; quibus et blande aluus ducatur, et calor contemperetur, et putredini, alkalinaeque degenerationi occurratur. MOREALIVS ingens se consecutum esse scribit emolumentum ex mixtura quadam, quae habet aquam scordii, theriacalem, totius citri, et rhabarbari tantillum, aut eiusdem syrupum, cochleatim toto morbi decursu identidem data, et sine ea argentum vinum, quod summum vermium, et febrium inde ortarum antidotum celebrat, adhibitum frustra fuisse, palam fatetur; adeo et ipse necessariam comperit alui ductionem, quam datum illud medicamentum per epicrasin praestabat.

§. CCCXCIII.

Heisteri methodus.

Sed nemo fortasse alui ductionem in huiusmodi febre pluris fecit, quam HEISTERVS. Is praeterlapso etiam morbi principio in omnibus gastricis febribus, imo in *malignis* quibusque *exanthematicis*, et *petechizantibus* (§. CCCLXXXII. CCCLXXXIX.) cuiusque aetatis homines, itemque pueros, et puerperas adorientibus, experientia WAGNERI Medici Lubeccensis non ignobilis, et sua confisus, magnis effert laudibus peculiarem quamdam medendi rationem, quae non solum ad eas curandas, verum etiam ad eas ex malignis in benignas conuertendas plurimum valere dicitur. Nempe sumit Ipecacuanham a scrupulo vno ad drachmam semis cum arcano duplicato probe contritam, et diluit eam aquae cardui benedicti vnciis tribus, vel quatuor.

De

De hac mixtura quauis semihora, vel singulis horis cochleare vnum vel alterum dandum esse iubet, interposita identidem potione aliqua temperante, et diapnoica, donec emetica remedii vis exseratur. Si intra duodecim circiter horas vertigo, lipothymia, faucium dolor, aliaque malignitatem indicantia symptomata non se se remiserint, neque pulsus, et respiratio liberiores fiant (respiratio enim anxia, inaequalis, crebra, difficilis, suspiriosa pro signo ferme proprio febrium mali moris habetur); eamdem mixturam repetere oportet, quousque morbus in melius vergere incipiat, neque ab exhibendis aliquot ipecacuanhae granis desistendum est, nisi cum praua malignitatis indicia penitus euanuerint; quod intra biduum quandoque contingit. Namque vi etiam alexipharmaca pollere ea creditur.

§. CCCXCIV.

Quod si materia in intestinis turgeat (CCCXCI.), nec locus sit epicraticae purgationi, sed illico deturbari debeat, opportunissime dari solent Manna, Cassia, sal Anglicus, Polychrestus, subamarus Mutinensis, Porrectanus, Rhabarbarum, syrupus florum persici, Electuarium lenitiuum, Pulpa Tamarindorum, Diatartarum Petri Castelli, et quidem ea quantitate, qua intestinalis saburrae potior saltem pars satis valide deiiciatur. At in aluo ducenda semper temperamentum aliquod adhibendum est, ne nimius alui fluxus excitetur, qui aegrum prosternat, quod praecipue timeri potest in febre *gastrico-putrida*, aliisque congeneribus (§. CCCLXXXVI.), vbi ad dissolutionem summa proclivitas est, aut ne intestina crebra, aut nimia catharticorum irritatione inflammentur, quod in *gastrico-inflammatoria* (§. *eod.*) non infrequens est. Quorumdam etiam consilium est, materiam, antequam

Quando auctior purgandum, quando timide, et caute.

eius

eius euacuatio tentetur, iis, quae digerunt, incidunt, et attenuant, fluidiorem reddendam esse, atque ad exeundum paratiorem. Id, si aliquando, tum sane expedit, cum tenax, inersque mucus ventriculo, atque intestinis adhaeresçit, vt in *gastrica pituitosa*, siue *glutinosa* (§. CCCLXXXV.) saepe fit, aut bilis spissitudinem piceam adepta choledochum, cystimque felleam oppleat, sicut in *gastrica biliosa* (*ibid.*) interdum euenire, veri simile est. Sed plerumque non diu cunctandum est, ne retentae putridae sordes grauissimum breui, periculosioremque morbum efficiant, cui siue arcendo, siue fugando cum sanguinis missio, tum purgatio, sera nimis, impar deinde euadat; aut magis, magisque liquatae in vias sanguinis magno aegrotantium discrimine transferantur.

§. CCCXCV.

Oleosa quando vtilia.

Interdum tanta *sensibilitate*, atque *irritabilitate* donantur aegroti, vt metui possit, ne emetica, aut purgantia morbum potius exasperent. Tunc aptissimum est expiandis primis viis oleum oliuarum optimae notae, aut seminum lini, aut amygdalarum dulcium sine ignis ope recens expressum, ad quatuor, quinque, vel sex vncias vno hausţu. Id enim duplici plerumque euacuatione, nimirum per superiora, et inferiora, aegris opitulatur, acres humores obtundit, viscidos, tenacesque resoluit, spasticas contractiones laxat, et lenit, aliaque bona praestat *). Non me quidem latet, a plerisque hodie ob abusum fortasse, qui olim fieri promiscue solebat, odio illud haberi, reprobarique tamquam noxium, quia facile rancescit, et phlogisto scatet, atque adeo febris fomitem augere posse videtur. Verum animaduertant velim, quale oleum, quantumque a me proponatur. Si enim optimae notae

sit,

ſit, et quam recentiſſimum, eaque copia detur, qua citiſſime ſtomachum, atque inteſtina pertranſeat, omnis noxa, quae ab eius rancore timetur, profecto vitabitur. Sin vero, nullo eius habito delectu, rancido proximum fuerit, et cochleatim, aut vnciatim propinetur; perſpicuum plane eſt, diu in ventriculo reſtitans, mora, et loci calore rancidum, prout natura rancori propius eſt, facile futurum eſſe.

*) Olei laudes in huiuſmodi morbis confirmantur experientia BIANCHII (*Hiſt. hepat. part.* 3. *p.* 250.), VALCARENGHII (*Med. rational.*), GVIDETTII (*Pleurit. bilioſ. ann.* 1709.), HAENII (*Rat. med. T.* 3. *cap.* 2.), et nuperrimis obſeruationibus IO. BAPTISTAE MARTII (*Iſtoria delle pleuritid. bilioſ. di Somminiato* 1775. *p.* 160.), qui teſtatur, nihil fuiſſe praeſtantius oleo amygdalarum dulcium recenti ad depraua tam bilem in pleuritide bilioſa epidemica anni 1775. deturbandam.

§. CCCXCVI.

Sed largiamur, quocumque modo datum ſit, ſemper, vt obiiciunt, illud rancescere. Rancescet autem, vel dum ventriculo, inteſtiniſque continetur, vel poſtquam in ſanguinem penetrauerit. Si primum, quod fieri interdum poſſe concedimus, contingat; vim certe acquirit, qua irritatis, conſtrictiſque vaſorum lacteorum oſculis repellatur, neque ea ingredi poſſit. Sed inquies, in venas inhalantes, quae aut irritabilitate carent, aut certe exigua donantur, ideoque irritatione non contrahuntur, patentior, expeditiorque ei via erit. Ne vero id poſſibile credam, facit primum ipſius olei craſſities, et tenacitas, qua in eas penetrare prohibetur, deinde acris, quam contraxit, ranciditas. Hac enim, dum oleum a venis abſorberi deberet, fibris tum ventriculi, tum inteſtinorum irritatis ſic periſtalticus eorum motus intenditur, et ſollicitatur, vt

Oleum defenditur.

vt non modo excrementa, verum etiam cum iis oleum ipsum promte, facileque egerantur. Quod si alterum malueris, vix est, cur aliquid timeas; nam oleum, antequam cum sanguine communicetur, ventriculi actione ita permutatum, et subactum puto, vt olei forma, et natura quodammodo amissa in chylum conuertatur, atque adeo alieniſſimum fiat a ranciditate, et corruptione, vnde tam multa mala timentur. Si quis tamen rancorem *) olei formidet, arcebitur facile adiecto succo citrei, aut limonum, aut oxymelle. Sic enim phlogiston, quod extricatum ranciditatem oleo impertit, coërcetur, et cogitur. Acida enim phlogisto promte iunguntur, illudque quodammodo irretiunt. Quod si oleum siue ob ranciditatis metum, siue ob alias causſas locum non inueniat, nec alia medicamenta ob irritandi facultatem dari possint, tunc clysteres tutiſſime iniiciuntur, et repeti crebro debent, dummodo ex mitiorum classe desumantur.

*) Sunt autem quaedam oleorum genera, quae difficillime, et tardiſſime rancescunt. Illud oliuarum oleum, quod frigendis cibis adhiberi solet, eiusmodi est, vt etiam ignis vim passum acrimoniam non contrahat, et blandum remaneat. Nuperrime oleum Ricini praedicari video, vt minime noxium, ab Anglis. Non ergo ita facile rancescit oleum quoduis, vt quidam volunt.

§. CCCXCVII.

Dum haec peraguntur, vt gastrica cacochylia expellatur; non praetermittenda ea sunt, quae biliosae, aut alkalinae acritudini, aut putredini opponuntur. Acida in primis tam vegetabilia, quam fossilia ad hoc maxime valent, quae id insuper boni efficiunt, vt febris nimius feruor, impetusque, si vehementius excandescat, compescatur. Phlogiston enim cohibent, calorem refrenant, cordis, arteriarumque irritabilitatem imminuunt. Aquae igitur,

Acidorum utilitas.

igitur, quam affatim bibi oportet, inſtillatur ſuccus aliquis acidus ex iis, quos vegetabilia ſuppeditant, vti acetum vini, ſuccus limonum, mali citrei, aut aurantii, ſyrupi ex his parati, itemque berberum, rubi idaei, aliorumque ſimilium. Vbi maior aeſtus eſt, maiorque ad putredinem, liquationemque propenſio, aut ſanguis ipſe iam iam computreſcere videatur, vt in *gaſtrica putrida* (§. CCCLXXXVI.) contingit, vegetabilibus acida foſſilia vtilius ſubſtituuntur. TISSOTIVS ſpiritum ſulphuris, *per campanam* reliquis anteponit, mixturamque ex eius parte vna, et ſyrupi violarum partibus ſex confectam extollit, de qua cochlear vnum potui adiiciendum, repetendumque id ſingulis horis praecipit. Animaduertere tamen oportet, foſſilium acidos ſpiritus, et praecipue vitriolicum, et ſulphureum volatilem ſenſibilitati neruorum, et fibrarum cordis, arteriarumque irritabilitati noxios eſſe; quare ſi facultates animales, vitaleſque nimium langueant, vti a putreſcentibus humoribus, aut a putrida cacochylia ſaepiſſime languent, tunc acidis huiuſmodi valentioribus, non niſi caute, vti licet, aut cum iis coniungi, commiſcerique debent, quae vires omnes erigunt, excitantque, qualia ſunt radix ſerpentariae virginianae, contrayeruae, cortex peruuianus, atque alia huiuſmodi. Tutius adhibentur ea, quae per vini ſpiritum a chymicis edulcata fuerint. Inter quae *Elixir Vitrioli* *) *aromaticum* excellit.

*) Fit miſcendo Tincturae aromaticae libram vnam cum ſpiritus vitrioli fortis vnciis quatuor. *Tinctura* autem *aromatica* eſt haec:

Rec. Cinnamom. drach. vj. ſemin. cardamom. min. drach. iij. Piper. long. Zingiber. an. drachm. ij. ſpirit. vini tenuioris lib. vj. Digere ſine calore, et cola.

§. CCCXCVIII.

§. CCCXCVIII.

Aër fixus. Multa hodie praedicantur de *aëris fixi* virtute antiſeptica, quo aqua tam bibenda, quam per clyſteres in aluum ſubter danda methodo Priſtleyana imbui poteſt. Sed quidquid ei ineſt facultatis, id omne ab acido vitriolico, quocum *aër fixus* certe combinatur, deducendum iam fere omnes fatentur. *Camphora.* Camphora praestantiſſimum *antiſepticum* praebet, tam ore, quam ano excepta, et praeterea ſpaſmos lenit, nec tamen irritabilitati cordis Hallerianae officit, imo hanc languentem erigit, et recreat *a*); nerueae vero ſenſibilitati, ſi langueat, non admodum amica eſt *b*), imo eam magis deprimit. *Arnica.* Tunc potiſſimum conuenit Arnica montana LINNAEI *c*), qua vis nerueа ſtimulo egens egregie excitatur, et reuiuiſcit. Hanc etiam tam diluti, et decocti, quam extracti, aut pulueris forma adhibitam nuperrime Cl. COLLINIVS *d*) aduerſus omne putredinis genus magnis extulit laudibus.

a) Vid. SEBASTIANI SEVERII *Theſes de Camphora, eiuſque viribus*, quas *VI. Kal. Quintil. A. 1776.* in Archigymnaſio Ticinenſi ſub meo praeſidio propugnauit. Item Cl. COLLINII libellus *de Camphora*, Vindobonae editus an. 1773. ſiue P. 3. *obſeruationum circa Morbos acutos, et chronicos factarum.*

b) SEVERII *Theſ. l. c.* Th. XVI. XVII. XVIII. XXI. XXIII. BASSIANVS CARMINATI *De animalium ex mephitibus, et noxiis halitibus interitu etc. l. 3. cap. 3. p. 177. ad* 191. *ed. Laud. Pompeia* 1777.

c) Vid. HENRIC. JOSEPH COLLIN. *Florum Arnicae vires etc.* Vien. 1773. *ſiue obſeruationum etc. Pars quarta, et P. V.*

d) *Ibid.*

§. CCCXCIX.

Analeptica, et cardiaca. Cum vero ſiue a putridis, ſepticiſque inquinamentis, ſiue euacuationum frequentia, et copia vires vitales quandoque deiiciantur, his ſubueniendum eſt cardiacis, atque analepticis. Vinum rubrum, cui

cui incocta sint cinnamomum, macis, nux myristica, aut canariense, aut cyprinum, aut maluaticum, aut syracusanum, aqua contemperatum tunc vsui esse solet. At vbi etiam austero, et subadstringenti, quo fibrae firmentur, humoresque quodammodo contineantur, opus est; praefertur Rhenanum, Austriacum, Mosellanum, quibus roborans, et antiseptica insignior vis inest, exigua vero calefaciens, aut inebrians. Nostrates vti possunt vinis acidulis, austerisque Montium Briantinorum, aut Tyrolensium, aut celebri Aemiliae vino, cui *sangioueſe* nomen est, aut etiam Etrusco, quod a Monte Politiano denominatur, etsi aliquantum fumosis. Pauperibus vtile erit vinum ex acinis Mali Punici expressum, riteque defaecatum, quod in Pharmacopoliis prostare semper deberet. Iura quoque panis paullo spissiora, quibus aut vini, aut succi e malo citreo aliquid adiectum sit, vires instaurant mirifice, et corpus enutriunt, nec facile putrefiunt. Neque hic praetereunda est illa nectaris, ambrosiaeque species, ex *cacao* confecta, quae in deliciis pene omnium est hodie, vtpote analepticum, cardiacumque praestantissimum praesidium. *Vinum quale.* *Cioccolata.*

§. CCCC.

Neque interdum aliena sunt penitus medicamenta, quae opium habent; quando nimirum turbationes ab emeticis inductae compescendae sunt, aut nimius alui fluxus coërcendus, aut mitigandus, aut dolores ventris leniendi, aut peruigilio prospiciendum. Neruorum enim sensibilitatem imminuunt, quietem conciliant, spasmos sedant, euacuationes nimias refrenant, dum interim vim cordis irritabilem, cardiacorum instar, opportune data certo certius excitant, quod HALLERVS, aliique post eum indubiis *a*) periclitationibus demonstrarunt, frustra atque *Opium.*

atque immerito negantibus aliis. In his praecipue commendantur ad hunc finem Laudanum liquidum SYDENHAMII, Theriaca ANDROMACHI, Electuarium Diascordium FRACASTORII, Philonium Romanum, atque his similia. Somnum vero blande aduocant, si opio locus haud sit, papaueris capita, liquor anodynus mineralis HOFFMANNI, et *sal sedatiuum* HOMBERGII, de quo tamen dubitant non pauci. Aluo etiam liquidae sistendae, vbi putrida dissolutio humorum eam immodice fluxam reddit, plurimum confert acidum calcanthi, siue vitrioli, de quo supra, potui instillatum ad gratam aciditatem.

a) CARMINAT. *l. c.*

§. CCCCI.

Vesicantia. Quod si his (§. CCCXC. ad CCCC.) non proficientibus, febris trahatur, nec mitescat, dolorque capitis persistat, aut ab aliis symptomatibus, vti sopore, aut delirio cerebrum affici significetur, ea, quae vesicam, atque vlcus inducunt, suris imponenda sunt, diuque ex iis pus mouendum, aut epispastica, et phoenigmi, et praecipue ex sinapi et fermento panis composita plantis pedum admouenda, aut pedes, vbi cum dolore agrypnia iungitur, in calidam demittendi. At, si neque his obediat morbus, sanguis e partibus capiti, aut cerebro propioribus detrahi potest; quod multimodis, vt alias dictum est, exsequimur. Animaduertendum vero est, cantharides, quibus ad vesicas excitandas vt plurimum vtuntur Medici, in febre *gastrico-putrida*, in qua nempe putridus fomes sanguinem infecit, liquauitque, plus saepe nocere, quam proficere. Id experti pluries testantur BORELLVS *a*), RICHA *b*), TISSOTIVS *c*), aliique bene multi. Quare tunc potius phoenigmis, aut sinapismis vtendum suadent, quos vtiliores repererunt.

a) *Epist.*

a) *Epiſt. ad Malphig. p.* 28.
b) *Conſtit. Epid. Taurin. ann.* 1720. §. 32.
c) *Febr. Bilioſ. Lauſann. p.* 44. 45.

§. CCCCII.

Vermes.

Nec Lumbricorum, ſi eos adeſſe ſuſpicemur, quod vſu venit in *gaſtrica verminoſa* (§. CCCLXXXV.), obliuiſci licet. Acida e foſſilibus praeſertim igne elicita, quae ſupra iam alio conſilio propoſuimus, lumbricis, ſiue vermibus etiam enecandis idonea maxime ſunt, expellendis vero eccoprotica, quae in ipſo cùrationis initio laudauimus. Sed praeterea flores Tanaceti, ſemina Abſinthii ſantonici, radix Valerianae ſylueſtris, corallina, myrrha, aloë, cornu ceruinum vſtum, petroleum, camphora, aliaque huius ordinis adhibenda ſunt; nam quae de argento viuo narrantur, fidem nequaquam merentur, vti hodie multi perhibent, egoque adhuc iuuenis prae ceteris peculiari opuſculo *a*) oſtendi. Neque certior fortaſſe eſt ipſius radicis Filicis a Veteribus decantata facultas. Quod vero ad Argentum viuum attinet, ſi quis tamen eo, aut eius compoſitionibus vti velit, is caueat oportet ab acidorum in primis valentiorum vſu, ne, ſi ſimul propinetur, remedium illud in venenum erodens vertatur.

Anthelmintica.

a) *De Anthelmintica Argenti viui facultate. Fauentiae ann.* 1753.

§. CCCCIII.

Abdominis tumor.

Nihil vero frequentius eſt in hac febre, quam abdomen intumeſcere (§. CCCLXXIX. CCCLXXXI.) et tendi, in primis circa epigaſtrium, atque hypochondria. Quando id in initio, aut augmento incidit, doletque aliqua pars, vel contrectata reniti tur, doloriſque ſenſum exhibet, tunc ſpaſmo contracta alicubi inteſtina aërem, aut ſordes, quibus vrgentur, retinent, vel inflammationis in aliquo viſcere latitantis timor eſt. Huic malo occurrere

Quando inflammationis ſignum.

oportet fomentis, cataplasmatis, aut linimentis, quae molliunt, et leuiter discutiunt, enematibusque eiusdem generis; nec alienum est, si inflammationis notae manifestius se prodant, pulsusque magnitudo, durities, aut vibratio, aut calor interior, pulsatio, et reliqua consentiant, sanguinem e brachio mittere, aut si satis detractum sanguinis iam sit, nec vires profundi eum permittant, e venis haemorrhoidalibus hirudinum ope, quod tutius, vtiliusque est in hypochondriacis, melancholicis, aut habitu cachecticis. Quod si venter sub morbi finem tendatur et tympani instar resonet, nec pressus doleat, sic, vt aëre contento distendi intestina resoluta, atque atonia correpta videantur; non quae molliunt extrinsecus imponi debent, sed quae roborant, et reprimunt; et simul intrinsecus dari, quae putredinem, ex qua aër euoluitur, coërcent, quae aëris vim *elasticam* minuunt, quaeque intestinorum fibris robur adiiciunt. Talia sunt extrinsecus fomenta ex plantis aromaticis vino incoctis, emplastra de mica panis, de baccis lauri, de meliloto; intrinsecus spiritus nitri dulcis; tinctura myrrhae, succini, castorei; extractum chinae chinae, florum chamaemeli, arnicae, agerati; et quae aromatica vi vtcunque donantur.

Quando ab atonia.

§. CCCCIV.

Expurgata demum gastrica colluuie, et febre mitescente, aut ad intermittentium naturam appropinquante, temperandum est ab iis, quae aluum laxant, et, si aeger satis purgatus videatur, cortice peruuiano reliquum febris tollendum. At, si nondum penitus cacochylia educta sit, tunc cortici aliquid Rhabarbari, aut salis cathartici addi potest, vt simul aluus respondeat, dum febrim, quae supereſt, sistere paramus. Nam frequentissimum est,

Quando cortici locus sit.

est, gastricam febrim in intermittentem mutari, aut proxime ad eam accedere, sicque curari debere. Cognoscis autem huiusmodi antidoto locum esse, si febris remissiones, aut intermissiones sudor blandus, atque aequalis toto corpore antecedat, atque vrina eas excipiat rubra, parca, subiugalis, aut lateritia; in accessionum vero initiis sit tenuis, aut aquea, aut aliqua extremorum refrigeratio contingat.

§. CCCCV.

Victus ratio tenuissima sit, vbi febris summum attigit vigorem. Aliqui ab omni tunc alimento abstinendum esse praecipiunt. At non ab omnibus tantum ieiunium sustineri potest, morbo scilicet detentis, in quo multa quotidie e corpore excernuntur, viresque non parum detrimenti capiunt. Carnes, et iuulenta omnia generatim, vt ad putrescendum prona, vituperantur. Iura tamen e pullis tenerioribus, aut e carne vitulina, aut veruecina, aut e ranis, non admodum meraciora, quibus acetosa, cerasa acida, pruna, aliique fructus subacidi incocti sint, concedi poterunt; item serum lactis ope vini canarienſis, aut succi mali citrei, aut cremore tartari comparatum; cremor auenae dilutior; decocta panis aliquanto spissiora opportune dari solent, cautione tamen adhibita, vt parcius, et rarius his nutriantur aegri febre vehementius vrgente; liberalius non nihil, et brenioribus interuallis, eadem remissa, atque inclinata. Optimum quoque alimentum praebent pruna ipsa, cerasa, poma, pira in aqua, aut vino cocta, et sacchari tantillo edulcata, quae subinde sumta vires eximie sine noxa reficiunt, dummodo liquidior aluus eorum vsum non vetet. Oua, etsi recentia a nuperioribus scriptoribus penitus exulare iubentur, tamquam expeditissima ad putrescendum; verum, ni fallor, plus *Victus ratio.*

aequo vituperantur. Recentiſſima enim, et ſorbilia*) prudenter, et rarius adhibita numquam aliquid mali attuliſſe vidi.

*) Oua cruda facile quidem corrumpuntur; cocta vero non ita facile; coctione enim ita mutantur, vt firmius cohaereant, difficiliuſque ad putreſcendum inclinent. Fortaſſe aliquid exhalant igni obiecta, quo putrida eorum diſſolutio promouetur. Ceterum nobiſcum conſentit Cl. FOVQVETVS (*ſur la petite verole T. I. p. 154.*), qui exaggeratum quiddam cenſet illud, quod de noxiis ouorum qualitatibus ſcriptum eſt. Quid enim, inquit, peius dici poteſt de ouis iam putrefactis? GALENVS commendat oua tremula in victu febricitantium. MERCATVS, HEVRNIVS, NIC. PISO, et alii complures probant huiuſmodi alimentum in febribus malignis; nec ab illis diſſentit cel. BOVCHERVS, vtpote qui in prima febrium malignarum periodo concedit ius vituli, pulli, et oua. Demum idem Auctor (l. c.) ſubdit, reuera vitellos ouorum, cum ſint naturae *ſaponaceae* et *emulſiuae*, optimos eſſe, et vti emulſa amygdalarum, imo multo etiam certius demulcere.

§. CCCCVI.

Potus. Potui toto morbi curriculo aqua, et quidem frigida opportuna eſt. Iucundior, praeſtantiorque fiet, ſi aceto, aut mali medici, aut citrei, quod iam propoſitum ſupra eſt, ſucco condiatur, et pauco ſaccharo edulcetur. Eius loco aptiſſima quoque eſt ptiſana ex radice graminis, foliis acetoſae, atque hordeo, aut aqua fontana puriſſima. In his enim aegrotantium deſiderium, et ſtomachi vires explorari debent. Neque aëris, et munditiei in tanta corruptarum faecum excretione ratio negligenda eſt. Itaque cubiculi aër temperatus ſit, ad frigidum potius inclinans, atque aceti vapore identidem imbuatur. Sed, quod maxime intereſt, renouari *is ſaepe* debet, ne effluuiis humanis, et putridis refertus venenatam vim, vt notum eſt, acquirat, et peſſime aegrotantibus noceat. Induſia quoque, lintea, ſtragula, lectus, prout res poſtulat,

lat, ſubinde mutentur, vt a corpore omne putridum, corruptumque miaſma amoueatur. Nec alvi excrementa in conclaui, in quo aeger degit, diu detineantur, ſed cito efferri debent, ne tetris halitibus aërem inficiant. Mirum enim eſt, quantum aëris puritas in morbis acutis, putridiſque aegrotantes recreet, febremque coërceat.

Febris Hungarica *).

§. CCCCVII.

Ad *gaſtricas malignas* (§. CCCLXXXI. CCCLXXXII) et *gaſtrico-putridas* (§. CCCLXXXVI.) praeſertim epidemicas, tam natura, quam typi ratione referenda eſt *Febris Hungarica*, quae anno 1566. primum obſeruata, ſeu potius deſcripta, et memoriae poſterorum a Medicis diligentius tradita fuit. Vt ſudor Anglicus a regione, in qua obſeruari coeptus eſt, ſic ab Hungaria, atque a militum caſtris, in quibus ſpatiata eſt huiuſmodi febris, *hungarica*, et *caſtrenſis* dicitur. Verum extra Hungariam etiam, atque extra militum caſtra interdum occurrit. Memini in regione temperatiſſima, atque alioquin ſaniſſima, nempe in Aemilia, et ſpeciatim in vrbe Caeſena anno 1767. me eam vidiſſe epidemice ſaevientem cum iiſdem propemodum ſymptomatibus, quibus in Hungaria ſtipata legitur. Saepe cum dyſenteria coniungitur, et tum, cum id incidit, apud aliquot Auctores nomen *Febris malignae dyſentericae*, aut ſimpliciter *Dyſenteriae malignae* accepit.

*) *Synonyma.*

Lues Pannoniae, ſeu febris Vngarica Theriodes, vulgo cerebri vermis SCHENCKII, *Obſerv. Medicin. l. VI. obſerv.* I. *Morbus Vngaricus, et Lues Vngarica, ac Pannonica, aut Morbus militaris, vel caſtrenſis* SENNERTI, *De Febrib. l. IV. c. XIV. Febris Hungarica, ſeu Caſtrenſis* JVNCKERI, *Conſpect. med. T.* I. *tabul.* 74.

Amphimerina Hungarica SAVVAGESII, *Nosol. Method. Cl. 2. gen. IV. spec. 9. Febris Hungarica castrensis* JVNCK, *tab. 74. et plurium Auctorum* CVLLENII, *Gen. Morb. Gen. V. cl. 1. ord. 1.* Phrenitis Pannonica, quae etiam morbus hungaricus dicitur, JO. FRID. CARTHENSERI, *De morb. endemic. p. 29.*, itemque JO. CHRISTOPH. PECKII, *de Phrenitid. Pannon. Idiopath. Halae 1739.*

§. CCCCVIII.

Descriptio. Est autem febris *acuta*, *maligna*, *epidemica*, militibus in castris degentibus plerumque infensa, et, quia in sanos facile per venenata miasmata transfunditur, *contagiosa*, quotidianae continuae typum, vt plurimum seruans, mensibus Iunio, Quinctili, et Augusto prae ceteris erumpere, et debacchari solita. Circa vesperas corripit, praesertim sanguineos, et plethoricos, horripilatione potius, aut frigore, quam rigore, paullo post ingenti calore, et noctu inualescit, et deinde matutino tempore aliquantum remittit. Continuo aegri queruntur vehementem capitis dolorem, aestum, et sitim fere intolerabilem, maguam virium deiectionem, tensionem, atque ardoris peculiaris ad scrobiculum cordis sensum adeo molestum, vt locus tactum vix ferre possit. Lingua iis est perpetuo sicca, punicea, interdum tumida, aut fissa. Fauces saepe inflammantur, dolent, tument, vt in angina. Circa tertium, aut quartum diem, rarius septimum, accedit delirium, rubor faciem vniuersam occupans, oculorum fulgor, et venarum capitis tumor. Hisce symptomatibus *ardentis* naturam prae se fert, ostenditque. Non raro superueniunt narium haemorrhagiae, haemoptysis, perpetuae vigiliae, nausea, vomitus, quandoque dysenteria, peticulae, parotides, veternus, paralyses, atque hemiplegiae. Aluus modo fluit, modo adstricta est. Pulsus validior, maiorque inter initia, quam in reliquis ma-

lignis

lignis morbis, esse consueuit. Frequentissime interiores partes inflammationibus tentantur, quae, cum a bile acerrima, aut venefico, putridoque miasmate excitentur, facile in gangraenam, sphacelumque degenerant. Quamplurimis, imo fere omnibus aures obsurdescunt. Non paucis soluta aluus saluti est. Decimo quarto, aut, quod summum est, vigesimo die morbus finitur.

§. CCCCIX.

Haec vero multum variantur pro temperamenti, aetatis, sexus, regionis, procegumenarum caussarum, aliarumque rerum antecedentium, aut circumstantium ratione, vt in plerisque morbis, et potissimum epidemicis, et complicatis contingit. Perpetua autem, et fere propria, quibus haec febris a reliquis distinguitur, sunt atrox, et continuus capitis dolor, lingua sicca, tumida, arida, et prunae similis, acer scrobiculi cordis cruciatus, facies rubore suffusa, et pulsus aliquanto validior, et plenior, quam in aliis malignis, perniciosisque malis. Multa habet communia cum morbo *petechiarum*, siue cum *Febri petechiali vera*, cuius alibi sermo erit. Sed ab eo differt pulsu vehementiori, graduque grauiori, et *peticularum* quandoque defectu. Nam in febre hungarica peticulae accessoriae sunt, et saepe deficiunt; et, si quando superueniunt, non primis mox diebus prodeunt, sed plerumque in morbi progressu, augmentoque; contra, ac fieri solet in morbo vero *petechiarum*. Praeterea in petechiarum morbo vix reperies tensionem illam dolorificam, tactumque refugientem, quam in epigastrio hac febre laborantium offendi, paullo antea dictum est; nisi cum biliosa, et gastrica saburra complicetur.

Symptomata fere propria.

An differat a morbo petechiali.

§. CCCCX.

Cauſſae. Aër impurus, humiduſque, frigus nocturnum diurno calori ſuccedens, aquae ſtagnantes, aut corruptae, earum effluuia, et potus, praua quaecumque victus ratio, alimenta inſalubria, aeſtiua tempeſtas, immodici labores, vigiliae protractae, taedium, pauor, ira, aliaeque animi affectiones aut diuturnae, aut compreſſae, putrida miaſmata cauſſas antecedentes complectuntur. Ad quas ſi reſpexeris; ſimulque ſymptomata, quae febrim comitantur, euacuationeſque aluinas, aut vomitus, quibus ea ſaepe ſoluitur, conſideraueris; non valde a vero tibi alienum videbitur, febrem hanc ad gaſtricas maligniores, magiſque complicatas pertinere, quemadmodum SELLIVS *a*), PRINGLIVS *b*), TISSOTIVS *c*), aliique non dubitarunt. Et reapſe partim a cacochylia gaſtrica, et praecipue bilioſa, partim a putrida ſanguinis diatheſi deducenda videtur, Poſterior labes ſaepe a priori proficiſcitur, quia nimirum gaſtrica, bilioſaque colluuies cum ſanguine communicatur, eiuſque craſin labefactat. Interdum vero aut eaedem cauſſae, quae cacochyliam inducunt, ſanguini etiam labem inurunt, aut contagioſum, putridumque miaſma bilem, ſanguinemque illico inficit, et liquat, neruoſumque genus irritat, et ſubuertit.

a) *Rudiment. Pyretolog. method. pag.* 230.
b) *Oſſervaz. ſopra le malatt. d'Armata P.* 3. *cap.* 4. §. *IV. p.* 137. 138.
c) *De Febr. bilioſ. art. gen. et cauſſ. pag.* 11. *et* 12.

Prognoſis.

§. CCCCXI.

Omnia, quae de prognoſticis ſignis acutarum, malignarumque febrium, tam vniuerſim, quam ſpeciatim hactenus protulimus, huic quoque febri com-

communia ſunt. Generatim morbus periculoſiſſimus eſt, et quo maligniora, et pertinaciora ſymptomata, et quo vires debiliores exſiſtunt, eo maius periculum adeſſe portendunt. Ceterum quaedam peculiariter conſideranda ſunt, a quibus diſcriminis timor, aut ſalutis ſpes indicatur. Dolor capitis vehemens, continuatus, nullis pene concedens auxiliis cum delirio, aut vigilia coniunctus, aut delirium ſeiunctim vrgens, proximae phrenitidis metum incutiunt. Dolor quoque, atque ardor circa epigaſtrium, ſcrobiculumque cordis, ſi diu trahatur, nec miteſcat, inflammationem ventriculi, aut hepatis, aut diaphragmatis imminere ſignificat. Nec minus pertimeſcendus vomitus eſt creber, contumax, et variegatus, quam ventris fluxus putridus, aquoſus, vires proſternens, nigricans, cadauer olens, aut dyſentericus. Aluus laxior, et fluidior, vires erigens, ſymptomata mitigans, bilioſos humores deturbans per ſe bene ominatur. Adſtricta vero minus tuta eſt. Angina, et praecipue aphthae fauces depaſcentes periculoſiores habentur, quam ipſae parotides. Peticulae plerumque ſanguinis putridam, pernicioſamque diſſolutionem conſequuntur, et raro criticae ſunt. Haemorrhagiae pariter narium immodicae eamdem peſſimam cauſſam agnoſcunt. Moderatae vero, ſed faciles, et ſatis largae, diebuſque criticis ſuperuenientes ſaepe caput leuant, morbumque ad iudicationem proſperiorem perducunt. Quae autem guttatim contingunt, nec ſatis ſanguinis emittunt, plerumque exitium praenuntiant. Surditas denique, ſi in augmento, aut ſtatu morbi acceſſerit, ſaepe fauſtum finem praedicit.

Signa praeva.

Surditas quando minus timenda.

Curatio.

Curatio.

§. CCCCXII.

S. Missio. Vehemens capitis dolor, calor ardens, pulsus validus, et magnus, sitis ingens, ardor interior vt inflammationis suspicionem mouent, sic missionem quoque sanguinis requirere videntur. Experientia item comprobatum est, nihil efficacius, nihil promtius, nihil accommodatius cum ad haec symptomata mitiganda, tum ad phrenitidem, aliaque funestiora effecta auertenda reperiri sanguinis larga, et cita missione. Itaque statim ab initio, primo videlicet, aut secundo ab inuasione morbi die sanguis mitti debet, sed larga, et liberali manu pro aetatis, temperamenti, habitus corporis, et virium ratione. Statim, inquam, ab initio, antequam nempe putredo inualescat, crasin sanguinis destruat, vitalesque facultates prosternat. Nihil enim nerueae sensibilitati, muscularique irritabilitati infensius est putrido, corruptoue humore, aut miasmate. Larga autem, et liberali manu, vt cito phlogosi cuicunque praesenti occurratur, et satis sit ad imminentem, futuramque phrenitidem, aut anginam praecauendam *). At si pulsus parui, et languidi fuerint, putridum, malignumque contagium febrim excitarit, aut iam putredo inualuerit, id auxilii vel noxium reputatur, vel cautius adhibendum sane est. Minori tum discrimine, si necesse sit, sanguis per cucurbitulas suris, vel dorso applicitas, vel per hirudines temporibus, aut ano admotas educitur.

*) Non pauci ex nuperioribus in huiusmodi febribus, affinibusque morbis duo stadia agnoscunt, alterum, vt vocant *inflammatorium*, quod antecedit, alterum *putridum*, quod subsequitur, veluti a priore descendens. Solentque pro axiomate certissimo habere, inflammatorium stadium plerumque definere in putridum, quia vident febres gastricas,

cas, aut gastrico-putridas, aut alias his affines inter initia aliquid inflammatorii prae se ferre; paucis vero diebus exactis, putredinis notas manifestiores esse. Qua in re quantum a vero discedant, non ego certe is sum, qui modo excutiam. Puto tamen iam ab initio gastricas, putridasue fuisse, sed cum diathesi inflammatoria persaepe complicatas, hae vero sublata non conuerti in putridas, verum, quales iam erant, manifestiores fieri, et vltra tales procedere. Verae enim, et purae inflammatoriae ferme nunquam a phlogistico statu ad putridum, si rite curentur, deflectere visae sunt.

§. CCCCXIII.

Deinde lenis per superiora, atque inferiora (§. CCCXCI, ad CCCXCVI.) purgatio necessaria est; sicuti et nitrum, et subacida, quae bilem contemperent, et denum blanda medicamenta, quae diaphoresin proliciant. Haec autem postrema etiam inter initia, maxime proficiunt, si morbus sine gastrica cacochylia natus sit, ortumque suum contagio debeat. In his praestant potissimum ea, quae alexipharmaca, atque antiseptica habentur, vti Camphora, Theriaca, Spiritus Mindereri, sal volatile cornu cerui, succo mali medici saturatum, atque alia eiusmodi (§. CCCXCVII. CCCXCVIII. et seq.) alias commemorata. Delirio vero imminente, nec dolore capitis inclinato, venae frontis, aut ranarum sectio iuuat, ETTMVLLERO, et P. SALIO auctoribus. Fortasse etiam arteria temporalis incidi vtiliter poterit; e qua sanguinem prosilire sine virium vitalium detrimento, verosimillimum est. Arteriotomiae summam in huiusmodi morbis vtilitatem expertus est pridem Cl. XAVERIVS MANETTVS, vir sane ingenio, eruditione, atque experientia probatissimus in epidemica putrium peripneumoniarum constitutione *a*), quae Florentiae anno 1781. plebem in primis afflixit. Cucurbita item occipiti profunde scarificata adhiberi potest, qua mul-

Purgatio.

Alexipharmaca.

S. Missio vnde?

multum a cerebro ipſo reuelli ex anatome compertiſſimum eſt. Epiſpaſtica quoque pone aures, aut, ſi ſopor occupet, toti capillatae capitis parti, prius deraſae adhibentur ſummo cum emolumento, ſi exercitatiſſimis Clinicis fides habeatur. Reliqua ex febrium gaſtricarum curatione ſuperius (§. CCCXC.) propoſita peti debent *).

a) *Conſulto con auttoraz. e aggiunte pag.* 40. *Annot.* 8.

*) An hic locum meretur *Febris flaua Americanorum?* Si huius Symptomata conferantur cum Symptomatibus *febris hungaricae*, magnam inuenies inter vtramque affinitatem. Cauſſae etiam in vtraque non valde differunt. Diſcrimen tamen aliquod in eo ſitum eſt, quod febris flaua endemica in Indiis occidentalibus habeatur, quod aduenas in primis corripiat, quod citiſſime e medio tollat, quod putridior, et perniciosior videatur, et quod ictericum colorem inferat, vti peculiare, ac proprium ſymptoma, a quo nomen ſumit. SAVVAGESIVS eam retulit ad febres continentes, et *typhum* appellauit *ictero-dem.* Remittens tamen aliis eſſe creditur, et in *Medicina Practica Londinenſi* (pag. 34.) reapſe ad hanc febrium claſſem relata eſt; nec fortaſſe iniuria id factum, cum interdum in intermittentem tranſire viſa ſit. Quoniam vero de eius natura nondum ſatis conſtat, nec valde conuenit inter auctores, ad quod genus febrium reducenda ſit, nec eam vnquam viderim ipſe, ſatius duco eam quodammodo praeterire, quam temere de ipſa aliquid dicere. Non praetermittam tamen eius *Synonyma* hic adiicere, quae dum indico, loca etiam, atque auctores ſignificantur, vnde cuilibet liceat ampliorem febris huius deſcriptionem et notitiam deducere. *Febris flaua Americae* LINNAEI *Diar. Medic. Vanderm. T. VIII. menſ. maj.* 1758. *p.* 408. *Febris Indiae occidentalis maligna flaua* JACOBI MAKITTRICK *Diſſ. edimb.* 1766. *et vol.* I. *Syllog. ſelect. opuſ.* BALDINGERI *p.* 87. *Febris maligna biliosa Americae* (*flaua*) JOANNIS MOVLTRIE. *Diſſ. edimb.* 1749. *et in l. c.* BALDINGERI *p.* 163. *Febris Indiarum occidentalium, Hiſpanis vomito prieto, Gallis Maladie de Siam, aut Fièvre de Matelot, Médec. Pratiq. de Londr. edit. de Paris* 1778. *ſect.* 3. *chap.* 3. *p.* 34. Ad gaſtricas malignas, et putridas ſpectare probabilius videntur *Amphimerina paludoſa* SAVVAGESII (*Spec.*

(*Spec.* 18.), et *amphimerina biliosa eiusdem* (*Spec.* 20.); quamquam, quia facile in intermittentes desinunt, fortasse ad *complicatas*, et *compositas* transferri etiam possent.

Febris catarrhalis maligna Germanorum *).

§. CCCCXIV.

Vt *Hungarica* febris, sic *catarrhalis maligna*, seu *petechizans Germanorum* ad gastricas febres, quae quotidianae continuae, alternis interdum diebus magis recrudescentis typum teneant, verius redigenda videtur, quam ad catarrhales (§. CCCXL.), a quibus perperam nomen ei inditum est. Non equidem inficior, malignitatem in veras febres catarrhales cadere interdum posse, quod iam alibi (CCCLVI.), vt certum, assumsimus; contendo tamen ex collatis inter se descriptionibus, quas reliquerunt Cl. viri STAHLIVS, HOFFMANNVS, JVNCKERVS, ELLERVS, aliique, hanc febrem, etsi *malignam catarrhalem* ab eis nominatam, a vera catarrhali sic differre, vt quae maxime. Nisi enim omnia me fallunt, ea est febris quaedam continua remittens, plerumque epidemica, et mali moris, hungaricae modo descriptae persimilis, quam non dubito cum HEISTERO gastricis *malignis*, aut *gastrico - putridis* adnumerare. Excussis enim vtrarumque signis, effectibus, et caussis, tantam invenio inter eas affinitatem, vt a gastrica cacochylia, putridaque sanguinis infectione haec ipsa, de qua agimus, pendere omnino videatur. Praeterea Cl. viri testantur, eam plerumque blanda, et continuata alui solutione terminari, quod gastricarum febrium veluti proprium est.

*) *Synonyma.*

Febris petechizans STAHLII *opusc. chymic. physic. med. mens. Iun. pag.* 660. *Febris epidemica petechizans* EIVSDEM *l. c. p.* 608. *Quotidiana continua phlegmatica praecipue a phlegmate falso veterum.* IDEM. *l. c. p.* 621. *Febris epi-*

demica

demica exanthematica catarrhalis, siue petechizans HOFFMANNI *Med. Ration. syst. Tom. 4. sect. I. cap. X. Febris catarrhalis maligna petechizans* IVNCKERI *l. c. Tabul. 72. Febris catarrhalis maligna* LVDWIGII *Instit. Medicin. Clinic. P. I. cap. I. subsect. 2. §. 120. Febris catarrhalis maligna cum, vel sine exanthematibus apparens* ELLERI *observ. de cogn. et curand. morbis, Sect. VI. p. 89. ed. ven. Febris catarrhalis maligna* NEIFELD. *Rat. medend. Part. I. Subsect. VI. p. 101. Febris petechialis spuria* BIANCHINII, *sine catarrhalis maligna, aut quotidiana continua seroſa aliis* EIVSDEM, *Letter. Medic. Pratic. intorno all' indole delle febbri maligne Lett. IV. pag. 129.*

§. CCCCXV.

Opiniones variae.

Pro diuerſa vero cauſſarum antecedentium natura, et vi, pro varia aëris, anni temporum, regionis, hominumque conſtitutione, varia, et multiplicia etiam ſymptomata aſſumit, vt iure LVDWIGIVS crediderit, modo *biliosae*, modo *ſtomachicae*, modo *putridae*, aut etiam *petechialis* nomen eidem conuenire poſſe. Nihil vero minus, quam ad catarrhales pertinet. Nam etſi plerumque quotidiana rum catarrhalium inſtar ſub veſperam exacerbatur, interdum tamen alternas habet acceſſiones vehementiores in tertianae duplicis continuae modum. Neque catarrhalibus affectibus, BRENDELIO teſte, ſuffraganteque SAVVAGESIO *a*), ſemper ſtipatur, vt inde nominari poſſit, ſed interdum ſolum, et tunc ſpeciatim, cum autumnale, aut hibernum tempus eam iam pridem vagantem excipit. Qua de cauſſa factum arbitror, vt non ignobiles medici ab affectibus catarrhalibus ſuper additis, etſi non perpetuo praeſentibus, in errorem adducti ſint, et, quaſi in his natura eius conſiſteret, catarrhalem primum, deinde *malignam*, et epidemicam ex pravis malignarum ſymptomatibus, quae in ea deprehenderunt, facile reputauerint. Nam praeter virium ſubitam deiectionem, pulſumque vt plurimum

paruum,

paruum, et debilem, *peticulae* non raro in ea prodeunt, et ſymptomata grauiora exanthematicis morbis communia non deficiunt. At quoniam *peticulae* in ea, etſi quodammodo ſuis indiciis praemonſtratae, plerumque tamen non erumpunt, vt *petechialis* dici queat, nouo, barbaroque vocabulo vſi *petechizantem* eam nuncuparunt.

a) *L. c. cl.* 2. *ord.* 2. *gen. VI. ſpec.* 13.

§. CCCCXVI.

Ad LVDWIGII (§. CCCCXV.) ſententiam vir ſane expertiſſimus, et morborum acutiſſimus ſcrutator ELLERVS propius acceſſit. Etenim ipſe malignae, atque epidemicae febris genus quoddam hanc eſſe putat; eique omnia attribuit ſymptomata, quae aliis malignis febribus propria ſunt. Imo exanthemata cuiuſque generis ſe in ea offendiſſe, nempe miliaria tam rubra, quam alba, veſicularia pellucida, aeque ac *peticulas*, vltro confitetur. Non ergo vni tantum exanthematum generi ſubiectam credit, ſic, vt *petechizans* appellari debeat; ſed contra genus eſſe febris, quo reliquae pene omnes malignarum ſpecies contineantur. Vt vt res ſe habeat; non enim iſtorum opiniones hic expendere animus mihi eſt; in eo certe conuenimus, febrem hanc a catarrhali plurimum diſtare; quod etiam cl. BIANCHINIVS nuper Patauii Medicinae Practicae Profeſſor *a*) apprime cognouit. Non igitur temere factum videbitur, ſi eam e ſpeciebus catarrhalium expungimus, credimuſque, ſi ad aliquod genus peculiare ſpectet, *ad gaſtricas malignas*, *aut gaſtrico-putridas*, et quidem *epidemicas*, *contagioſaſque*, vt iam animaduertimus, ſpectare.

a) *L. c.*

§. CCCCXVII.

Signa, et cauſſae. Signa, et cauſſae ſunt eadem, quae in malignis, in primis gaſtricis iam adnotauimus, ſed potſſimum affinia illis, quae in *Hungarica* frequentiora eſſe narrauimus. Quaſi propria reputantur anginoſae affectiones, aphthae faucibus infenſae, artuum, et dorſi dolor, agrypnia, delirium, neruorum tremores, animi, et corporis deiectio, vertigines, ſpiritus difficultas, lipothymiae, nauſea, vomitus, alui fluxus, et ſimilia. Cl. SAVVAGESIVS tanti facit anginoſas in huiuſmodi febre affectiones, vt anginas epidemicas, malignas, vlceroſas, putridas a FORESTO, RIVERIO, aliiſque deſcriptas pro ſynonymis huiuſce febris habere non dubitauerit. Prout vero gaſtrica colluuies, aut malignum miaſma epidemicum aut contagioſum, ſanguinem quodammodo corrumpens in huiuſmodi malo praevalet, duplex etiam medendi ratio eſſe debet. Priori in caſu ea omnino conuenientiſſima eſt, quam febribus gaſtricis adhibendam ſupra docuimus; in poſteriori poſt moderatam cautamque ſanguinis miſſionem, et blandam vomitionem antiſeptica, diaphoreſimque leniter promouentia omnem curationis apicem attingunt. In vtroque autem genere ſimpliciſſima, blandiſſimaque medendi ratio perneceſſaria eſt, reliquiſque actiuioribus praeſtat. Nam docuit experientia, ſaepe plus cunctando, quam multa agendo in huiuſmodi febribus medicos profeciſſe.

Curatio.

Amphimerinae quaedam aliae SAVVAGESII.

§. CCCCXVIII.

Sauvageſii ſpecies examinantur. Supereſt, vt quotidianis continuis ſupra expoſitis multas alias adiungerem ſpecies, quas ad hoc febris genus relatas video a cl. SAVVAGESIO. At ex viginti ſpeciebus, quae ab eo conſtitutae ſunt, non

paucae

paucae a veris quotidianis continuis de remittentium classe dissident, atque aut ad intermittentes, aut ad compositas spectare videntur, aut, etiam si ad *amphemerinas*, siue potius, vt vocantur a Veteribus *), et a PLINIO *cathemerinas* spectarent, facile ad species, quas ipse protuli, redigi possunt, tamquam earum differentiae, aut varietates. Nam enimuero *Amphimerina Epiala a*), *Amphimerina syncopalis b*), *amphimerina cardiaca c*), *Amphimerina humorosa d*), *Amphimerina phricodes e*), *amphimerina singultuosa f*), et demum *amphimerina spasmodica g*), et *amphimerina phrenitica g**) perperam in remittentium classem inuectae sunt, cum natura sua intermittentes exsistant, vel ab intermittentibus proficiscantur, pleraeque ad *perniciosas comitatas*, aut *subcontinuas* TORTII pertinentes. Sic *Amphimerina hemitritaeus h*), itemque *Amphimerina pseudohemitritaeus i*) vel compositis, et complicatis, vel *tritaeophyis duplicibus* rectius adnumerandae sunt. Quod attinet ad *amphimerinam paludosam l*), et *amphimerinam biliosam m*), haec profecto ambae naturam redolent *febris gastricae putridae*, et *malignae*, de qua fusius supra. Ad gastricam quoque referrem *amphimerinam peripneumonicam n*), sed cum inflammatoria diathesi complicatam. Peripneumonia enim, quae in ea obseruabatur, erat symptoma febris gastricae typum quotidianae duplicis continuae prae se ferentis. De quotidianis continuis igitur, siue amphimerinis satis; sequitur, vt Tertianam continuam explicemus.

*) Vid. GALEN. *in prim. epidem.* HIPPOCRATIS comment. 3. vbi inquit, quotidianas, quae non intermittunt, καθημερινὰς vocari, quae vero ad integritatem desinunt, ἀμφημερινούς; contra ac SAVVAGESIO accipitur huiusmodi vox. Possunt tamen binae hae voces prout libuerit in eumdem sensum vsurpari.

a) *Spec.* 2. quae videtur e genere pernicioſarum TORTII. *b*) *Spec.* 3. Eſt tertiana duplex pernicioſa comitata eiusdem. *c*) *Spec.* 4. *d*) *Spec.* 5. *e*) *Spec.* 6. eſt *algida* TORTII. Quae tamen valde differt ab illa MARCELLI DONATI, quacum confunditur a SAVVAGESIO in hoc loco; nam quam ex *Hiſt. mirabil. l.* 5. *cap.* 4. MARC. DONATI excitat SAVVAGESIVS, ſymptomatica erat a vulneribus capitis lethalibus orta, ab *algida* TORTII omnino diſtincta. *f*) *Spec.* 12. Hic pro ſynonymo ponitur a SAVVAGESIO *Febris continua, et maligna* RIVERII Centur. 1. obſerv. 47. et Centur. 3. obſerv. 78. De prima ex deſcriptione non liquet, vtrum quotidiana continua eſſet, an intermittens. Sed ſi continua vere fuit, gaſtrica certe complicata cum diatheſi inflammatoria mihi videtur. Altera porro non amphemerina continua, ſed tertiana intermittens *cholerica* TORTII, id eſt *pernicioſa comitata* fuit. *g*) *Spec.* 15. Deſcribitur in Diario VANDERMONDII ad ann. 1757. p. 97. curabatur cortice peruuiano. Ergo ad intermittentes pernicioſas ableganda. *g**) *Spec.* 17. Hic excitat MERCATVM *de Tertiana.* MERCATVS autem tribuit tertianae pernicioſae phrenitidem in cap. *Prima tertianae pernicioſae dif. ferentia D.* Sed tertiana tunc intermittens eſt, vtcumque fuerit ſimplex, aut duplex. *h*) *Spec.* 7. Spectat ad compoſitas, ſiue complicatas. *i*) *Spec.* 8. Haec quoque ad compoſitas ſpectat, vel ad *tritaeophyas* duplices, quia eam confundit SAVVAGESIVS cum *tertiana duplici continua* WERLHOFII; non ergo amphemerina. *l*) *Spec.* 18. *m*) *Spec.* 20. *n*) *Spec.* 14.

TERTIANA CONTINVA *) ET CAVSVS **).

§. CCCCXIX.

Proprietas tertianae continuae.

Vt quotidiana continua diebus ſingulis, ſic *Tertiana continua* alternis exacerbatur, eodemque ordine ſe ſe remittit, numquam tamen ad interміſſionem peruenіens. In hac acceſſiones neque horror antecedit, neque rigor, neque notabile frigus, exceptis prima, vel altera, quae plerumque a frigore, aut horrore exordiuntur. Nec in remiſſionibus

ſionibus erumpit ſudor, niſi rariſſime; et, ſi quando is erumpit, leuis profecto eſt, inaequalis, difficilis, et plerumque vix leuans, crudo nimirum exiſtente adhuc morbo; vel intempeſtiue, et in acceſſionum augmento, quod frequentius euenit, ſine leuamine exprimitur. Quibus ſane proprietatibus a tertiana intermittente diſcriminatur.

*) *Synonyma.*

Tritaeophya SAVVAGESII, *Noſol. cl. 2. ord. 2. gen. VII. Tertiana, interpoſita remiſſione tantum, ſiue tertiana* CVLLENII, *Gen. morbor. cl.* I. *ord.* I. *gen. I. II. Tritaeus* LINNAEI, *Gen. morb. II. critici III.* exacerbant. *gen. XXI. Tritaeophyes febris* GORTERII, *Praxis medic. ſyſtem. l.* 3. *tit.* 4. 200. *Tertiana continua* plerorumque.

**) *Synonyma.*

Ardens periodica RIVERII, *de febrib. putrid. cap.* I. *Cauſos* HIPPOCRATIS, *Epid. III. ſect.* 3. (*). *Cauſus, ſiue febris ardens* GALENI, *comment. III. in Epid. Hipp. lib.* 3.

(*) Supra (§. LV. not. *) opinionem Cl. LE ROY retuli, qua ipſe contendit, HIPPOCRATEM in *hiſt.* I. *ſect.* 3. *lib.* 3. *Epid.* nomine *Cauſi* vſum eſſe non ad peculiarem quamdam febrem denotandam, ſed ad quamcunque acutiſſimam, mortiferamque exprimendam. Verum ſi ad ea, quae HIPPOCRATES habet in deſcriptione tertiae conſtitutionis eiusdem libri, animum aduertiſſet, fortaſſe ſententiam mutaſſet. Ibi enim ſcriptum eſt: *Erat autem conſtitutio febrium ardentium hoc modo. Ab initio ſoporoſi, anxii, horridi, febris acuta, non valde ſiticuloſi, non deliri. De naribus parum ſtillauit. Exacerbationes pleriſque diebus paribus. Circa exacerbationes oblitio, exſolutio, vocis privatio. Extremitates manuum, ac pedum ſemper his frigidiores praeſertim circa exacerbationes: et rurſus tarde, ac non bene recaleſcebant, rurſumque et intelligebant, et loquebantur etc.* Et in *I. epid. ſtat.* 3. adhuc clarius videtur loqui HIPPOCRATES in hunc modum: *cum itaque febres ardentes inciperent, ſignificabatur, quibus lethalia imminerent. Nempe ſtatim ab initio febris prehendebat acuta, et parum ſuperrigebant, vigiles erant, difficulter ferebant, erant ſitibundi, parum in fronte, et clauiculis ſudantes, nulluſque per totum corpus erat ſudor, valde delirabant, timores, triſtitiae, extrema ſubfrigida, vt ſummi pedes, et ma-*

nus magis, acceſſiones diebus paribus, plurimus quarto die labores maximi, et ſudores diutiſſime frigidi, neque amplius extrema recaleſcebant, ſed liuida, et ſubfrigida manebant, non ſitiebant, praeterea erant vrinae nigrae, tenues, pauxae, aluique ſiſtebantur, nec erupit e naribus ſanguis, neque his, quibus haec contigerunt, ſed parum ſtillarunt, neque reuerſio vlli horum facta eſt, at ſexto die cum ſudore moriebantur.

§. CCCCXX.

Tertiana continua duplex.

Interdum huiuſmodi acceſſiones non alternis, ſed ſingulis diebus redeunt, vno tamen die grauiores, altero mitiores, ſic vt tam hora, qua inuadunt, quam intenſione, qua decurrunt, alterne ſibi ſimiles, ſi non omnino aequales, exiſtant. At quae grauiores ſunt, non ſemper imparibus diebus, vt vulgo putatur, fiunt; nam paribus etiam hoc euenit, maleque audit tum apud HIPPOCRATEM. Hinc ab iteratis quotidie ſic circuitibus *Tertiana continua duplex* tunc nominatur. Vtraeque, tum ſimplex nimirum, tum duplex, appellantur a quibuſdam peculiari vocabulo *Tritaeophyae a*), quanquam hoc nomen magis conuenire videtur illis tertianis continuis, quae cum frigore, aut horrore in quauis acceſſione exacerbantur *b*), non ſecus, ac intermittentes febres, et in primis illae, quas ſupra (§. LXXI. CII. CXXVIII.) *ſubintrantes* appellari diximus, cum quibus ſane magnam Tritaeophyae ratione periodi, et horroris, aut rigoris, aut frigoris habent affinitatem, etſi origine, eſſentia, et periculo maxime diſcrepent.

Tritæophyæ quaenam?

a) SAVVAGES. *Noſol. cl. 2. ord. 2. Gen. VII.*

b) RAYM. JO. FORTIS *de Febrib. pag. 91*, qui ideo diſtinguit *Tritaeophyes a tertianis continuis*, quia illae acceſſiones ſuas repetunt cum horrore, hae vero ſine horrore. Horrores autem iſtiuſmodi duplicem habere videntur originem, nempe, vel ab inflammatoria diatheſi, quacum interdum complicantur, vel a cacochylia putrida primarum viarum, quod frequentius accidit.

§. CCCCXXI.

§. CCCCXXI.

Quocunque eas nomine appellare placeat, continuarum remittentium more ipsae incedunt, et tales iam ab initio, et natura sua existunt, nec ab intermittentibus ad continuitatem proiectis, vt *subintrantes*, aut *subcontinuae*, originem ducunt. In accessionum initiis pulsus aliquantulum subeunt; increbrescunt; vrinae tenues, et plerumque aqueae sunt; in incrementis saturantur, cum pulsu elatiore, frequenti, valido, magno, qui inclinata accessione, quod vt plurimum matutino tempore incidit, pacatius micat, et subsidit, nullo tamen, vt dictum est, aut exiguo sudore manante, nullaque vrina prodeunte, quae lateritium sedimentum dimittat, quale in plerisque intermittentibus non desideratur. Remissiones vero quasi medium tenent inter illas, quas habent *subintrantes*, aut *subcontinuae*, et minimas, minusue manifestas, quas *continentes*. Vt plurimum eas comitantur calor acer, os is sapor amarus, inter initia interdum vomitus bilis, deinde in incremento, et statu diarrhoea biliosa, sitis, vigiliae, aliaque acutarum febrium phaenomena. Passim ab acritate quadam biliosa sanguinis, aut a bile ipsa deprauata, quae humores omnes infecerit, oriri creduntur. Hinc plerisque Tritaeophyae, siue Tertianae continuae *biliosae* vocari etiam solent. Rationi autem consonum est, acrimoniam in iis *alkalescentem*, et calidam in primis dominari, ex qua solida vehementer irritentur, et fluida citissime gluten, quo cohaerent, amittant. Eo fortasse excedens ignei elementi vis, aut aliud simile principium dissoluens referri debet.

Quo differant a subintrantibus.

Symptomata.

Cur biliosae etiam dicantur.

§. CCCCXXII.

Quando vero *tertianae continuae* calor vrens, et sitis inextinguibilis accedunt *), tunc *Causus*, siue

Quando causus, siue ardens dicatur.

febris ardens periodica ſpeciatim eſt. In hac praeterea lingua ſicca, aſpera, nigra; vrinae rubrae, et flammeae; dolor capitis; agrypnia; delirium; anxietas; reſpiratio difficilis, denſa, magna; halitus oris calidus adeſſe conſueuerunt; et fere perpetuum eſt, febrim alternis tantum diebus, vt tertianam continuam ſimplicem, exacerbari. Ac potiſſimum infeſtat adoleſcentes cholericos, robuſtos, valde exercitatos, tempore praeſertim aeſtiuo, iter facientes, nec a ſolis radiis cauentes, aut immodicis laboribus, aut cuicunque diaetetico regimini calefacienti deditos. In *Cauſo* tam incipiente, quam ad augmenti, et ſtatus tempora perducto adſtrictam aluum, aut certe non liquidam, nec fluxam eſſe docet SAVVAGESIVS, atque hoc ipſo a *tertiana bilioſa* (§. CCCCXXI.) diſcerni; inclinante vero ſolvi, et laxari, idque tum critice fieri; quoniam haec Cauſi ſpecies coctionis capax eſt, et, coctione tantum peracta, criticis euacuationibus terminatur. In ea vero *Cauſi* ſpecie, quam deſcripſit HIPPOCRATES *a*), erant *alui turbatae plurimis horum, deiectionibus crudis, multis, tenuibus.* Quare non perpetuum eſt, aluum in *Cauſo* adſtrictam eſſe, vel ſaltem non deſunt, qui cum RAYM. IO. FORTIS *b*) animaduertunt, ardentem huiuſmodi febrem in *colliquatiuam*, vt ipſe vocat, facillime tranſire, idque cognoſci ex ſuperuenientibus die quarta crudis, liquidis, ſinceris, ſpumoſis, foetidis, pinguibus, bilioſiſque deiectionibus, nihil conferentibus, nec iudicantibus; circa vero ſeptimam vrinis copioſioribus, in quibus liquata pinguedo ſupernatat, et demum ex ſubita totius corporis macie.

*) GALENVS (*l. cit.*) duo haec ſigna Cauſi propria et ipſe putat, *ſitim irrequietam, et caliditatem perurentem ſentientibus aegris.*

a) *L. 3. epid. ſtat. 3.* *b*) *De Febrib. pag. 318.*

§. CCCCXXIII.

§. CCCCXXIII.

Verum non vna eſt *Cauſi* huiuſce origo. Accidit quandoque, vt *Cauſus* ex bile in cyſti fellea ſtagnante, et corrupta, aut in duodenum effuſa, aut ex aliis inquinamentis primarum viarum enaſcatur. Tunc putrida bilis, aut ſaburra gaſtrica non ſolum ſanguinem ipſum inquinat, et corrumpit, ſed etiam aluum mouet, et ſoluit. Hinc febris oritur ardentiſſima cum alui fluxu foetentiſſimo, et vario. Deiiciuntur autem tunc nigra, viridia, flaua, ſubrubra, partim liquida, partim ſolidiuſcula, et tenaciora. Quod vbi euenit, febris iſta QVESNAEO dicitur *ardens excrementitia*, aut *ſtercoralis*, atque *acritica*, vtpote coctionem non requirens; nobis vero *gaſtrica*, aut *bilioſa*.

Cauſus, ſiue ardens gaſtrica.

Ardens ſtercoralis.

§. CCCCXXIV.

Demum eſt alia Cauſi ſpecies, cui diarrhoea quoque accedit, non a bile tantummodo, aut gaſtricis ſordibus progenita, neque a putrida ſanguinis diſſolutione, ſed ab inflammatione alicuius viſceris illis coniuncta, aut inteſtinorum motum proritante, aut humorum copiam illuc alliciente. Hanc obſeruarunt VALESIVS *a*), et BALLONIVS *b*) ſummae auctoritatis viri, et clinico exercitio merito commendatiſſimi, a quibus edocemur, tunc inteſtina, aut meſenterium, aut hepar, aut ventriculum phlegmone, vt eryſipelate occupari, hocque patefieri ex duritie, aut tumore, aut tenſione, dolore, caloreque inſigni eius ſedis, in qua viſcus laborans locatum eſt. Quod ſi in huiuſmodi malo interiora exardeſcunt, et quaſi vruntur, et exteriora, ſaltem extrema frigent, *Lipyriae* nomen *Cauſus* aſſumit.

Cauſus ab inflammatione in abdomine.

Lipyria.

a) *III. Epid.* 1. *b*) *Conſil.* 31. *l.* 2.

§. CCCCXXV.

Prognosis tertianae continuae. Quae de prognosi, et curatione harum febrium passim exstant apud scriptores, non modo varia, sed etiam, nisi diuersis quaeque speciebus rite accommodentur, pugnantia inter se videri possent. De tertiana continua intelligantur sequentes HIPPOCRATIS sententiae: *Febres quaecunque non intermittentes tertia die vehementiores fiunt, magis periculosae a). Febres, quae proxime ad tertianarum naturam accedunt cum incontinenti iactatione, malignae b) sunt. In febre biliosa ante septimum diem cum rigore morbus regius accedens eam soluit; sine rigore vero si fiat intempestiue, pernicioſus c).*

a) Aph. 43. *sect. IV. et* 62. *sect. VIII. Coac.* 116.
b) Coac. 33. *c)* HIPPOCR. de vict. acut. n. 54.

§. CCCCXXVI.

Causus siue febris ardens legitima, et notha. Quod ad *Causos*, siue *febres ardentes* attinet, hae si *legitimae*, et *purae* fuerint, non diu durant; nam vehementia earum symptomata diu ferri non possunt. Plerumque die septimo terminantur; interdum nono, vndecimo, aut decimo quarto. Quae vltra hosce terminos protrahuntur, *nothae* vocantur. Omnes autem periculosae sunt, inquit SENNERTVS, eoque magis, quo maior a statu naturali recessus; et contra. Si senex ardenti febre corripiatur, id lethale esse monet GALENVS *a*), cui nostra quoque suffragatur experientia. In febre ardenti si lingua arida existente aeger de siti non conqueratur, periculum id significat; nam eum vel delirio teneri, vel sentiendi facultatem exstingui, indicium est. Vrinae etiam nigrae male ominantur, sicuti et tenues, et crudae. Vomitus, et alui fluxus in febre ardente post coctionem in die critico superueniens, inter salutaria signa ponendus est; contra inter funesta, et mortifera, si ante

Prognostica Causi.

coctio-

coctionem contigerit *b*). *In febribus ardentibus*, vt habet ex HIPPOCRATE *c*) BAGLIVIVS, *ſi accedat morbus regius, et ſingultus quinto die, lethale.* Rigores etiam huic interdum febri ſuperueniunt. Hinc HIPPOCRATES ſcripſit: Febre ardente detento, rigore ſuperueniente, ſolutio fit *c**). At rigor iſte in vigore morbi, et poſt ſigna coctionis cum pulſu pleno, molli, et valido accedere, et recalescente protinus corpore breui deſinere debet, vt ſalutaris dici queat. Hunc enim ſudor criticus ſubſequi ſolet. Contra, ſi crudo adhuc morbo, et languido pulſu rigor acceſſerit, nec cito recaleſcat corpus, nec pulſuum vigor reuiuiſcat, aeger eidem certo ſuccumbit. Malum quoque indicant parui tremores, et vomitus aeruginoſi, qui lethales in *Coacis c***) decernuntur. Ceterum fauſti, feliciſque exitus ſigna complexus eſt SENNERTVS hiſce verbis: *Bonum autem eſt, ſi aeger morbum facile ferat; ſymptomata non ſint vehementia; ſi facile ſpiret; ſi nullam partem internam dolere ſentiat; ſi dormiat; ſi ſomno iuuetur; ſi corpus aequaliter calidum ſit, et molle; ſi lingua non ſit adeo arida; ſi vrina bona. Quod ſi iam ſignis coctionis apparentibus cum virium robore, in die critico larga e naribus haemorrhagia accidat, procul dubio aeger euadet d*). Soluuntur etiam febres ardentes huiuſce generis ſudoribus, atque abſceſſibus exteriorum partium; ſed frequentius, vt iam notatum ſupra eſt, vomitu, alui fluxu, aut haemorrhagia. Cauſi vero altera ſpecies, quam gaſtricam diximus, ſi cito eius fomes auferatur, multo minus periculi habet, quamquam ob inflammationis metum periculo non careat. Quae demum ab inflammatione interiori oritur febris ardens, quia facile, vt plerumque eryſipelatoſa, in gangraenam deſinit, vehementer timeri debet, praeſertim, ſi *Lipyriae* iam gradum attigerit.

a) *In*

a) *In Hippocrat. Aphor.* 14. *sect.* I. *b*) SWIETEN. *in Boerhaav.* §. 741. *c*) *Prax. medic. lib.* I. *cap. de Ictero flavo ex* HIPPOCRAT. *de lud. n.* 8. *c**) *Aph.* 58. *sect. IV. c***) *N.* 62. *d*) *De febr. l.* 2. *cap.* 12. *pag.* 61.

Curatio.

§. CCCCXXVII.

Tertianae continuae quando conveniat sanguinis missio et purgatio.

In tertiana continua (§. CCCCXIX. ad CCCCXXI.) si vehemens, vt plerumque est, atque acuta fuerit, magnumque calorem habeat comitem, vena cubiti statim ab initio, aut ad summum in eius incremento secanda est, et satis abunde pro virium ratione sanguis detrahendus. Serius vero non tuto mittitur *a*), quia morbo longius producto saepe cruor ad liquescendum propendet, imo interdum ob acquisitam *alkalescentiam* iam colliquescit. Si simul cacochyliae exuberantis signa se prodiderint, purgatione tunc opus est; purgandum autem non nulli iubent post phlebotomiam, et quidem iure, si nimia plethora vasa turgeant. Medicamenta vero sint subacida, et refrigerantia, quibus purgatio praestetur. At, materia non exuberante, non purgandum plane est, nisi coctione peracta. Coctionem adiuuant temperantia, diluentia, et subacida. Quando vero Natura concoctae materiae euacuationem per se non molitur, excitandam esse data affatim potui aqua frigida praecipit GALENVS, quem plerique alii sequuntur.

Coctio exspectanda.

a) SWIETEN. *in Boerh.* §. 743.

§. CCCCXXVIII.

Gelidae potus in Causo I.

Frigida, imo niuata, siue gelida aqua multo magis conuenit primae *Causi* speciei (§. CCCCXXII.) si aetas iuuenilis, tempestas et regio calida, temperamentum cholericum sit, et vires constent; neque inflammatio vlla phlegmonodes, aut insignior viscerum obstructio se opponat. Tempus vero dan-

dae

dae aquae frigidae aptius perhibetur morbi ſtatus, quanquam in augmento etiam, ſi res vrgeat, propinari poſſit. Tantum porro aquae dandum eſſe iubent, quantum ab aegro paullatim bibi poteſt. Prudenter ſe gerunt qui quauis ſemihora ſex, vel octo eius vncias porrigunt, et ſic, excluſo omni alio alimento, per aliquot dies ſola aqua aegros ſuſtinent, donec morbus iudicationem ſubeat. Interea ſudorem quam maxime vitare ſtudent, ſtragulis etiam, ſi opus eſt, caute detractis, atque aëre frigidiuſculo admiſſo; quamquam non video, cur ſemper ſudoris via morbo fugienti cum bonae criſeos ſignis occludi debeat. Paullatim autem huic potui aſſuefaciendi aegri ſunt; nam aliqui vix ferre eum poſſunt ob ſpaſticas interiorum partium conſtrictiones, in quas incurrunt; aquaeque frigus ſenſim, et gradatim caute augendum. At in regionibus calidioribus, vti in Regno Neapolitano, in Sicilia, in Hiſpania, alibique audentius ſe ad hoc remedii genus conuertunt, eoque in pleriſque morbis paſſim vtuntur, nec admodum ad veterum praecepta de frigidae propinandae ratione attendunt. *Aqueam diaetam* hanc dicunt. *Frigidae dandae methodus.*

§. CCCCXXIX.

In altera vero *Cauſi* ſpecie (§. CCCCXXIII.), quoniam metui poteſt, ne partes, in quibus bilis deprauata, aut excrementum copia reſidet, inflammatione, et quidem periculoſiore ob putridam cauſſam, corripiantur, oportet primum venam incidere, deinde aluum ducere, aut vomitum ciere; hoc que alternatim facere, ne mora, aut cunctatione morbus inualeſcat, et pernicioſior fiat. Serum lactis cum cremore tartari, ea nempe quantitate, quae accommodata aegro videatur, copioſe hauſtum, aut decoctum tamarindorum ceteris praeferendum *Curatio Cauſi II.* *Purgatio.*

rendum est. Laxat, temperat, *alkalescentiae* resistit, abstergit, atque euacuat. Fomenta ventri imposita laxantium adiuuant effectum. Clysteres crebro in anum iniecti ex eodem fero, addito *electuario lenitiuo*, aut sale cathartico amaro caussae materialis subductionem sine noxae metu sollicitant.

Emesis. Tartarus emeticus aqua dilutus, et partitis hausti-bus post phlebotomiam die remissionis propinatus sursum, et deorsum morbi fomitem leniter exturbat, tutiorque est ipsis catharticis, imo etiam praestantior, cum putredo insignior, aut epidemica constitutio, aut miasma malignum, aut grauissima symptomata citam breuiori via bilis, aut saburrae gastricae expulsionem exposcant.

§. CCCCXXX.

Curatio Causi III. Cum vero inflammatio iam aliqua viscera abdominis occupans, febrem ardentem efficit, vt in tertia *Causi* specie (§. CCCCXXIV.) euenit, suspecta tum ea omnia sunt, quae aluum aliquanto acrius, et validius ducunt. Eorum loco iteratis sanguinis missionibus, semicupiis, et fotibus mollientibus interponantur enemata blandissime aluum laxantia. Serum lactis quoque, itemque oleum seminum lini recens expressum, aut oliuarum dulcissimum, aut seminum Ricini americani, aut quodcunque aliud non ita facile rancescens hic commendantur, quo putrida quaecunque colluuies citissime, et lenissime educatur, ne retenta inflammationem malignam sua prauitate ad gangraenam facilem, et pronam reddat. Reliqua, quae huic curandae opportuna esse possunt, ex *Commentario de Inflammatione*, prout res postulabit, huc quoque transferantur.

Diaeta. In singulis demum hisce tertianae continuae speciebus (§. CCCCXIX. ad CCCCXXIV.) victus ratio talis esse debet, qualis ceteris in morbis acutis, vide-

videlicet tenuis, humectans, refrigerans; aër vero, in quo aegri decumbunt, ad frigidum, et humidum inclinans. Sapienter enim, et vere admonet Cl. SWIETENIVS, sanguinis missionem, clysteres, et reliqua artis molimina vix compescere aestum, motumque febris nimis concitatum, nisi aëris quoque refrigerium *a*) accesserit. *Aër ad frigidum inclinans.*

a) *In Boerhaav.* §. 610.

§. CCCCXXXI.

Antequam vero de tertianis continuis, et tritaeophyis sermonem absoluam, aduertere oportet, eas, siue simplices, siue duplices fuerint, pro aetatis, et temperamenti ratione, aut anni temporum diuersitate multifariam variare. Hinc aliae sanguineae magis, aliae pituitosae, aut biliosae videntur, et pro earum differenti natura non parum etiam symptomata discrepant. Autumnali tempore quae aggrediuntur, grauiores, diuturniores, periculosioresque esse solent. Interdum ab initio cum cacochylia gastrica, et putrida complicantur, aut inflammatoriam naturam prae se ferunt, et cephalitidis, aut phrenitidis metum incutiunt. Frequentius vero ob perspirationem ex frigore, aut humido aëre cohibitam cum coryza, catarrho, tussi, aut doloribus rheumaticis iunguntur, simulantque catarrhalem, aut rheumaticam febrem. Imo tunc non rarum est, exanthemata miliaria post decimam quartam diem, quandoque etiam post vigesimam eisdem superuenire, siue haec a complicato miliari veneno pendeant, siue a lymphae deprauatione, aut impuritate, aut corruptione inducantur. Interdum haec critice erumpunt, interdum symptomatice. Criticas pustulas miliares in Tritaeophya autumnali, die vigesima septima tantum, post varias symptomatum, et febris vicissitudines prodire vidi, et sic iudica- *Variant pro anni et aegrotantium ratione.* *Autumnales.* *Miliaria.*

iudicationem afferre: alias die decima septima sine vllo leuamine, aut cum malignorum symptomatum accessione. Quando huiusmodi complicationes fiunt, semper aliquid insoliti, et a consueto febris indole alieni in earum processu deprehenditur.

§. CCCCXXXII.

Sanguis ano demissus. Autumno proxime elapso (ann. 1780.) in tertianis duplicibus continuis, quae tunc frequentes occurrebant ex pluuiosa, frigida, et variabili aëris constitutione, pluries magnam sanguinis nigricantis, modo fluidi, modo concreti copiam circa secundae hebdomadis finem, aut paullo serius, iterato ex ano excretam vidimus, quae ab haemorrhoidibus internis tantum prodiisse videbatur. Nemini critica fuit. In omnibus sola quiete, potu, spiritu vitrioli acidulato, et enematum omissione refrenata

Sanguinis stillae e naribus. est. Quibus caput doluit ab initio, deinde stillae sanguinis ex naribus prodierunt, sed non largiter manauit, pituitaria membrana praetumida remanente, dolentibus acriter faucibus sine insigniori earum rubore, aut tumore, phrenitici ad finem tertiae, aut quartae hebdomadis obierunt.

§. CCCCXXXIII.

Aestiuae. Aestate magis ad ardentes, biliosas, putridas, et colliquantes accedunt. Sed tum post aliquot dies, nempe modo post septem, modo post quatuordecim, aut viginti, saepe in veras intermittentes desinunt, vel ita in remissionibus extenuantur, vt intermittentibus persimiles euadant, siue hoc contingat ex imminuta quodammodo materiali caussa, siue ex subacta diathesi inflammatoria, cum qua complicabantur. Id autem potissimum euenit, cum

Quandoque fiunt intermittentes. intermittentes febres dominantur. Quando vere intermittentium naturam induunt, facile dato cortice peruuiano fugantur. Sed paullo implicatior

res

res est, vbi tantummodo remissionibus suis intermittentes aemulantur. Tunc enim, etsi plurimum remittant et horrore aliquo, aut frigore saltem extremorum, quod frequens est in veris tritaeophyis, accessiones suas exordiantur, non semper tamen huiusmodi remedio vincuntur. Ne vero frustra aut temere hoc ingeratur, prius disquirendum est, an remissiones sudor aequaliter diffusus, et omnia symptomata sedans subsequatur; vrinae interea, aut postea emissae turbentur, aut lateritii aliquid deponant, aut saturatiore colore rubescant, quam in ipso accessionum initio, et incremento, et demum an accessiones ipsae ordinate, et periodice redeant, et frigore, aut horrore, aut oscitatione, aliisque symptomatibus intermittentium propriis aegros exerceant? Si haec accidant, spes est, cortice peruuiano eas fugatum iri. Cum vero nec frigore exacerbantur, etsi summopere remittant, nec in remissionibus vrinae crassescunt, nec lateritiae fiunt, multo difficilius iudicatu est, num huiusmodi pharmaco cessurae sint. Saepe enim obser vatum est, in huiusmodi casu eas cortici peruuiano restitisse. Tunc autem, si accessiones statis quibusdam horis ordinate reuertantur, et manifesta, et quasi repentina lassitudine, et dorsi, crurum, capitisque dolore, siti, anxietate, inquietudine aegrotantem discrucient, ita vt intermittentium morem, et consuetudinem imitentur; et deinde post aliquot horas omnia mitigentur, vt aeger, quemadmodum in ipsa intermissione, releuetur, sudore etiam aliquo manante, aut cute insigniter humescente, dubitari haud potest, quin intermittentium naturam sequantur, et china china remedio futura sit. Quod multo certius quidem erit, si remissiones in vespertinas, aut nocturnas horas cadant, quibus contra, vt plurimum verae continuae remittentes,

Quid faciendum, vbi intermittentibus proximae euadunt?

Quando chinae cedant?

et praesertim *cathemerinae*, et *tritaeophyae* omnes, non mitigari, sed ingraueſcere conſueuerunt. Autumnales, etſi tum intermittentes non deeſſe ſoleant, non ita facile in intermittentes tranſeunt, nec facile cortici cedunt, quia fortaſſe aut denſior humorum diatheſis, aut exſpirationis parcitas impedimento eſt.

§. CCCCXXXIV.

Febrium harum varietates.

Probe igitur memoria tenendum eſt, ſingulas harum febrium (§. CCCCXIX. ad CCCCXXV.) ſpecies non modo memoratis ex cauſſis, aut prauitate cauſſarum, aut complicatione aliorum morborum, aut aëris conſtitutione, verum etiam, prout ſporadicae, epidemicae, endemicae, benignae, aut malignae, aut a contagione exiſtant, non parum ſymptomata ſua variare, diſcrimenque aliquod in ipſa medendi ratione creare, varioſque exitus habere: quae omnia prudentis, et periti, et exercitati medici eſt rite cognoſcere, ne aut in iudicio de febris natura, atque euentu ferendo, aut in adminiſtrandis artis auxiliis quidquam delinquat.

§. CCCCXXXV.

Animadverſiones in Sauvageſii ſpecies.

Poſtremo ſcire debent tirones, vno hoc febris genere a SAVVAGESIO comprehenſas fuiſſe decem diſtinctas peculiares ſpecies, quarum tamen quatuor ad febres intermittentes rectius transferendae mihi videntur. Nam *Tritaeophya ſyncopalis a*), *Tritaeophya elodes b*), *Tritaeophya carotica c*), *Tritaeophya deceptiua d*) ſpectant ad intermittentes; tres priores ad *comitatas* videlicet *perniciosas* TORTII, quarta ad *ſubcontinuam* eiuſdem. *Tritaeophyam* autem *lacteam e*), ſi deſcriptionem ETTMVLLERI, ex quo deſumta eſt, conſulere non pigeat, facile conſtabit, non eſſe, niſi ſymptoma inflammationis

mationis a lacte in mammis coacto genitae. Iure vero ad hoc genus retulit *Tritaeophyam Vratislaviensem* HAHNII *f*), quae reapse ardentibus, et lipyriis periodicis malignis, atque epidemicis adnumeranda est. Ad *tritaeophyas* pariter *malignas*, *putridas*, *epidemicasque*, vt alias silentio praeteream, pertinere videtur etiam illa, quam anno 1768. grassantem vidit CAIETANVS TORRACA *g*) Centum Cellarum non ignobilis medicus.

a) *Spec.* 1. *b*) *Spec.* 4. *c*) *Spec.* 6. *d*) *Spec.* 9. *e*) *Spec.* 7. *f*) *Spec.* 3. *g*) *Dell' epidem. costituz. di Civitavecchia* nell' ann. MDCCLXVIII. Rom. 1768.

FEBRES REMITTENTES, QVAE MODO QVOTIDIANAE, MODO TERTIANAE TYPVM SERVANT.

§. CCCCXXXVI.

Hactenus eas Remittentes, quae aut quotidianae, aut tertianae typum constanter obtinent, persecuti sumus; restat modo, vt illae pertractentur, quarum typus non ita certus est, neque ita constans, vti in superioribus. Sunt enim earum non nullae, quae alterutrius ordinem tenent, atque adeo neque quotidianae, neque tertianae dici possunt, sed modo vnius, modo alterius more procedunt. Harum igitur quaedam genera, quae notatu digniora mihi videntur, explicare suscipiam, vt hoc febrium veluti chaos in minutiores partes ductum, luculentius, distinctiusque spectetur.

Febris remittens lenta maligna *), *Neruosa dicta.*

§. CCCCXXXVII.

Continuitate, et accessionum circuitu se remittentem ostendit haec febris; sed modo alternis, modo singulis diebus, modo etiam erraticarum more *Character febris.*

more exacerbari solet. A reliquis tertianis continuis, siue *tritaeophyis*, aut quotidianis, siue *amphemerinis* abludit, quod lentissimo passu progreditur, et vix aliquam, aut certe exiguam in pulsibus celeritatem, et frequentiam mouet. Hinc *remittens*, et *lenta* iure nominatur, itemque ob speciem lenitatis, et abditam quodammodo indolem, viriumque languorem *maligna*. Cumque in ea cerebri, neruorumque functiones prae primis laedi videantur, actionesque omnes langueant, a quibusdam etiam *lenta neruosa* dicta est, ab altera eiusdem nominis (§. CCLXX.), quae continens est, et supra a nobis descripta fuit, merito discernenda.

*) *Synonyma.*

Febris neruosa remittens SAVVAGESII. *Nosolog. cl. 2. gen. VII. spec. X. Febris neruosa, siue a spiritibus* QVINCYI, *Essay of fevers p. 370. Febris tritaeophya typhodes* MANGETI, *Sauvag. Nosol. l. c.*

§. CCCCXXXVIII.

Historia morbi.

Quam primum incipit morbus, arteriarum micatus sunt parui, breues, vix frequentes, imo interdum tardi, aut rari; aeger pallet, languet, atque in soporem, aut coma, plerumque vigil propendet; vix vltra modum, saepe minus, quam par est, calet, et nulla plerumque siti, aut certe valde exigua afficitur. Primis diebus vt plurimum quaedam interualla temporis intercedunt, in quibus aegri per aliquot horas ita releuantur, et melius habent, vt morbus non remittere modo, sed etiam intermittere videatur. At paullo post horrore, aut rigore aliquo redeunte iterum febris cum expositis symptomatibus recrudescit, mentiturque accessionibus suis periodicis, vt supra dictum est, intermittentium quasi morem, et typum. Post aliquot huiusmodi vicissitudines tandem qui sic laborat, lectulo affigitur, stupidus fit; nec discrimen, in

quo

quo verſatur, nec quaecunque eidem ſtant circum, vllo prope modo nouit, aut curat; in obuia quaeque manibus ſine cauſſa inquirit, ea palpat, contrectatque; balbutit, et obmurmurat, aut contra ſtupet, obmuteſcit, et ſemiuiui imaginem exhibet. Subinde ſpaſticis quibuſdam circa ventriculum, et pectus affectionibus torquetur, excitatur, imo etiam tuſſi ſicca, aut tremoribus, aut ſubſultibus concutitur. *Si his non ſuccumbat, diuque malum* trahatur, facies effigiem cadaueris plane prae ſe gerit. Morbo finem verſus procedente, quandoque maculae, ſiue peticulae ad cutim prorumpunt, quae vel floridae, et rubrae, quod tutius eſt, vel liuidae, quod deterius, apparent; diarrhoea item ſupervenit; nigra, et foetida egeruntur; neque ab his vrinae valde diſſident; ſenſus obnubilantur; oculi vix a luce percelluntur; auditus obtunditur, bono plerumque omine. Surditatem vero puris ſaepe ex auribus fluxus ſubſequitur. In quibuſdam per lyſim tantum lentiſſime, nempe interdum poſt dies quadraginta, imo etiam poſt duos, vel tres menſes febris euaneſcit; ſed qui ita conualeſcunt, adeo hebetes remanent, vt vim mentis, ſenſuumque aciem recuperare nequeant, niſi poſt longiſſimum temporis interuallum.

§. CCCCXXXIX.

Cauſſarum loco occaſionalium ſolent praecedere nimiae euacuationes, quibus corpus infirmatur, annonae caritas, alimentorum inopia, magna cum mentis, tum corporis contentio, venus immoderata, ſenium, conſtitutio aëris humida, et torpida, epidemicum miaſma, et quandoque contagium. Ex quibus equidem colligo, corpus vniuerſum primum ſummopere languere, deinde, febre exorta, vim nerueam et muſcularem penitus obtor- *Cauſſae.* *Aetiologia.*

peſcere, quemadmodum ex eius ſymptomatibus (§. CCCCXXXVIII.) perſpicuum eſt. Quoniam vero non ſemper id a venenatis halitibus, aut maligno, neruiſque infenſo miaſmate profluit, probabile hinc eſt, interdum non ſolum partes ſolidas omnes praeter modum laxari, verum etiam aquoſam, lentam, viſcidamque colluuiem cerebrum, et neruos obruere, ſenſibilitatem minuere, et veluti cohibere, vt ſenſuum ſtupor, mentis aberratio, virium deiectio, pulſuum raritas, aut languor conſequantur. Quod ſi eiuſmodi colluuiei vellicandi potentiam adiunxeris, nempe pungendi, et irritandi vim aliquam, non modo febrim, ſed etiam horrores, ſpaſmos, tremores, et reliqua ſymptomata inde profecta intelliges. Et quoniam nunc magis, nunc minus neruoſum ſyſtema obrui, et vellicari ſimul, probabile eſt; conſequitur etiam, vt interdum omnia ſymptomata ingraueſcant, interdum minuantur, ſicque per certos quoſdam circuitus malum progrediatur, ea tamen tarditate et inertia, quae lentori et tenacitati humoris morbidi, et ſolidorum atoniae, et torpori reſpondeat.

Quae in cadaueribus reperiantur?

Hinc etiam liquere arbitror, cur in cadaueribus defunctorum ſaepe laxata cerebri compages, aut hydrocephalum internum, et medullae ſpinalis hydrops, aut encephali ſuppurationes, abſceſſuſque reperiantur. In tanto igitur vitalis circuitus languore, cum viſcidus, et lentus humor tardiſſime reſolui, et digeri debeat, et congeſtiones, collectioneſque in minimis, laxiſque encephali vaſis, aut ſpatiis interiectis difficillime diſcuti poſſint, aut id, quod neruis inſidet, nocetque, aegerrime inde dimoueri queat; nemo mirabitur, quam ob rem morbus adeo diuturnus exiſtat, atque inſenſibili etiam reſolutione quandoque finiatur.

Cur longus morbus, et quandoque inſenſibiliter terminetur.

§. CCCCXL.

§. CCCCXL.

Pro varia item temperamenti, aetatis, habitus corporis, sanguinis, aliorumque humorum variatione, et pro cauſſarum complicatione diuerſa, et pro maiori, vel minori ad liqueſcendum aut putreſcendum humorum propenſione, arduum non eſt intellectu, quando alui fluxus, quando peticulae, quando vrinae foetidae, et confuſae, aut alia euacuationum genera ſuperuenire poſſint, aut exſpectari debeant. Hinc etiam expeditiſſimum eſt cognitu, eamdem hic quoque curationem requiri, quam ſupra (§. CCLXXXIII.) opportunam eſſe aſſeruimus, cum de febre lenta nervoſa continenti verba facta fuere; videlicet ſanguinis miſſionem largam, aut catharſim plerumque huic febri nocituram; et contra ea omnia, quae vim neruean excitant, et vires vitae erigunt, vti cardiaca, analeptica, ſtimulantia, volatilia, vinum, iura viperarum, ambra gryſea, veſicantia, victuſque ratio paullo largior egregiam opem praeſtitura.

Symptomatum variatio pro varia circumſtantiarum ratione.

Curatio.

§. CCCCXLI.

Hoc febris genus tam *ſporadicum*, quam *epidemicum* occurrit, nec rarum eſt clinicis attentioribus obſeruatu. Supra (§. CCCCXXXVIII.) indicatum eſt, quandoque morbo longius protracto, aut altius prouecto, id eſt humoribus corruptionem ſubeuntibus, peticulas etiam ad cutim propelli. Nunc haud reticendum eſt, peticularum loco interdum exanthemata miliaria circa vndecimam, aut decimam quartam, aut ſerius huc illuc prodire; quin imo quibuſdam in conſtitutionibus cum leui cerebri inflammatione febrem huiuſmodi coniungi, ſic vt aliquantum tam ſymptomatum, quam curationis ratione a modo deſcripta differre videatur. Tunc dolor capitis grauior eſt, temporales arteriae vehe-

Quandoque ſuperueniunt miliaria.

Interdum cum leui cephalitide copulatur.

mentius subsiliunt, oculi rubent, et lucem auersantur, vigiliae maxime vrgent, et, si aliqua in somnum propensio adest, somnus verus non est, magisque comati vigili haec dormiendi cupiditas accedit. In hoc casu sanguinis missio inter initia vtilior est, et praecipue cucurbitulis scarificatis instituta, et repetita, omniaque reuulsionum genera. Huc fortasse referenda est *Amphimerina miliaris* SAVVAGESII *a*), siue *febris maligna cum obscura cerebri inflammatione*, quam autumno anni 1757. grassari vidit Cl. MARTELLVS DE GRANDVILLERS *b*).

Quid tum magis conueniat?

a) *Spec. XI.*

b) *Journal de M.* VANDERMOND. *T. VIII. p. 275.*

Febris remittens soporosa Senum *).

§. CCCCXLII.

Senectus ipsa est morbus, vt vetus habet adagium. Plurima enim salutis incommoda senilis aetatis fere propria sunt, inter quae non vltima calamitas e multis, quibus senes subiiciuntur, mihi videtur quaedam febris continua remittens, siue *exacerbans*, qua ii, praesertim decrepiti, aut decrepitis proximi prehendi solent, et plerumque opprimuntur. *Soporosa* ei nomen est, quia aut cum graui mentis stupore, altoque somno inuadit, aut in quauis accessione vt plurimum coniungitur, a *Lethargica* TORTII (§. CLXIX.), aut *soporosa* WERLHOFII, quae intermittens est, et ad *pernicio-sas comitatas* spectat, omnino natura differens, ac proinde seorsum pertractanda. Qui de ea diligentius, veraciusque doctissimo, expertissimoque viro LE ROY scripserit, adhuc inueni neminem. Itaque, quoniam medicinam facienti mihi pluries ipsa se obtulit iisdem propemodum notis, quibus ab illo ad viuum depingitur, pergratum tironibus me

Differt a soporosis Tortii, et Werlhofii.

me facturum spero, si de hoc parum noto febris genere, et a plerisque scriptoribus praetermisso acturus non modo illius observationes persequar, verum etiam meas quelescumque opportune iisdem adiiciam.

*) *Synonyma.*

Febris maligna cum sopore exacerbans, sive febris maligna (1). *Senum* LE ROY, *Melang. de Physiq. et Médecin. Prem. Mémoir. sur les fievr. aiguës p.* 171.

(1) Iam alibi animaduersum a nobis est, malignarum nomen a Cl. LE ROY tributum fuisse omnibus febribus acutis periculosioribus, et mortiferis, quas alii *malignas* proprie dici negant. *Second. Mémoir. sur les fievr. aiguës pag.* 232. *et pag.* 266. Hoc igitur sensu, non alio hic *maligna* dicitur.

§. CCCCXLIII.

Accessiones habet haec febris satis manifestas, quae modo tertianae continuae duplicis instar, modo quotidianae more procedunt; plerumque tamen, quando quotidianam hora inuasionis aemulantur, vna alternatim altera grauior est. Quare *Tritaeophya duplex soporosa senum* dici posset. Vtplurimum vero, sicuti saepe experientia didici, huiusmodi accessiones, quae grauiores sunt, in dies pares incidunt, quamquam non raro obseruauerim, post decimam quartam diem, mutato ordine dies impares, in quibus mitiores accessiones fiebant, commutatos in deteriores, et demum sine vllo ordine, etsi quotidie febris exacerbari pergeret, quasi erraticas, vagas, irregularesque factas. Praecedit communiter refrigeratio tactui sensibilis extremarum partium, in primis nasi, manuum, et pedum, plus minus longa, at non horrifica, nisi cum aliis morbis, aut interioribus antiquis vitiis complicetur, certissimum febris subsecuturae indicium. Interdum refrigeratio ista circa postremos morbi dies ita protrahitur, vt decem, duodecim, aut quinde- *Descriptio.*

cim horas perduret, antequam calor se exserat, et pulsus se explicet, et vehementior, ampliorque fiat. Quod vbi accidit, praesertim si praeter pedes femora etiam perfrigerata sint, exspectanda est pessima accessio, quae saepe de medio aegrum tollit. Certius vero exitium imminet, cum longiori frigori singultus se se adiunxerit.

§. CCCCXLIV.

Duo signa pathognomonica.

Sed duo praecipua, et plane propria, siue pathognomonica signa huiusce febris suppeditat caput, et pulsus, prout sub accessione ipsa, et ea inclinata se habent. Et primum, quod ad caput spectat, hoc vt plurimum in prima febris accessione sopore quasi apoplectico obstupescit, et opprimitur; sed hac superata, aut inclinante somnus excutitur, mens redit, sensus reuiuiscunt, et nulla pars corporis paralysi affecta reperitur. Aegre haec prima febris accessio a leui apoplexiae insultu internoscitur; donec proxima eumdem afferens soporosum affectum, mox omnem ambiguitatem tollat. Id autem, vt dixi, rarius euenit. Frequentius enim febris sine notabili stupore, et somno accedit ab initio; deinde vero secundae, aut tertiae accessioni tantummodo superuenit sopor; qui tamen non in quauis febris accessione est eiusdem gradus. Plerumque paullatim singulis accessionibus ita ingraueſcit, vt in penultima, aut postrema tandem fiat vere apoplecticus. In primis tunc accessionibus leuior est; nam aeger expergiscitur vocatus, aut excussus, sed in somnum cito relabitur, simul ac sibi relinquitur, nec irritatur. Interdum delirium sopori iungitur, interdum abest. Quidam dum veterno premuntur, balbutiunt etiam, vti linguae paralysi correpti. Nec quandoque desunt in ipsis accessionibus tendinum subsultus, motusque conuulsiui.

Sopor, siue primum signum.

§. CCCCXLV.

§. CCCCXLV.

At non omnis somnus, qui febribus superuenit, aeque periculosus est. Nam si aeger facile excitatur, oculos aperit, et nitidos ostendit, si eos, vt solet, circumagit, si naturaliter intuetur, si sui conscius recte respondet ad ea, de quibus interrogatur, somnus huiusmodi plerumque vel nihil, vel parum mali portendit. Sin contra difficulter e somno excitatur, et expergefactus oculis stupidis, incertis, obliquis, aut obuersis haereat, si hi rubeant, turgeant, et quodammodo protuberent, aut languidi, turbidi, aut flaccidi (quamquam interdum sanis similes sub huiusmodi somno viderim) appareant; si mens aberret, tum sopor ad lethargicum vergit, et funesta quaeque comminatur. Postremi generis est ille, qui accessiones huiusce febris comitatur. *Signa somni febrilis boni, et mali.*

§. CCCCXLVI.

De primo signo, quod caput praebet, satis: nunc de altero, quod pulsus. Is in febris remissionibus deprehenditur aequalis, elatus, non valde frequens, praesertim primis diebus; in accessionum vero vigore multo frequentior, itemque paruus, inaequalis, debilis, et quandoque ita obscurus, vt demum, morbo ad exitiosum finem tendente, vix manu percipi possit. Mirum tamen est, cutim, dum talis pulsus est, saepe quasi exardere, aegrosque, dum exterius frigent, plerumque de molestissimo interiori calore conqueri solere. Hae sunt praecipuae, et veluti propriae pulsuum in hac febre affectiones. Dissimulare autem nequeo, pulsum in aliquibus vigente etiam accessione fortem, et plenum, quod, vt rarissimum, etiam concedit Cl. LE ROY, inueniri; in aliis vero quandoque intermittentem, atque instabilem. Itaque medicus, vt fiat certior *Alterum signum ex pulsu.*

certior de propriis huiuſce febris ſymptomatibus, debet aegrum ſaepius inuiſere, ſed maxime eo tempore, quo acceſſio incipit, etiamſi id in noctem caderet. Sic enim inſida morbi variatio non eius effugiet diligentiam.

§. CCCCXLVII.

Varietates in acceſſionibus.

Iam monui, ſoporem pedetentim in acceſſionibus plerumque augeri ab initio ad finem; acceſſioneſque ipſas ordinate, et diſtincte inualeſcere, et remittere. Sed ſcire quoque licet, eas paullatim ita produci, vt demum vix quidquam amplius remittant, ſe ſe quaſi commiſcentes, aut exigua, et breuiſſima tantummodo habentes interualla, in quibus ſymptomata minuantur. Quamquam res vt plurimum ſic ſe habeat; interdum tamen euenit, vt quidam aegroti ſemper in remiſſionibus ad finem vſque, ne ea quidem demta, quae antecedit poſtremam, et lethalem diem, ſic recreari, leuarique videantur, vt adſtantes vix ſibi perſuadeant illos in proximo vitae periculo reuera verſari; dum tamen aegri ipſi ex intima animi praeſenſione rectius diuinant id, quod eos maneat, et ſe paratos ad ſubeundum extremam ſortem praedicant, imo ſponte, vltroque efflagitant, vt ſacris religionis auxiliis praemunire ſe poſſint.

§. CCCCXLVIII.

Fallaces remiſſionum vices.

Quandoque febriles acceſſiones circa ſeptimam, vel octauam diem ita miteſcunt, vt remiſſionis interuallum ab vna ad alteram acceſſionem horas vſque viginti quatuor, vel triginta ſex extendatur, atque adeo ex duplici ſimplex *Tritaeophya* euadat. Tunc cauere oportet, ne praemature nimis felicem morbi finem polliceamur; praeſertim ſi non praeceſſerit, neu praeſto ſit vlla euacuatio, aut eruptio critica, cui tanta morbi remiſſio tribui queat.

Nam

Nam ſaepe obſeruatum eſt, poſt longiorem illam quietem febrem vehementius recrudeſcere, et incautos illudere. Lingua plerumque humida eſt, et naturali ſimilis ad finem vſque, exceptis iis aegrotis, qui ſomno obruti ſpiritum hiante ore ducunt; nam in his exareſcit, et aſpera ex hac cauſſa fit; quamquam tamen eam quandoque ex febris etiam ardore reſiccari viderim, cum non raro, poſtquam febris deferbuiſſet, licet adhuc ore hiarent, humida, et mollis permaneret. *Lingua interdum ficca.*

§. CCCCXLIX.

Neque inſolens eſſe, ait Cl. LE ROY, morbo ad finem tendente, alterutram parotidem, aut vtramque intumeſcere, et proximam ſaepe mortem praenuntiare, aut peticulas ſymptomaticas prodire, quae pariter exitium imminere ſignificent. At in iis, quos hac febre laborantes videre mihi contigit, nihil horum vnquam comperi, ſic vt minime eius propria iſta credam, et, ſi quando incidant, tum cum ea malignitatem aliquam, aut putridam colluviem complicari. Huncque eſſe caſum putaverim, in quo alui excrementa liqueſcunt, et crebro deiiciuntur, peculiaremque foetorem exhalant; et tales halitus e corpore aegrotantis emanare dicuntur, vt in aëre iis repleto diu morari non liceat, quin caput dolore corripiatur, cito tamen deſituro, ſi, qui eo affectus eſt, in aërem purum, et liberum ſe transferat, ibique aliquantulum conſiſtat. *Symptomata variora.*

Prognoſis.

§. CCCCL.

Periculoſa valde eſt huiuſmodi febris, et plerumque lethalis. Nunquam contagione communicari viſa eſt, aut epidemice vagari. Solet ſporadice hunc, vel illum ſenem ex aliqua euidenti, et procatarctica *Ortus eius.*

catarctica cauſſa, etiam leuiori, inuadere, praeſertim autumnali tempore, aut hiemis initio, cum nimirum tranſpiratio cutanea frigore, aut aëris humiditate minuta ſit. Qui ea laborant, interdum ſeptima, octaua, aut nona die, ſaepius vndecima, aut decima tertia moriuntur. Cl. LE ROY neminem nouit vltra hunc terminum vitam protraxiſſe ex illis, quorum morbus morte finitus eſt. Non inficiatur tamen, quando malum citam mortem non affert, hominem ita male affectum relinqui, vt diutius quidem miſere viuat, ſed demum ſuccumbat. Plerumque ita euenire, vt affirmat vir doctiſſimus, equidem fateor. Attamen ſeptuagenarium hac febre cum biliosa primarum viarum cacochylia, et antiquo veſicae vlcere complicata laborantem curaui, qui poſt multas, miraſque viciſſitudines, quas ſuſtinuit, vigeſima nona demum die occubuerit. Lenta porro interdum morte morbum finiri, non pridem comprobatum recordor in magno quodam Principe octogenario maiori, qui primas grauiſſimas, et prope lethales febris huius acceſſiones eluctatus, tandem in febrem lentam quotidie exacerbantem incidit, et maraſmo tandem confectus, et aſſidue delirus centeſima a morbi initio die exſpirauit. Ceterum tendinum ſubſultus, tremores, conuulſiones, reſpiratio difficilis, aut magna, et tarda, pulſuum intermiſſio quam maxime periculum augent, atque exitium accelerant. Singultus vero ſi acceſſerit; quod rarum non eſt; iam prope inſtare extremum diem, denuntiat.

Terminus.

Interdum lenta euadit.

Febris hemiplegiaca.

§. CCCCLI.

Soporoſae febris veluti ſpecies haberi poteſt illa, quae, quia eidem hemiplegia ſuperuenit, proprie *hemiplegiaca* appellanda videtur. Haec homines aggre-

Quae ſic appellanda.

aggreditur non admodum senio graues, vt superior; sed tamen senio proximos, qui nimirum annum quadragesimum quintum iam praetergressi sint. Ceterum magna inter vtramque est affinitas; nam in vtraque aegri, dum sopore premuntur, balbutiunt; accessiones omnino eumdem manifestum typum, ordinemque tenent, in quibus plus minus somnus obrepit; pulsus simili prope modo tam in accessionibus, quam in remissionibus se habent. In priore illa lingua quasi paralysi, in hac latus resoluitur: quae omnia affinitatem, similitudinem affectionis ostendunt. At non idem in vtraque periculum est. *Soporosa* plerosque occidit; non item *hemiplegiaca*, quia in hac pauciores pereunt, multique seruantur. Si tamen in huius accessionibus pulsus fiat paruus, debilis, inaequalis; aeque lethifera esse potest, ac *soporosa*; nam nerui etiam cardiaci resolui quodammodo videntur. Item si paralysis organa deglutiendi attingat; si tendines resiliant; si caput, oculi, aut labia conuellantur simul, tantum periculi continet, vt omnis spes adimatur aegri seruandi. Sed prae ceteris ad respirationem attendere oportet; quo enim plus a naturali ipsa deflectit, (deflectere autem plurimum solet pari vago, et intercostali affectis) eo propius exitium metuendum est.

Affinitas.

Hemiplegiaca minus periculosa.

§. CCCCLII.

Posset febris ista quibusdam videri vna eademque cum lethargica TORTII, aut soporosa aliorum, vtpote quae senibus pariter infensissima esse consuevit, et saepe hemiplegiam, aut apoplexiam, aut paralysim sibi (§. CLXIX.) adsciscit. Verum ab huiusmodi *perniciosis comitatis* distinguitur, 1) quia continua perhibetur, 2) quia sporadica est, dum comitatae plerumque epidemicae, aut endemicae obser-

Quomodo differat a soporosis comitatis.

obseruantur; 3) quia in hemiplegiaca et soporosa accessiones a refrigeratione, et quidem longa inchoant; in illis contra ab horrore, aut a simplici pernicioso symptomate sine frigore, aut horrore, vel certe breuissimo et vix sensibili; 4) quia in illis praecipiti, et celeri passu ad mortem fit transitus; in nostra vero tardiori, lentiorique gressu; 5) quia vrinarum alia omnino ratio est. In *comitatis* sunt parcae, subiugales, lateritiae, subsidentes; in *soporosa*, aut *hemiplegiaca* continua crudae, copiosae sine sedimento, aut cum enaeoremate diuulso, et leui; 6) quia illae cortice peruuiano certe depelluntur; haec vero nequaquam.

§. CCCCLIII.

Quid in cerebro defunctorum inuentum.

Cl. LE ROY, dum causas mali, eiusque symptomatum, et mortis ipsius indagat, et veri simillimum putat, a peculiari cerebri affectione illa omnia permanare, queritur anatomicarum disquisitionum defectum, quo fit, vt decerni non possit, quaenam reuera sit eiusmodi cerebri affectio, in qua morbus iste contineatur. Ipse tamen narrat, in homine, qui *hemiplegiacus* ex hac febre mortuus erat, inuentum esse abscessum, qui in altero cerebri hemisphaerio recondebatur. Quid in Principe illo, de quo paullo ante mentionem (§. CCCCL.) feci, sectio cadaueris, quam instituit diligentissime amicissimus, et medica scientia praestantissimus, JO. PAVLLVS SPEZZANIVS, detexerit, non melius patebit, quam si sectionis ipsius descriptionem, mecum ab eodem communicatam hic transcripsero. Altero ab obitu die cadauer sectioni traditum est. In exteriore corporis ambitu quaedam maculae lividae, latiores aliae, quae hypogastrium occupabant, aliae minores, quae talos, et extremos pedum pollices tingebant, et notabile vlcus cum

Sect. 1.

Sect. 2.

gangrae-

gangraena iamdiu obortum, a ſummo oſſe ſacro ad nates protenſum oculis diſſectoris ſe ſe obtulerunt. Reſerato *abdomine* ventriculus, inteſtina, iecur, pancreas, omentum, meſenterium, renes, veſica vrinaria omnino iuxta naturae modum inueniebantur, ſi exceperis aliquas non inſolitas variationes, quas inceſſus, et flexus inteſtinorum, omentique poſitus exhibuerunt. Lien vero apparuit, mole multo minor, quam ſolet, fortaſſe ex compreſſione, quam iamdiu patiebatur ab ingenti quadam hydatide, quae ex ſuperiore renis ſiniſtri parte enata ſurſum attollebatur hypochondrii cauum, quod ſolis lieni, et ventriculo continendo dicatum eſt, magna ex parte occupans. Aqua, quae hydatidi inerat, trium librarum et amplius quantitatem aequabat, leuiter flaueſcens, ceterum limpida. In *thorace* cor repertum magnum, et firmum, cui adnexa vaſa aeque ſana, et bene conformata reſpondebant, cuique in viuente, et ſano arteriarum micatus validi, magni, aequales ſemper reſponderant. Concretio quaedam polypodes in ſiniſtro eius ventriculo exiſtebat, in aortam vſque producta, quam in poſtremo vitae articulo genitam probabile eſt. Poſterior pulmonum pars colore magis fuſco, quam anterior, erat, et ſanguine etiam turgebat magis, vt ex poſitu in dorſum morientibus euenire conſueuit. In vtraque thoracis caueâ, ſed in ſiniſtra plus, aliquid ſeri effuſi, et valde ſanguineo colore tincti deprehenſum eſt; quod pariter laborioſae reſpirationi ad vitae finem factae adſcribendum videtur. *Caput* demum, in quo morbi cauſſa quaerenda potiſſimum erat, haec exhibuit. Dura meninx prope naturalis viſa eſt; venae omnes piae matris ab vltimis vſque furculis ad truncos, quibus in ſinus longitudinales, et tranſuerſales hiant, praeter naturam dilatatae ſanguine tenuiore, et diluto val-

de turgebant; quo vitio fortaſſe iamdiu laborabant, quia ſereniſſimus Princeps ab adoleſcentia adſtrictiori collari aſſueuerat, quo ſanguinis e capite per venas iugulares reditus plurimum retardabatur. In venis, vti quoque in ſinibus, exiguae, et tenues quaedam polypoſae concretiones inerant. Interſtitia, quae inter venam, et venam interiacent, oppleabantur materia quadam albida, condenſata, et quaſi concreta, vnde ipſa pia meninx craſſeſcebat. Intra duram, et piam, et intra piam meningem, et cerebrum ſtagnabat inſolita ſeri copia, quo etiam ferme pleni erant ventriculi cerebri. Plexus choroidei pallebant, et multas paruas hydatides huc illuc innatas oſtentabant. Corticalis cerebri portio perbelle anfractibus ſuis diſtincta, videbatur aliquantum contracta; medullaris vero, et reliquae partes intra caluariam locatae nullum vitii genus prae ſe ferebant.

§. CCCCLIV.

Exſtat apud MORGAGNIVM ſectio Cadaueris Nob. viri ALOYSII RATTAE, aetate prouecti, qui a longo iam tempore hypochondriaco malo, et vertigini obnoxius, Nouembri an. 1705. in *affectionem comatoſam* cum febre, vt auctor exiſtimat, *peſſimi moris* coniunctam incidit, qua intra biduum circiter confectus eſt. Cum autem VALSALVA in hiſtoria morbi, nam inter eius obſeruationes eam reperit MORGAGNIVS, *praecipuum* praeter deliria *ſymptoma*, *maximam ſomnolentiam* commemoret, videtur probabile, febrem eiuſmodi non multum a *ſoporoſa ſenum* abfuiſſe. In ventre, et thorace *ſana omnia inuenta ſunt; et quamuis odor quaſi eiuſmodi, ac in verminoſis ſolet, exiſteret, qui aliis lacrymas, aliis ſternutationem moueret; nuſquam tamen apparuerunt vermes. Cranio exſecto in cerebri anfractibus aqua* gelatinoſa *in ventriculis quoque, et qua oblon-*

Sect. 3.

gata

gata medulla in ſpinae tubum deſcendit, aqua fuit; ſed pauca vtrobique a). Quae ſequitur obſeruatio, propius ad morbum, de quo agimus, ſpectare videtur; nam qui eo correptus eſt, *ad annum accedebat ſexageſimum; febre acuta laborans in Noſocomium vltimo dumtaxat morbi tempore illatus, hebes iacebat, et vix interrogantibus reſpondere poterat. Stragula ſaepius abiiciebat, quaſi ingenti vreretur calore, qui, ſi tangeres, vix tepidus, imo ad extrema corporis frigidus percipiebatur. Pulſus interdum omnino latebat, interdum prodibat; ſed durus, paruus, intermittens. Reſpiratio tamen erat naturalis. Per haec nouiſſimis tranſactis diebus prope quartum decimum eſt mortuus.* Quorum multa ad amuſſim cum iis ſymptomatibus, quae ſupra (§. CCCCXLVI.) relata ſunt, conueniunt. *Ventre, et Thorace apertis, ventriculus, et inteſtina leui rubore ſuffuſa inueniuntur, quaſi inciperent inflammari: in cordis autem ventriculis ſanguis craſſior; ſed tamen fluidus. Cranio recluſo, dum craſſa meninx inciditur, et dum cerebrum eximitur, limpidum, ſed non multum, prodit ſerum. Sub tenui quoque meninge, quae leue inflammationis praebebat indicium, ſulci, qui inter cerebri anfractus deſcendunt, eodem manabant ſero. Denique in lateralibus ventriculis aliquantum ſeri, colore ſanguineo infecti, repertum eſt b).* Sect. 4.

a) *Epiſt. anatom. medic. de ſed. et cauſ. morbor. Epiſt. VI. n. 2.* b) *Ibid. n. 8.*

§. CCCCLV.

Ex quibus anatomicis ſectionibus, quamquam non multis, conſequitur magna probabilitatis ſpecie, iiſdem propemodum vitiis in hac quoque febre cerebrum affici, quae in aliis ſoporoſis affectionibus detecta ſunt a Proſectoribus a), quaeque plerumque conſiſtunt vel in apoſtematibus cerebri, vel *Cauſarum explicatio.*

in lymphae *gelatinoſae* inter duram, et piam meningem collectione, vel in ſero ſiue limpido, ſiue craſſo, turbido, imo etiam ſanguineo circa cerebrum ſtagnante, aut in eius ventriculos effuſo, vel demum in nimia vaſorum ſanguineorum, quibus pia mater, et cerebrum ipſum abundat, dilatatione, atque infarctu *b*); ex his vero frequentiorem eſſe vaſorum dilatationem, colluuiemque ſeroſam, et viſcidam cerebrum; eiuſque ventriculos inundantem: quae omnia in ſenibus, parum perſpirantibus; pituitoſis, crudiſque humoribus plerumque ſcatentibus, et canalium in primis cerebralium indurationibus, aut atonia, contrario prorſus vitio obnoxiis, ac proinde congeſtionibus, collectionibuſque humorum accommodatiſſimis paullatim fieri incipiunt, et ſenſim ita increſcunt, vt demum, accedente aliqua procatarctica cauſſa febri mouendae idonea, in huiuſmodi terrificum, lethalemque morbum incidant. Non hic diſputabo, quot modis, quibuſque ſeroſa iſta colluuies in cerebro congeratur, cum partim id in pathologia generali explicatum arbitror, partim opportunius explicabitur, vbi de apoplexia, et congeneribus affectionibus, praeſertim ſoporoſis, peculiariter agemus. Nec quaeram modo, an ab huiuſmodi cauſſa ſemper febris accendatur, num vero interdum aliunde orta, cum ipſa tantummodo copuletur, aut eam gignat, aut augeat; nam longioris res eſſet indaginis. Illud ſolum mihi videtur veri ſimile, quod ſeroſa colluvies ſtuporem quidem, et ſomnum praeſtare poſſit, non vero febrim, niſi acrimonia quaedam ſeroſo humori inſit, aut cum eo aliqua meningum, et cerebri phlogoſis coniungatur; vnde medullares eiuſdem fibrae, appenſique nerui ſic irritentur, vt ſpaſmo inducto, primum extremarum partium perfrigeratio ſequatur, deinde etiam motus cordis, et

arteria-

arteriarum augeatur, humoresque omnes concitentur, atque efferuescant. Ab eadem cerebri vellicatione perspicuum est, delirium, subsultus tendinum, et conuulsiones pronasci debere, et, si quando irritationi compressio praeualeat, partes, puta linguam, fauces, brachiorum, et crurum alterutrum, quae loco in cerebro compresso magis respondent, resolui non secus, ac in paralysi, et hemiplegia. Quoniam vero aucto humorum per febrim motu serosa colluuies paullatim in circuitum rapitur, et cerebrum tum a pressione, tum ab irritatione levatur, mentem ad se redire, soporem discuti, et febrim sensim deferuescere, probabile est, donec, renouata intra quoddam certum temporis interuallum congestione, accessio modo citius, modo tardius, modo fortius, modo mitius, prout eius quantitas, aut irritandi vis variat, cum iisdem prope symptomatibus instauretur.

a) BONET. *Sepulcr. T.* I. *sect. III. itemque* MORGAGN. *Epist. anatom. med., Epist. VI. tota. b*) MORGAGN. *ib.*

§. CCCCLVI.

Saepe etiam accidit, vt cum huiusmodi caussa (§. CCCCLV.) diathesis sanguinis inflammatoria, praesertim ab initio, complicetur, aut phlogosis erysipelatodes interiorum viscerum, vnde sitis, ardor, singultus, anxietas, extremorum perfrigeratio, vt in veris lipyriis, vna concurrat. Pro caussarum igitur varietate, concursu, aut aliorum morborum complicatione non parum febris ipsius magnitudo, vis, et periculum, nec non symptomata differant, necesse est. Idcirco in septuagenario, quem supra (§. CCCCL) decessisse vndetrigesima die narraui, primis diebus, cum e frigore accessionis cuiusque emergeret, pulsus erat vehemens, durus, vibratus, sanguisque e vena eductus tenax, firmus, *Variae complicationes, vnde etiam symptomata variantur.*

et cruſta inflammatoria obductus. Progreſſu vero morbi, et in primis poſt decimam quartam diem frigus exteriorum partium fere perpetuum euaſit, dum interim de ſummo interiore aeſtu, et inexplebili ſiti aegrotus querebatur; demumque pulſus ita exilis, paruus, inaequalis factus eſt, vt interdum, ſicut in aſphycticis, pene deficeret, ſenſibus nihilominus integris, quamquam aliquantum languidioribus, permanentibus. His pernicioſiſſimis ſymptomatibus acceſſit primum liquida, foetida, colliquans diarrhoea, et tandem tympaniticus abdominis tumor. Sed huic aegro praeter ſoporem illum acceſſionum febrilium comitem abſceſſus erat, qui veſicam vrinariam occupabat, et magnam puris foetentiſſimi copiam a multo iam tempore ſine inſigni moleſtia cum vrina, quae ſponte, vt in incontinentia, exſtillabat, effundere ſolebat. Veſicam vero in primis affectam fuiſſe, indicabat eius praegrandis tumor in hypogaſtrio ſitus, manuique facile ſubiectus. Hinc fortaſſe ſingultus, quo poſtremis vitae diebus aeger ſummopere conflictabatur.

§. CCCCLVII.

Curatio. Non aliam hic curandi rationem proponere auſim, quam illam, de qua in cura febris generali (§. XLII.) mentio facta eſt. Plerumque enim quaecunque artis praeſidia effectu carent. Si quae tamen aliquid boni vnquam praeſtiterunt, id profecto a ſanguinis miſſione, a cucurbitulis ſcarificatis, et potiſſimum a cantharidibus *muchae*, brachiis, aut cruribus, imo ipſi capiti applicitis, vlceribuſque inde natis, diu manantibus profectum eſſe nouimus. Vno verbo omnia, quae a capite reuellunt, vim nerueam excitant, vitales vires erigunt, ſeroſi humoris copiam minuunt, educuntque ceteris praeſtantiora vſus comprobauit. Cl. LE ROY corticem

ticem peruuianum in tenuem puluerem redactum, et larga manu datum interdum prospere cessisse affirmat. At cortex peruuianus in hac *continua febre soporosa senum* inefficax omnino est, imo plerumque febrem ipsam exasperat, vti pluries expertus sum. Fortasse, quando profuit, febris intermittens *perniciosa* erat, soporoso affectu comitata, qualem alibi commemorauimus, cum qua facile haec, de qua differimus, confundi potest.

FEBRIS PVERPERALIS NEOTERICORVM *).

§. CCCCLVIII.

Nihil vetat, quo minus puerperae aliis quibuscumque morbis, et febribus, vt reliquae mulieres, facile pateant. Idcirco rarum non est, eas peripneumonia, pleuritide, angina, apoplexia, catarrho, rheumatismo, febribus continuis, aut intermittentibus, cum benignis, tum malignis, variolis, morbillis, purpura miliari, aliisque malis, et quidem ex causis communibus, et fortuitis prehendi, ita vt nullus ferme morbus existat, in quem ipsae aliquando non incidant. Quid enim communibus hominum aerumnis eas subtrahat? At praeterea non vacant propriis quibusdam, et peculiaribus morbis, qui a partu ipso proxime consequuntur. Supra iam, vbi *de febre lactea puerperarum* (§. CCCLVII.) disputatum est, varias non modo eius differentias explicui, verum etiam singulas quasdam febres secundarias, siue symptomaticas, quae a lacte in mammis vberius congesto, aut coacto, vel ab vteri inflammatione, vel a subita, et inexspectata lactis, aut lochiorum metastasi (§. CCCLXV. et CCCLXVIII.) excitantur, breuiter, vt tum erat opus, indicaui.

Puerperae a communibus morbis non liberae.

Febres earum propriae.

Hic vero dicendum fupereſt de quadam febri (quoniam modo quotidie, modo alterne exacerbatur) acuta, pleriſque maligna, aut putrida habita, qua ſpeciatim corripi puerperae dicuntur, et magnum inde periculum ſubire. Hanc, quoniam propria puerperarum exiſtimatur, complures Neotericorum *puerperalem* **) vocant, quaſi nouum febris genus, et veteribus penitus ignotum eſſet, et peculiari nomine careret, nec ad vllam febrem ante cognitam reduci poſſet.

*) *Synonyma.*

Febris puerperalis EDVARDI STROTHERII, *critic. febr. or a critical eſſay on fevers chap. IX. p. 212. The puerperal fever. Lond.* 1718., NATHANIEL. HVLMI, *A Treatiſe on the puerperal Fever etc., et* JOH. LEAKE, *Practical obſerv. on the child-bed Fevers etc. Febris Puerperarum* CAROLI WHITE, *Avis aux Femm. enceint. et en couches ſect. 3. artic. 2. p.* 184. *Febris lochialis vulgo in Anglia dicta, ſed perperam* EIVSDEM *ibid. Febris lactea maligna Puerperarum* LE ROY, *Premier. mémoir. ſur les fievr. aigües p.* 198. *Febris putrida puerperis ſuperueniens ex bilioſo humorum apparatu, vel ex diaetae erroribus* RIVERII, *Prax. med. lib. XV. cap.* 24. *Febris putrida puerperarum* RAYM. JO. FORTIS, *De febrib. et morb. mulier. p.* 484. *Febris putrida, ſeu potius maligna puerperarum* WILLISII, *De febrib. cap. XVI. pag.* 76. *Febris vterina a partu tam humoralis, quam neruoſa* RAVLINII, *Traité des malad. des Femm. en couche ſect. III. chap. X. p.* 219. *Febris miliaris complicata, ſiue putrida maligna* GASTELLIERII, *Traité de la Fievr. miliaire des Femm. en couche p.* 6.

**) Primus, qui de ea ſcripſerit, atque huiuſmodi denominatione vſus ſit, ab HVLMIO fuiſſe dicitur EDVARDVS STROTHER, Londini ann. 1718. edito opere, cui titulus *Criticon Febrium etc.*

§. CCCCLIX.

Antiquitus cognita febris puerperalis.

Nouam vero non eſſe huiuſmodi febrem, nec veteribus praeteruiſam, facile eruitur ex antiquiſſimorum ſcriptorum monumentis, vt rectiſſime animadvertunt SWIETENIVS *a*), WHITEVS *b*), aliique etiam

etiam inter eos ipsos, qui noua illa denominatione vtuntur, et peculiariter de ea ediſſerunt. Sed nullibi luculentius apparet, hanc ipſiſſimam febrem notam antiquitus fuiſſe, atque accuratiſſime deſcriptam, quam in primo, et tertio epidemiorum HIPPOCRATIS *c*), vbi octo hiſtoriae puerperarum ea laborantium referuntur, ita ſimiles illis, quas nuperi ſcriptores ediderunt, vt ouo ouum ſimilius non ſit. Non nullas quaſi illinc exſcriptas diceres. Laudandi tamen praeſtantiſſimi huiuſmodi Auctores ſunt, quod nouis, iteratiſque inueſtigationibus illuſtrare eam conati ſint, quanquam non ſatis conſtare videatur, num pro ſcriptorum numero, et labore par vtilitatis ratio conſequuta ſit. Nam de huiuſce morbi natura, cauſſis, et curatione tantam inuenio inter eos diſſenſionem, tantam opinionum varietatem, vt, cui tirones fidem habeant, quem ſequantur, quem, vt ducem, ſibi proponant, decerni minime poſſit. Quam ob rem, antequam ad eius deſcriptionem gradum faciam, in qua pariter non exigua eſt apud auctores diſſimilitudo, operae pretium me facturum exiſtimo, ſi primoribus ſaltem labiis praecipuas attingam opiniones, quae de natura, atque origine *febris puerperalis* non ſine magna interdum animorum contentione euulgatae hactenus fuere; ſimulque ad examen, quantum in me eſt, reuocem argumenta, quibus iſtae innituntur, vt planior, tutiorque fiat aditus ad veram eius Pathologiam, et Therapeuticen; quod in primis noſtri inſtituti ratio poſtulat.

a) In Boerhaav. §. 1329. *b*) *l. c.* *c*) *Lib. I. epid. ſect. III. Aegrot. IV. V. XI. Lib. III. ſect. II. Aegrot. X. XI. XII. ſect. III. Aegrot. II. XIV.*

§. CCCCLX.

Apud pleroſque Gallos hodie, poſt PUZOSII, et LEVRETII, aliorumque edita ſcripta, iam inualuit, *Galli eam a lacte retento deriuant.*

a lacte intra sanguinem retento non solum variòs, et grauissimos morbos, vti apoplexiam, peripneumoniam, et abscessus quosdam, ideo *lacteos* vocatos, verum etiam febrem istam, de qua verba facimus, potissimum proficisci in puerperis. Inter eos prae ceteris eminet Cl. LE ROY, qui, natura ita, inquit, prouisum est, vt a partu insignis quaedam in corpore animali mutatio accidat, qua lac, quod ad vterum nutriendi foetus caussa ferebatur, illico ad mammas conuertatur, vt ibi secretum ab infante in lucem edito exsugi possit. Si naturae errore, aut caussa aliqua alia intercedente fiat, vt necessarium, et salubre huiusmodi opus turbetur, et lactis ista secretio in mammis deficiat, nec a lochiorum copia suppleatur; tunc mala, quae paullo ante memorauimus, ex lacte sanguini permixto, nec ab eodem secedente oriantur, necesse a) est.

a) *Prem. Mém. sur les fievr. aigües p.* 202. *et seqq.*

§. CCCCLXI.

Argumenta, cur ita sentiant.

Hanc febrium pernicioſarum, quae puerperis superueniunt, causſam omnium veriſſimam, frequentiſſimamque contra veterum ſententiam, qui eas lochiis plerumque retentis tribuiſſe dicuntur, eſſe ipſe cenſet, 1) ex eo, quod foeminae, quae lac non porrigunt natis, proniores in huiuſmodi febres exiſtant; aut, ſi nihil incommodi bona fortuna patiuntur, maciei deinceps, hyſtericis affectionibus, vertigini, tuſſiue permoleſtae obnoxiae reddantur, dum ab his lactantes, ſiue nutrices immunes, et liberae eſſe ſolent; 2) quod lac congeſtum, aut coactum in mammis ſaepe causſa ſit tumorum, inflammationum, et abſceſſuum, quibus eaedem vexantur; 3) quod lac in ſanguine fluitans, ad aliquam tandem partem, nunc interiorem nunc exteriorem delatum, non raro ibi conſiſtat, collectum-

que

que tumores varios, tam lymphaticos, quam inflammatorios efficiat; 4) quod fecta, et referata cadauera plane demonstrent, huiusmodi abscessus, qui plerumque circa vterum, eiusque ligamenta, aut circa musculos iliacos, et psoas, aut in cellulosо peritonaei textu, aliisque partibus vtero propioribus reperiuntur *a*), iure *lacteos* nuncupari, cum ipsemet vir clarissimus in foeminae ventre, quae ex febre puerperali perierat, serum copiosum inuenerit, cui innatabant flocculi lacti coagulato persimiles; 5) quod lochia magnam partem constent ex succis quibusdam lacteis, qui, si illa supprimantur, retenti sanguinem ipsum contaminent, inficiantque. Nam negat ipse, febrem hanc a lochiis cohibitis, retentisque originem habere, quia eorum suppressio non antecedit, sed plerumque subsequitur; 6) quod exercitatissimi clinicorum, vbi lac in puerperis copiosius ad mammas affluere, et secerni vident, sibi quam maxime gratulentur, et rem in tuto positam esse credant: ex aduerso vehementer timeant, et male ominentur, si, lacte non apparente, flaccescentibusque mammis, febris aliquanto grauior accedat.

a) PVZOS *second. Mém. sur les Depôts laiteux.* Item vid. LEVRET, *L'art des accouchem. p.* 146. 147. 150. *et seqq.* CHOMEL, *Acad. des scienc. l'an.* 1728. *Mém. p.* 581. *et seq.* et demum *Acad. des scienc. l'an.* 1746. *Mém. p.* 160.

§. CCCCLXII.

His, similibusque argumentis confidunt qui a lacte in sanguine retento cum Cl. LE ROY, aliisque Gallis huiusmodi febrem agnoscunt. Tanta autem est hac de re persuasio vulgi, vt quidquid aduersi puerperis obueniat, id non dicam a medicis, et chirurgis, sed ab imperitissimis aliis omnibus continuo huic causae adscribatur. Quorum tamen sententiae,

tentiae, doctrinaeque ne rationalis medicus acquiescere possit, multa profecto impediunt, obstantque. Nam 1) neque lac, neque lacteus humor, neque chylus vere est, qui ad vterum defertur nutriendo foetui, sed sanguis, atque ex eo tenuiores secreti liquores ad eius nutrimentum impenduntur, vt Physiologi celebriores, minusque hypothesibus addicti vniuersim hodie *a*) docent. Verum largiamur, chylum, aut lacteum humorem reuera esse, qui ad vterum defertur pro nutriendo foetu. Licebit, ni fallor, mox petere, num chylus iste, humorue lacteus per communes sanguinis vias ad vterum feratur, vel per vasa peculiaria, intacto prorsus sanguine, ex chyli receptaculis illuc descendat? Si primum, quod anatomiae magis consonum est; quanquam sanguini permiscetur, quis dixerit, ab eiusmodi commixtione vllam noxam induci? Ergo neque ab vtero in sanguinem refluens, aut in eodem retentus quidquam mali afferat, necesse est. Humor enim nutriendo foetui accommodatus, natura videlicet blandissimus, temperatissimusque cur matri noxius euadat? Chylus vero nonne sanguini quotidie permiscetur, atque in eodem retinetur, vt quae vita ipsa consumuntur, reparet, et resarciat? Si porro alterum dixeris; ostende, quaeso, vias istas, et rem gratissimam nedum mihi, sed omnibus etiam Physiologis feceris. Sed hisce tamen positis, et demonstratis, peterem adhuc, cur chylus, siue humor lacteus, qui quotidie in homine e ductu thoracico, aliisque etiam viis in sanguinem influit, et in eodem retinetur innoxie, solis demum puerperis retentus in sanguine, vt contendunt, tam insolenter, et ferociter noceat? Neque difficultatem declinabis, si regeras, lacteum humorem in vtero ipso confici, et secerni; nam vasa *lactifera*, aut *lympha-*

Refellun-
tur.

lymphatico-lactea, quae in muliebri vtero se vidisse non nulli iactarunt, aut confinxerunt *b*), in humano genere non ita ostensa sunt, vt de iis summopere adhuc ambigere *c*) non liceat. 2) Quamquam id, quod de lactantibus dicunt, generatim experientia comprobetur, videlicet has melius habere, et fortasse febribus acutis obnoxias minus esse, quam non lactantes; de quo nunc disputare non vacat; tamen haud infrequens est, lactantes quoque febre puerperali interdum corripi, et periclitari, quod non semel nobis videre contigit; imo lac quandoque copiosum, praesente hac febre, in mammis secerni, eoque mammas ad postremum vsque morbi stadium manifestissime *d*) turgere; quod hercle **)* argumento est, lactationem puerperis, quia naturae instituto consentaneam, vtilem multis de caussis esse posse, sed non ex eo, quod lactis retentionem, et refluxum praecaueat. 3) Mala, quibus non lactantes deinceps, videlicet procul a partu, affici, et cruciari dicuntur, eas nec semper infestant, nec ab illis nutrices omnino praeseruantur; cum hae frequentius macie, vertigine, hysterica passione, virium languore, tabe, vt propriis lactationis symptomatibus *e*), vexentur, quam non lactantes, nisi robusto, bonoque corporis habitu polleant.

a) FRID. BERN. ALBINVS *de Natura hominis* §. 1504. 1505. HALLER *Physiolog. l XXIX.* §. 33. 34. 35. 36. CALDAN. *Instit. Physiol.* §. 508. 524. 525.

b) VIEVSSEN. post VERHEYEN II. p. 43. FALCONET. DEIDIER, FIZES, HORN., aliique, et praesertim ASTRVCIVS (*malad. des Femm.*). Sed *ii quidem viri*, inquit HALLERVS (*l. c.* §. 30.), *fabricam ruminantium animalium ad hominem traduxerunt.*

c) HALLER *Physiol. l. XXVIII. sect.* 2. §. 46., 48. vbi sic scriptum reliquit: *Eo* (nempe ad vasa lymphatica vteri) *refero vasa lactea vteri olim dicta*, de quibus retulerat iam *lib. XXVII.* At multo confidentius haec ipsamet vasa negantur

gantur a Cl. AZZOGVIDIO non ſolum in *Inſtitution. medic. vol.* I. §. 154. verum etiam in *Obſeruation. ad veri conſtructionem* pertinentibus, Bononiae an. 1775. editis, vbi (*pag. 36. et ſeq.*) cl. vir non modo MORGAGNII auctoritatem, quae magni momenti eſt, et ANNAE MANZOLINAE in anatomicis diſquiſitionibus exercitatiſſimae fidem, et PETRI MOSCATI celeberrimi anatomes Profeſſoris, atque *incredibilis in obſeruando dexteritatis* obſeruationes, ſed etiam ſuas diligentiſſime inſtitutas, atque iteratas adducit.

d) LEAKE *l. c.*

*) In Collectaneis medicis ſocietatis Medicorum Hamburgenſium a GISECKIO germanice editis (pag. 136. ad 160.) hoc ipſum confirmatum legitur. Nam ibi cl. Auctor profitetur, mala, quae lacti aberranti tribui ſolent, vbi febris, tumores circa vterum, et crura etc., interdum euenisſe iis etiam puerperis, quae lactabant, quaeque lactis copia non ſuperflua gaudebant, et quibus ſimul lochia rite manabant. Vid. PAVLI DIETERIC. GISEKE M. D. *Abhandlungen und Beobachtungen aus der Arzneygelahrheit etc.* aut *Comm. Lipſienſ. vol. XXII. pag.* 131.

e) MORTON. *Phthiſiolog. lib.* I. *cap. VI.*

§. CCCCLXIII.

Continuatio confutationis.

Animaduertendum 4) eſt, interdum parciorem lactis ſecretionem, et prouentum in mammis fieri, imo etiam penitus deficere, nec lochia interim ſolito copioſiora eſſe, quin tamen aliquid mali puerperae ſubeant, et multo minus febri puerperali corripiantur. 5) E contrario hanc ſaepe accendi viſam eſſe, antequam lac e mammis decedat, et poſt eam exortam diu adhuc lacte turgere mammas quandoque ſolitas, neque ſemper eam vitari ab illis, quae vbera ſuis infantibus mature, et libenter fugenda praebeant, vt exemplis infra proferendis euincetur. 6) Compertiſſimum quidem eſſe, lac quandoque in mammis mora, et ſtagnatione, et calore ita vitiari, et corrumpi, vt noxam corpori inferre poſſit, ſi nimirum diu in iis ſtagnet, aut concreſcat: quo tamen caſu quidquid in ſanguinem remeat, plerumque, niſi nimia copia, et repentino, ſubito-

ſubitoque impetu repellatur, vt ſupra iam monitum eſt, id facile aut alui fluxu, aut ſudore, aut vrina, aut alia aliqua via, aut pluribus ſimul ſine magno valetudinis incommodo a natura expelli, quod magni plane viri *a*) vltro concedunt; illud vero, quod in mammis iam coiuit, nec reſolui amplius poteſt, tumores plus minus duros, aut abſceſſus procreare, curatu non admodum arduos, fereque periculi expertes. 7) Quoniam probabile eſt, quotidie aliquid lactis e mammis per vaſa lymphatica ſine vlla ſanitatis noxa in ſanguinem infundi, vt Cl. MECKELII *b*) iniectiones ſuadere videntur, nullo modo concipi mente poſſe, quare liquor adeo blandus, adeo dulcis, temperatuſque, adeo naturae amicus in puerperis, ſiue retentus, ſiue reſorptus, febrem mali moris, inflammationes, tumores, abſceſſus, dolores tam interiorum, quam exteriorum partium excitare debeat, niſi antea inſignem labem contraxerit, aut alia quaedam cauſſa interceſſerit, vti ſubita refrigeratio puerperae, aut graue aliud diaetae erratum, cui huiuſmodi mala rectius, veriuſque attribui poſſint.

a) SWIETEN. *in Boerhaav.* §. 1329. vbi teſtes appellat celeberrimos auctores, vti PEV (*pratique des accouchem. pag.* 214.), LEVRETVM ipſum (*L'Art des accouchem. pag.* 135.) etc. qui id experientia conuicti fatentur.

b) *Nov experim. et obſeruat. de finib. venar. et vaſor. lymphatic. Berolin. an.* 1772. *p.* 56. *et* 57. vbi *lariſſimus campus*, inquit Cl. Auctor, *hic pateret in errores hinc oriundos in Medicina animaduertendi, qui in practicis libris ſaepe occurrunt. Saepius mihi in praxi viſum eſt ab aniculis, et medicaſtris abſque fundamento lactis in ſanguinem regreſſum, tamquam cauſſam morborum fere omnium ſecundum illorum ſententiam accuſari, qui puerperas poſt puerperium infeſtant, quos inflammatoriae febris poſt partum ortae, aut refrigerationis, aut erroris in diaeta effectus, ac ſequelas eſſe peritus in arte facile cognoſcit etc.* Similia habet LEAKE *l. c.*

§. CCCCLXIV.

§. CCCCLXIV.

Continuatur refutatio. Quaeram 8), si lac in sanguinis vias repulsum, quando adhuc blandum, et minime acre est, nec vllum ex mora cepit vitium, teterrima illa mala efficeret, cur iisdem nutrices, vbi alumnos dimittunt, atque a mammis lac abigunt, non pari ratione obiiciuntur? Plurimas equidem vidi, nullam vero earum, quae ex hac caussa in grauem morbum inciderit. 9) Vt ad sectiones cadauerum, ad quas a lactis accusatoribus prouocor, me conuertam, materia illa lacti similis, quam circa intestina, aliaque viscera, aut in cauo abdominis effusam inveniri dicunt, nihil sane aliud esse videtur, quam pus ex omento, secundum quorumdam sententiam, vel ex aliis visceribus partibusque suppuratis, vt peritonaeo, quod nuper Angli viderunt, dilapsum *a*); liquor vero ille, serum lactis referens, quo abdominis cauum interdum scatere viderunt, vel pus tenue fuit ab intestinis inflammatis expressum, vel lympha concrescibilis illinc effusa, et corrupta, vel chylus ex venis, fortasse lacteis ruptis, laceratis, exesis, aut sphacelo destructis, apertisque cum lymphatico latice stillatim emissus. Nec nouum est, materiam lacti similem saepissime professoribus obuiam fieri in abscessibus tam internis, quam externis, vbi nulla lactis suspicio, aut culpa adduci poterat *). 10) Quod attinet ad tumores varii generis, atque abscessus, qui circa vterum, eiusque ligamenta, aut intra musculos iliacos, et psoas, aut ad inguina, et femora, aut alias partes puerperis obueniunt, hos aequiori iure, vt de lochiorum retentione, aut metastasi nihil dicam, vel ex vtero grauido, tumente, et proximas quasque partes vrgente, vel ex vi, quam eaedem partes in iteratis partus nisibus passae sunt, vel ex circuitu humorum impedito, vel ex lympha tenaci, acrique in

tela

tela cellulari alicubi accumulata, et ſtagnante, vel ex materia purulenta intra vaſa genita, et vi vitae demum alicubi depoſita, cuius frequentiſſima exſtant apud ſcriptores exempla, deducendi videntur, quam ex lacte, ſiue retento, vt aiunt, ſiue repulſo.

a) Cel. CAROLVS RICHA (*Conſtit. epid. Taurin. alter. p.* 40. *aeger* 4.) hiſtoriam adducit puerperae, cui febris cum horrore tertia a partu die ſuperuenit; ex qua die demum duodecima quaſi repente interiit. In eius cadavere inuenta eſt magna puris foetidi quantitas, quae in cauum abdominis effluxerat ex abſceſſu Tubae Fallopianae dexterae. Puſne eſſet iſtud, Cl. Auctor ne dubitauit quidem. Offendit praeterea vteri caueam grumoſo ſanguine plenam, vaſa vterina diſtenta, et varicoſa, inteſtina extrinſecus nigricantia, et gangraenoſa.

*) Cl. SWIETENIVS (*in Boerhaav.* §. 75.) refert exemplum ex *Hiſt. Acad. Pariſ. an.* 1729. *p.* 17. 18. tumoris in abdomine nobilis Iuuenis inuenti, qui continebat ſeptem libras cum dimidia materiae albae, partim lacti, partim caſeo ſimilis. LIEVTAVDIVS (*Hiſt. Anat. med. T.* I. *p.* 257. *et* 258.) ex *act. Pariſienſibus* producit hiſtoriam *humoris lactei* magna copia in abdomine puellae ſeptennis inuenti cum *meſenterio ſcirrhoſo, vel materia quadam albicante, et quaſi cretacea infarcto*, itemque ex LOSSIO ſectionem pueri *aſcite* laborantis, cuius abdomen *latice quodam mere lacteo replerum* deprehendebatur. In muliere conſiſtentis aetatis (apud MORGAGNIVM *Epiſt. anat. medic.* 45. *n.* 16.) ex peripneumonia intra quinque dies mortua ſiniſtrum thoracis cauum replebatur ſero, *quod a pure admiſto albicare libentius dixiſſes, ſi vlla purè hic fuiſſent indicia.* Eodem albido humore turgebat quoque pericardium, *vt a primo non pericardium, ſed apertum magnum quendam abſceſſum videre crederes. Superficies vero omnis pericardii interior, exterior autem cordis, et auricularum, et magnorum vaſorum obducebatur materia quadam ex albo cinerea, nihil magis quam calcem, parieti modo inductam referente;* nec tamen cor, aut pericardium, ea deterſa, eroſum, aut ſuppuratum apparuit. Mulier autem haec nec puerpera erat, nec partui vlli proxima, quantum ex hiſtoria coniici poteſt. Similis materia cor obducens, obſeruata etiam a GVARINONIO, memoratur ibidem, ſed fuſius *Epiſt.* 20. *n.* 37.

Ego quoque pluries in cadaueribus tam morbis acutis, quam chronicis denatorum, et quidem virilis sexus, pericardium humore lacti simili plenum, cor vero materie quadam caseosa circumdatum, et foedatum deprehendi, qua absterta, nulla alia labes, nisi leuior inflammatio, cernebatur. Cl. PERCIVALIVS (*Essays medical and experimental on the following subiects etc. p.* 232.) narrat, bis paracentesim institutam esse in puella octenni, ascite, et anasarca laborante, et qualibet vice insignem copiam humoris lacti cum aqua remixto similis extractam esse. Tres abscessus, post variolas superatas infanti octimestri oborti sunt, vnus circa cubiti articulum, alter ad malleolum internum, et externum, tertius sub clauicula dextera, et musculo pectorali. His incisis, (LVDWIG. *Adverſ. med. pract. vol.* 2. *part.* I. *pag.* 183. *et seq.*) materia purulenta tenuis, et sanioſa cum lactis coagulo, siue grumo caseoso effluxit. Nec in solis corporis caueis, atque abscessibus materia lacti similis pluries, verum etiam in ipsomet sanguine non semel reperta est. Legitur in historia academiae scientarium Parisiensis an. 1752., sectam esse venam brachii viro recte valenti, sed valde plethorico, et multo plus humoris lacti simillimi, quam sanguinis prodisse. Idemque pluries vidit MVRYVS in iis, qui assidue equis vehuntur. Neque haec singularia, sed obuia passim reperiuntur apud obseruationum medicarum scriptores. Ex quibus omnibus, ni fallor, eluceſcit ineſſe sanguini, humoribusque nostris materiam, quae a reliquis eius partibus seiuncta, aut alicubi depolita humorem albicantem, et lacteum referre possit, aut lacti similis videri. Non a vero longe abesse putauerim, chylum ipsum hic maxima consideratione dignum esse. Saepe in sanguine paucis a pastu horis extracto chylus conspicuus est, serumque eius albidum reddit. Quid si aut copia exceſſerit, aut non intime sanguini admisceatur, aut aliqua ex causſa a sanguine secedat, et alicubi consistat? Num a Lacte id repetas? Chyli pars pinguior, et adipoſa cum lympha animali mixta, et in cellulis membranae adipoſae depoſita, HALLERO docente (*Phyſ. lib. XXV. sect.* 2. §. *VIII.*) pinguedinem, siue adipem, format. Nunquid hinc lacteos tumores, siue decubitus, vt vocant, quibus puerperae obnoxiae interdum sunt, rectius quam a lacte deduxeris? Chylus quandoque contra valuularum ductum, et reſistentiam e thoracico canali refluere, et in glandulas iliacas, lumbaleſque,

que, atque in earum vaſcula ſponte ſe diffudiſſe, eodem HALLERO obſeruante (*Phyſ. l. XXV. ſect. I. §. XII.*), viſus eſt. Multo facilius iſtud fieri poſſe coniicies, ſi aliquod acceſſerit obſtaculum, quo ille refluere, et nouas vias ſibi parare cogatur. Habes igitur probabiliorem cauſſam, cur tumores, congeſtiones, abſceſſuſque iſtos puerperarum, qui cellularem telam, qui glandulas conglobatas, tam internas, quam externas ſaepe occupant, quando humorem lacti ſimilem continent, adipoſos, aut chyloſos vocandos malim, quam lacteos.

§. CCCCLXV.

Examinantur poſtrema duo argumenta aduerſariorum.

Supereſt demum, vt duo poſtrema illa argumenta, quae ſupra quinto, et ſexto loco (§. CCCCLXI.) allata ſunt, aliquantulum excutiantur. Itaque quod de lochiis magnam partem lacteis aſſeritur, id ſane eiuſmodi eſt, vt omnino per ſe corruat, ſi quae contra vaſa lactea vteri, aut lacteum humorem ad vterum confluentem diſputauimus, memoria teneantur. Deinde animaduertere oportet, colorem albidum, quo interdum lochia *) praedita ſunt, lacteam eorum naturam non ſatis oſtendere. Albicant enim, vel quod vaſa, vnde rubens ſanguis effluebat, iam contrahi incipiunt, et ſeroſum tantummodo, lymphaticumque humorem tranſmittunt, vel quod purulenta materia decolorantur, vt ex foetore, quem tum exhalant, aperte liquet. Quod ſi porro lochia interdum non ſupprimuntur, niſi febre iam prouecta, aut ad finem tendente, mirum id quidem nequaquam eſt. Nam non omnem febrem, quae puerperas corripit, ex lochiis ſuppreſſis, aut cohibitis, et retentis oriri neceſſe eſt, cum multiplices profecto cauſſae ſuppetant, vnde ea deriuari poſſit. Mirum potius eſſe debet, fluentibus lochiis albis, id eſt, vt aduerſariis videntur, lacteis, febrem ſaepe nedum ceſſare, verum etiam illico excitari; vterum tumere, et tendi, ex retenta nimirum rubra ſanguinis parte, nec ſatis euacuata;

cuata; quod a me non semel obseruatum est: dum contra, lacteo humore exeunte, ex eorum sententia, puerperis recte natura consuleret. Quam ob rem, quando iusto citius in plethoricis, sanguineisque puerperis lochia pallere, aut albicare video, quamuis vbertim fluant, suspectus profecto mihi eorum color est, et non raro aliquid mali imminentis portendit; nisi cito, et prouide medicus opem ferat. Quod attinet porro ad lactis vberiorem secretionem; nulla me subit admiratio, si ea vt naturae ordinem, et institutum sequitur, omniumque functionum integritatem plerumque significat, sic quoque causam medicis exhibet, cur sibi gaudeant, et puerperae gratulentur: contra vero si inopia lactis, aut defectus, quoniam turbatae, atque aberrantis oeconomiae animalis indicium est, eos terrere debeat, et mala, quae imminent, praesagiat. Verum vtrumque de fluxu lochiorum dici etiam potest. Eorum copia securitatem plerumque; penuria, aut defectus periculum, metumque non leuem multo certius affert.

*) Mulieres, et non pauci ex medicis simul ac vident lochia pallida, aut albida fieri, mox dicunt, lac ad vterum conuerti, atque ex eo prodire; nulla temporis, quo id euenit, habita ratione. Sed vt plurimum pallere incipiunt, imo etiam albicare, febre lactea, vt vocant, accedente, aut lacte in mammis secerni coepto, aut mammis iam lacte turgentibus. Non ergo tunc eiusmodi decoloratio lochiorum lacti ad vterum conuerso tribui potest. Imo frequentius, et citius albicant in lactantibus, in quibus certe, cum lac ab infante nato exsugatur, ipsum deferri ad vterum, haud verisimile est. Nam si ex lacte lochiis admixto albidus iste color oriretur, albicaret profecto multo magis in non lactantibus post lactis e mammis refluxum, et non in iis, quae lac praebent; aut in iis ad summum, in quibus nulla lactis secretio in mammis apparuit; quamquam in his posterioribus dubitandum adhuc esset, num ex mixtione lactis lochia tum vere decolorarentur;

gentur; quia neque lac, vt dictum iam est, sub forma lactis in sanguine inest, nec vteri fabrica ad illud secernendum in humano genere a natura confecta est. Eget enim glandulosa mammarum structura, vt secernatur, pareturque. Non secretum, neque paratum, vbinam existere poterit, quonam ex loco manabit? At instant nonnulli, vt lac vere sanguini inesse, et cum lochiis ab vtero effundi probent, sudores puerperarum, et lochia ipsa acidum quemdam odorem spirare, qualem lac acescens emittit. Quod incertum sane, et dubium argumentum est; nam quamquam odor istiusmodi reuera sudoribus, et lochiis insideret, nec alunde, nempe ab aliqua lactis portione, quae in linteola circumposita ex mammis stillauerit, et mora acuerit, emanaret: tamen necessario non sequeretur, vt a lacte siue retento, siue resluente repetendus esset. Non enim solum lac in nobis est, quod acescat. Acescit etiam gelatinosa, vt vocant, pars sanguinis, quae ideo magnam habet cum lacte affinitatem (SENAC *del cuore T. 3. l. 3. cap. 4. p. 105. 106.*). Iura carnis diu seruata acidum saporem acquirunt, odoremque similem exhalant. Gelu inde paratum, dum corrumpitur, eidem vitio obnoxium est. Ius, et gelatina vituli sibi relicta acorem concipiunt (*Mém. de l'Acad. de chirurg. T. 1. P. 2. p. 70. ed. in 12.* SENAC *Essays de Phisiq. p. 552. Du coeur T. 2. p. 98.* LORRY *des alimens T. 1. p. 353.*). Adeps etiam, oleumque nostri corporis acescit. Cor ipsum, quia adipe circa basim saepe scatet, diutius seruatum, acidum odorem interdum spirauit (*Id. ib. T. 2. p. 111.*). Imo ex carne bubula putrescente spiritum subacidum elicuit NAVIERIVS, referente HALLERO (*Physiol. l. V. sect. 2. §. 32.*); qui etiam testatur, in humoribus iuniorum animalium manifestum acorem reperiri, in adipe adhuc euidentiorem (*ibid.*). Hinc animalia prius acescunt, quam putrescant (WALLERIVS *chem. p. 237.*). In pure acidam indolem deprehendit QVESNAEVS (*Oecon. anim. T. 1. pag. 169. 195. 247.*), quamquam id fere ab adipe repetit HALLERVS *l. c.*). Acet puerorum halitus, et sudor (PECHLIN. *observ. p. 332.*). Odor acidus percipitur in sudore febrium quarumdam malignarum (MORGAGN. *de sed. et causs. T. 2. p. 262. Journal de médecin. ann. 1763. mens. August.* FORDYC. *p. 24. 62.*); item in purpura (ROSEN. *symptom. purpur. chronic. scorbutic. p. 16. et* LVDWIG. *Patholog. p. 64. 122.*); in febre miliari (HAMILTON *de*

Prax. regul. et febr. miliar.). Acidum sudorem et quidem criticum in febre quadam anomala obseruauit GRAINGERVS (*De febr. Batav. p.* 33.) et in foemina, cui ossa emollita erant, NAVERIVS (*sur l'emoliſſem. des os p.* 62.) et in pari casu vaporem acidum ex abdomine erumpentem notauit ZELLERVS (*De ſtruct. gland. praet. nat.*). Similis ergo odor acidum spirans reperitur etiam in aliis morbis, vbi nulla lactis suspicio esse potest; cur non item in puerperis? cur non in lochiis, quae multum seri, et lymphae continent, ad corruptionem proniſſimis?

§. CCCCLXVI.

Noxae verae a lacte. Quae quidem omnia sic accipiantur velim, vt Gallorum de hac re opiniones, doctrinasque nimium, vt mihi videntur, protensas, et latius, quam par est, effusas quodammodo iustos intra limites contineant, non vero lac prorsus ab omni noxae suspicione vindicare debeant. Acescens enim mora, aut corruptum, aut alia quacunque ratione acre redditum, aut repente, et magna copia repulsum, non innocuum esse, supra (§. CCCCLXIII.) posuimus; cum sic sanguini affusum, aut ad cerebrum, pulmones, aliaque viscera translatum, aut alicubi in celluloso textu depositum, congestumque non modo febrim, verum etiam deteriora mala, quorum iam (§. CCCLXVIII.) meminimus, produ-

Anglorum de Lochiis iudicium. creare possit. Nec dum a Gallis, quantum licet, recedimus, ita mouemur auctoritate Anglorum recentium, vt cum his lochia imminuta, aut suppressa, aut quocunque modo retenta e numero caussarum, quae febrem puerperalem inuehunt, excludi penitus velimus. Namque haud audiendi mihi videntur, dum quasi ex tripode delphica decernunt, nullum discrimen esse inter humorem, qui lochiorum nomine ab vtero effunditur, et illum sanguinem, quem vasa disrupta, aut dilacerata, aut aliter saucia cuiuslibet partis euomunt; atque adeo vtrumque aeque blandum, insontemque haberi volunt.

Neque

Neque facile eiſdem *a*) fides habenda eſt, quando nihil mali ex imminuta, aut retardata, aut cohibita huiuſmodi vteri euacuatione ſe vnquam vidiſſe declarant *). Sola enim ſanguinis, licet boni copia, quae, prout contrahitur vterus, exprimi paullatim, atque effundi debet, retenta collectiones, dolores, et quandoque inflammationes, et febrem non leuem parere ſaepe **) viſa eſt. Si vero ſanguis, qui in vteri *Refutatur.* vaſis copioſior iam eſt, aut ad ea, vtero vacuo facto, vberius ferri coepit, ſubito repellatur, et repentina metaſtaſi, rapidoque motu in debiliorem, nobiliorem-que aliquam partem, puta cerebrum, aut pulmonem, impetum faciat, nonne exſpectandum continuo eſt ***) grauiſſimum aliquod malum ex iis, quae inaequalis ſanguinis diſtributio, inaequaliſque eiuſdem motus, et vis efficere conſueuerunt? Id nonne frequentiſſimum et manifeſtiſſimum eſt in haemorrhagiis reliquis, et praeſertim in catameniis ipſis, illico, et repente compreſſis? Quae non tum pectoris oppreſſiones, anxietates, ſuffocationes, quae non capitis perturbationes, cephalalgiae, vertigines, aliaeue terrificae affectiones ſubſequuntur?

a) LEAKE *in primis l. c.*

*) Prodiit anno 1768. Lugduni Batauorum Cl. GERHARDI FAVVARQ Diſſertatio abſolutiſſima *De Lochiorum metaſtaſi.* Haec recuſa inuenitur in Syllog. BALDINGERI *vol.* 2. *pag.* 278. Doctiſſimus Auctor, etſi metaſtaſim lactis prorſus non neget, multa tamen, imo omnia mala, quae alii lacti tantum referunt accepta, lochiis etiam aberrantibus ſaepiſſime tribuenda cenſet. Cum vero vtriuſque generis metaſtaſes ſummopere affines ſint, ſigna etiam tradit, quibus altera ab altera diſtingui poſſit. Turbae, inquit (§. V.), quae primis a partu diebus obſeruantur, lochiis; quae vero poſt *febrem lactariam* naſcuntur, lacti ſuam originem debent. Deinde addit, in metaſtaſi lactis mammas flaccescere, in lochiorum aberratione turgere poſſe, citatque aſſentientem cl. SWIETENIVM (*comm. in Boerhaav.* T. 4. *p.* 610. *et* 612.).

**) Similia

**) Similia timet etiam a copia boni sanguinis in vteri vasis retenti idem FAVVARQ *l. c. §. IV.*

***) Eadem quoque docet FAVVARQ *l. c. §. eod.*

§. CCCCLXVII.

Lochia quomodo nocere possint.

At interdum lochia ita a boni sanguinis indole desciscunt, vt cum eo, qui in haemorrhagiis e vasis erumpit, comparari, vt temere volunt, minime queant. Supra (§. CCCLXV.) ostensum est, aliquando ea purulenta, aut puriformia esse. Tunc certe resorpta, aut retenta innocua fore, nemo dixerit. Quandoque etiam in vteri, aut vaginae cauea resistantia, et loci calore fota, aut aëris accessu contaminata ita alterantur *), vt, ni vere putrefiant, ad putrescendum certe paratissima euadant. Hinc tetram mephitim exhalant, acidum, vel foetidum nidorem emittunt, atque acrimonia, quam acquisiuerunt, non solum partes, per quas depluunt, quodammodo inflammant, et mordent, verum linteola etiam ipsa, quibus excipiuntur, brevi exedunt, consumunatque. Istane tutò retineri, aut cum sanguine circumeunte communicari, et circumagi poterunt? Adde, ab vniuerso corporis habitu non raro ad vterum prauos, alienosque succos post partum confluere, vt prouidentissimo naturae consilio, conatuque excernantur. Si casu, aut malo fato fiat, vt expiatio eiusmodi impediatur; quis non viderit, quanta, et qualia puerperis mala impendeant?

*) Mihi omnino adstipulatur laudatus FAVVARCQVVS, dum (§. 2.) sic inquit: „Quamquam sanguinem ex vasis „in matricis cauitatem influentem, sanum esse adferam, „idem tamen de sanguine de genitalium rima exteriori „prodeunte semper adfirmare nollem. Notum enim est „et calorem, et humiditatem horum locorum, et sta„gnationem in iisdem facillimo negotio, et breuissimo „tempore corruptionem inducere; hanc igitur ob causam sanguis de genitalibus prodit omnino corruptus, „non

„non quod qua talis in vterum effundatur, sed quoniam „hanc labem in his demum locis contraxerit. Accedit, „quod particulae relictae placentae, amnii, chorii, atque „tomentosae substantiae, quae chorium cum vtero vbique „nectit, corrumpantur, corruptae cadant, et sanguinem „transeuntem varia ratione inquinent.“ Idque praesertim euenire subdit, in *regionibus calidioribus*, *vbi Judaei olim* habitarunt.

§. CCCCLXVIII.

Num vteri inflammatio quandoque caussa eius sit?

Quibus vero neque lac cum recentioribus, neque lochiorum repulsio, et metastasis cum veteribus quibusdam caussa febris puerperalis videntur; hi ad vteri potius inflammationem, quae in puerperis non infrequens est, animum conuertunt, atque hanc originem eiusmodi febribus veluti probabiliorem assignant. At HVLMIVS, et LEAKIVS vteri inflammati symptomata ita a febre puerperali aliena reputant, vt ingens inter vtrumque discrimen esse, fidentissime statuant. In demortuis praeterea ex hac febre puerperis vterum omnino naturaliter constitutum atque illaesum; omentum contra, et tenuia intestina inflammata, et gangraena affecta, itemque abdominis cauum humoribus putridis, et corruptis, nec non spiritu foetentissimo plenum repererunt. Quo factum est, vt non vteri, sed omenti, intestinorumque inflammationi hanc puerperalem febrem ambo tribuendam iudicauerint. Quamquam vero eam inflammationis esse soboiem velint, non tamen omnem putredinem primarum viarum, aut etiam ipsius sanguinis, saltem secundariam, et accessoriam ab ea excludunt. Verum quod attinet ad huiusce febris symptomata; adeo varia, et diuersa ab auctoribus referuntur, vt non facile; quae ipsius propria, quae aliena *) sint, quis definiuerit. Itaque, si descriptiones omnes persequamur, quas de hac febre puerperali tradiderunt obseruatores, quasdam certo inueniemus, in

Omenti et intestinorum inflammatio accusatur vt caussa huius febris.

quibus vteri inflammati ſymptomata non defuiſſe, fateri cogimur. Quod ſi etiam ſectiones cadauerum earum, quae ex hac febre perierunt, conſulantur, id multo euidentius apparebit, nec vllum dubium ſupererit, quin interdum nullum inter hyſteritidem, et febrem puerperalem diſcrimen extiterit. Cl. enimuero LE ROY in ea ipſa foemina ex hac febre exſtincta, in cuius abdomine notabilem ſeri quantitatem cum flocculis albis lacti coagulato ſimilibus (§. CCCCLXI.) inuenit, vterum etiam, parteſque vicinas inflammatas fuiſſe, confitetur. Binas quoque ſectiones mulierum, quas febris puerperalis rapuerat, exſtant apud POVTEAV *a*); quarum vterus interiorem membranam nigram, et mollem habebat, rubore quodam liuido, et vere gangraenoſo ſubtus exiſtente. GASTELLERIVS etiam duas mulieres febre puerperali, et quidem exanthematica abreptas ſecuit *b*), in quibus vterus luculentiſſimas inflammationis notas exhibuit. Quibus ſi addideris eas, quae paſſim exſtant in *Miſcellaneis Naturae Curioſorum c*), obſeruationes, vterum ſaepe inflammari in huiuſmodi morbo, nemo negabit. Sed pro mille aliis illa eſſe poterit, quam typis mandauit J. P. XAVERIVS FAVKEN *d*). Is enim narrat, annum 1770. puerperis fere omnibus exitioſum fuiſſe Vindobonae, ſed praecipue illis, quae in noſocomio *Diui Marci* decumbebant. His mox poſt partum vterus erat durus, et tumidus cum doloris ſenſu, lochiis ſuppreſſis, alui fluxu, aeſtu, ſiti, cute humida, capitiſque dolore. Tertio, aut quarto die vniuerſum abdomen, ſpeciatim verſus diaphragmatis regionem intumeſcebat, tendebatur, et dolebat, flaccidis interim mammis, et lacte vacuis. Die ſexto, et ſeptimo haec ita increſcebant, vt velut ſuffocatae necarentur. Sectio anatomica in earum abdomine detegebat pſeudo-membranam ex materia

quadam

quadam caſeo, et lacti ſimili conflatam, qua omnia viſcera obducebantur. Totum eius cauum ſero veluti lactis ſcatebat; neque id deerat interdum in ipſomet thorace. Non vnum viſcus, ſed aliud, atque aliud inflammatione obſeſſum reperiebatur. In non nullis vero vterus ſic affectus occurrebat, vt ſphacelo correptus videretur. Simillimam huic epidemicam conſtitutionem puerperis exitioſiſſimam, quae hieme anni 1746. graſſata eſt, ex commentariis Regiae ſcientiarum Academiae eiuſdem anni commemorat Cl. SWIETENIVS hiſce verbis; *Aquae, dum parturiebant, effluebant, et poſtea vterus ſiccus, durus, dolens tumebat, nec lochia ſolito fluebant modo. A ventris fluxu morbus incipiebat, dolor ventris ſequebatur, in primis circa locum, quem occupant ligamenta vteri lata, tenſum erat abdomen, caput dolebat, et quandoque aderat tuſſis. Tertio, vel quarto poſt partum die, mammae, quae tunc turgere ſolent, flacceſcebant, et quinto, vel ſeptimo die puerperae moriebantur. Pauperes ſolas inuadebat hic morbus, praecipue ſi in noſocomio peperiſſent. Februario menſe adeo periculoſus erat morbus, vt ex viginti vix vna euaderet. In cadaueribus inueniebatur coagulum lactis* (Gallorum ſermone hic vtitur) *externae inteſtinorum ſuperficiei adhaerens, et ſerum lacteum in cauo abdominis effuſum; ſimile ſerum in quibuſdam reperiebatur in pectoris cauo, et dum pulmones ſecabantur, eructabant ſimilem lympham lacteam, ſed putridam. Ventriculus, inteſtina, vterus, rite examinata, videbantur inflammationem paſſa fuiſſe, et grumi ſanguinis ex diſſectis canalibus vterinis exibant: in multis etiam ouariorum ſuppuratio videbatur adfuiſſe. e).* Quae omnia tam ratione ſymptomatum, quam obſeruatorum in cadauere adeo conveniunt cum deſcriptionibus HVLMII, LE ROY, et LEAKII, vt nihil ſimilius eſſe poſſit, excepta

vteri

vteri labe, quam hi nunquam in suis puerperis repererunt.

*) Cl. WHITEVS (p. 210.) vehementer et ipse miratur, vix duos auctores esse, qui eadem ratione hanc febrim descripserint. Credit tamen cuiusque descriptiones fideliter ex ipsa obseruatione desumptas fuisse, prout nimirum morbus se se eorum oculis obtulerit: quod probe animadvertas velim, ne quae deinceps dicturus sum, absurda, aut commentitia tibi videantur.

a) *Melang. de chirurg. p.* 182.

b) *De la fièvr. miliair. des femm. en couche p.* 108.

c) *Miscell. N. C. Dec.* 1. *Ann.* 2. *obsf.* 85. *Ann.* 4. *observ.* 195. *Dec.* 2. *Ann.* 4. *observ.* 94. *Dec.* 3. *ann.* 1. *obsf.* 22. *ann.* 3. *obsf.* 123. WHITEVS ipse (*l. c. p.* 206.) non negat, in hac febri vterum interdum inflammatione et gangraena tentari.

d) *Das in Wien im Jahre* 1771. *etc. vid. Comm. Lipsiens. vol. XIX. pag.* 289.

e) *Comment. in Boerhaav.* §. 1329. *pag.* 450. Cl. GEOFFROYVS anno 1778. vidit epidemicam febrem puerperalem in Nosocomio *l'Hôtel-Dieu* Parisiis, breuemque eius historiam conscripsit, quae prostat in *Vol.* 2. *Reg. Soc. medic. Opuscul. p.* 25.

§. CCCCLXIX.

Inflammatio omenti, et intestinorum an causa huius febris?

Quantum porro fidendum sit cadauerum sectionibus ab HVLMIO, et LEAKIO ad proximam harum febrium caussam detegendam institutis, ex eo facile constabit, quod ex XI. puerperis, quarum historiam conscripsit Cl. WHITEVS, nulli sanguis missus sit, et nihilo secius ferme omnes euaserint. Quod nequaquam contigisset, si quae ab illis superioribus in omento, atque intestinis inuenta inflammatio dicitur, principem reuera morbi caussam, siue continentem, vt vocant, et coniunctam praestitisset. Quo vero id magis eluceat, legenda ea sunt, quae in nouam HVLMII doctrinam doctissime animaduertit idem WHITEVS *a*), ostendens, effectum pro caussa ab eo temere acceptum fuisse. Namque enimuero eiusmodi inflammatio si primaria,

ria, et non secundaria exstitisset, nullo modo, sine promta et larga sanguinis missione, vitari, aut discuti vnquam potuisset. Sed sua quoque est WHITEO peculiaris opinio, qua a reliquis pene omnibus dissentit. Puerperas enim nec ex lacte, nec ex lochiis retentis, nec ex vlla viscerum inflammatione in puerperalem febrem incidere, sed ex eo tantum putat, quod sanguis earum putridis effluviis inficiatur. Effluuia autem haec partim ex lochiis in vagina, aut circa pudenda retentis, et facile putrescentibus, partim ex bile acri, et corrupta, aut putridis intestinorum sordibus eleuari, a venis inhalantibus, aut membranarum interstitiis reforberi, et cum reliquis humoribus communicari; eoque facilius, promtiusque sanguinem hinc computrescere, quo maior aëris, cubiculi, lecti, potusque calor est, aut largior calefacientium medicamentorum, et ciborum abusus, minusque aëris temperandi, et renouandi studium, aut minor mundum corpus seruandi diligentia *b*). Ideoque, quamquam communiter in demortuis inueniantur intestina inflammata, et glutine quodam exterius obducta, et conferruminata, sero cuidam purulento immersa, magis ad putridam, quam ad inflammatoriam naturam huiusmodi febrem accedere. Intestina vero, omentum, aliasque partes, quae in puerperarum cadaueribus corruptae reperiri solent, facilius, citiusque contaminari, quia vtero, lochiis, excrementisque propiores existunt. Quod vt credibilius reddat, non modo pluribus vtitur ipse argumentis e physica, et physiologia ductis, verum etiam confirmare illud non desinit narratione quarumdam felicium curationum, quas solo regimine refrigerante, medicamentisque acescentibus, atque antisepticis praestitit. In Anglia vtique, vbi victu animali, vinosis liquoribus et regimine calefaciente frequen-

Rationes Whitei infirmantur.

frequentius abuti fortaſſe ſolent puerperae, nec ſatis munditiei corporis ſtudioſae videntur, et plerumque anguſtioribus, parumque aëre perflatis cubiculis includuntur, in primis plebeiae, et non opulentae, ſaepe eas ex hac cauſſa febribus acutis, et putridis corripi, veriſimillimum eſt. At, quia non vbique, nec vniuerſim eiuſmodi vitae regimen obtinet, idcirco abſurdum plane eſſet credere, puerperas iſto dumtaxat febris genere peculiariter, et vbique conflictari. Vidi equidem ipſe non ſemel foeminas contraria omnino ratione viuentes, gravibus hiſce febribus obnoxias, alioque curationis genere, quam quod WHITEVS proponit, egentes, vt ſanarentur.

a) *L. c. Poſt-ſcript. p.* 377. *et ſeq.*
b) *L. c. ſect.* 3. *artic.* 2. *p.* 209. *et ſeq.*

§. CCCCLXX.

Alia aſſeruntur contra eumdem.

Praeterea etſi magnam in hiſce cauſſis, quas WHITEVS adduxit, nocendi poteſtatem inſidere vitro concedam, non ita tamen celeriter ab iis corpus affici poſſe videtur, vt primo mox die, aut altero a partu, quod ſaepe euenire cum HVLMIO, LEAKIO, aliiſque WHITEVS ipſe haud negat, febrem mali moris excitent, niſi dyſcraſia iam aliqua humores ante peccauerint, aut corpus gaſtrica ſaburra, aut bilioſa colluuie ſcateat, aut aliunde cacochymicum ſit, aut aliter male affectum. Id profecto ſuo iam tempore cognouiſſe videtur RIVERIVS medendi ſcientia, et vſu multis recentioribus, licet theoreticis diſciplinis elegantius inſtructis, et perpolitis, anteferendus. Is enim, poſt enumeratas cauſſas, ex quibus puerperis febres putridae *) ſuperueniunt, et comprehenſa in illis lochiorum ſuppreſſione, aut imminutione, ſic inquit: *Si vero rite fluentibus lochiis febris oriatur, illa vel ex bilioſo humorum*

Riverius quid ſenſerit de cauſſis huius febris.

humorum apparatu, vel ex diaetae erroribus prouenit. Praui humores ex partus laboribus, ac doloribus agitati calorem, et putredinem facile concipiunt, febremque excitant a). Quod vero attinet ad diaetae errores, quoniam et de his mentionem opportune facit, e re erit hic ipſiſſima eius verba referre: *Diaetae errores variis modis contingere poſſunt. Ac primum in victu, in quo puerperae plurimum peccare ſolent, pluribus, et copioſis ferculis ſe ſe ingurgitantes, quae ſufficienter concoqui non poſſunt, et in corpore putredinem contrahunt. Alter error committitur, dum puerperae frigido aëri* (Hoc probe notent nimii frigidi regiminis laudatores) *ſe ſe imprudenter exponunt, praecipue vrgente febre ex lacte, quae per ſudores, et diaphoreſim ſolui conſueuit. A frigore autem ambiente incaute admiſſo diaphoreſis impeditur: vnde fit, vt febris illa, quae per ſe ſalutaris erat, et paucis diebus ceſſatura, in putridam, et periculoſam mutetur.* Imo interdum febris haec in ipſo pariendi tempore, aut etiam prius vno, vel altero die puerperas inuadit, quod ex hiſtoriis Hippocratis ipſius, vt ceteros praeteream, conſtat; vnde facile deducitur neque a lacte, neque a lochiis, neque a perverſo puerperarum regimine ſemper eiuſmodi malum deriuare.

*) Putridae febres eo ſenſu hic accipiantur, quo a Galenicis acceptas ſupra tradidimus.

a) *Prax. med. lib. XV. cap.* 24. §. 6.

§. CCCCLXXI.

At praeter humorum antecedentem dyſcraſiam, *Aliae cauſſae.* et putridum, aut biliоſum in primis viis apparatum, aut ſubitam diaphoreſeos, aut lochiorum repulſionem, *aliam* vir probatiſſimus *cauſſam ſatis frequentem febris puerperarum* commemorat, portionem videlicet aliquam ſecundinarum, vtero adhaerentem, aut ſanguinis grumum, aut *aliud quid* praeter naturam

naturam post partum in vteri cauo relictum, et putrescens, *vnde lochia virescentia, male olentia* et *cadaverosa* profluere solent. Ex his quippe non modo vterus computrescit, verum totum etiam corpus putridis ichoribus, halitibusque venenatis inficitur, vt putridissimae inde febres oriantur. Duoque exempla in vtriusque causae confirmationem ex HARVEI *tractatu de partu* in medium profert perquam sibi accommodata. Nec vnus RIVERIVS talia docet. Similia, et prope eadem a WILLISIO *a*) traduntur, et probantur. Nam harum febrium causas enumerans, primo assumit *pravam sanguinis diathesin* tempore graviditatis acquisitam; secundo *malas vteri affectiones* a partu relictas. Illa nisi copioso, et continuato lochiorum fluxu tollatur, sanguinem dicit ad efferuescendum, putrescendumque ex levi occasione promtissimum reddi, imo neruorum succum, quasi veneno, pessime depravari. His vero et *lochia sisti, et totius sanguinis depurationem impediri, et foetidos* illinc ichores cum sanguine communicari, eumque *graviter infici*, quin imo *motus convulsivos circa vterum inceptos, indeque aliis partibus continuatos in sanguine et succis inordinationes concitare, quae saepe in febris aut productionem, aut exacerbationem conspirant.* Nec praeterit alias duas *occasiones in arbitrio patientium sitas, et facile cuitabiles, quae huiusmodi febrem excitare solent, malam* nimirum *victus rationem* et *frigoris susceptionem.* A victu enim plenibre, et iurulento, quo immaturius vtuntur, *statim in visceribus indigestio, et magnae molestiae, atque in sanguine ob succum nutritium debito opimiorem turgescentiae,* inquit, *febriles* oriuntur. Frigore vero suscepto, cum *intra diem vnum, aut alterum, aut citius, quam oportuit, vestibus induuntur, lectoque exsurgunt,* non solum *transpiratio cohibetur, sed non raro lochia de-*

Willisius ad Riverium accedit.

repente

repente sistuntur, aëre ad vterinas partes penetrante. Quorum vtrumuis *febrilem efferuescentiam excitare* poterit.

a) *De febrib. cap. XVI. pag. 77.*

§. CCCCLXXII.

Ex quarum opinionum varietate quisque satis intelliget, probabiliter non vnam febris puerperalis caussam, sed fortasse aliam, atque aliam constitutam esse, et proinde non vnum eiusdem genus, sed plura videri, quibus nomen istud conueniat, aut a scriptoribus inditum sit; et quamquam quae postremo loco ex RIVERIO, et WILLISIO prolata sunt, magnam veri similitudinem prae se ferant, in re tamen adeo controuersa, et disputationibus adhuc subiecta prudentis esse iudicium cohibere, nec quidquam decernere, donec ea, quae a ratione dictantur, experientia ipsa comprobauerit. Quare, vt, quaenam caussae potissimum hic locum habeant, et quaenam hinc verae morbi differentiae deducendae sint (quod plurimum scire interest), tutissime pateſcat; nihil opportunius, nihil aptius, nihil conuenientius existimo, quam aliquas febrium, quas puerperales vocant, historias examini submittere, vt, quid ex iis probabili ratiocinio ad quaestiones dirimendas elici potest, a posteriori, quod aiunt, planissimum fiat. Itaque eas primum quo- *Willisii obseruationes.*
dammodo percurram, quas WILLISIVS ipse nobis reliquit, deinde non nullas alias summatim attingam, quoad ad me spectare videbitur, quaedam consectaria, veluti sponte inde fluentia, breuiter colligens. Septem ille puerperas, febre laborantes, diligenter descripsit, quarum quatuor vi morbi extinctae sunt, binae vero seruatae. Septimam omittam, quia, cum variolas tantum passa sit, proprie ad huiusmodi disquisitionem non pertinet.

Hiſtoria 1. PRIMA earum pluribus ex cauſſis in febrem incidit; nam et difficulter enixa eſt, et SECVNDA ſtatim die carnes liberalius comedit, et TERTIA e lectulo ſurrexit per horas quatuor. Nocte inſequente male habuit, quo tempore lac ad mammas confluxit, ſed illico diſparuit ab applicito emplaſtro, cui nomen diachylon eſt. QVARTA die mane febricitabat cum cacochyliae ſignis circa ventriculum. QVINTA maior febris, et eadem circa ventriculum incommoda. Lochia imminuta, atque albicantia. *Lactis fluorem* dicunt. Caput veſperi impeti coepit. Hypochondria, et epigaſtrium tenduntur. SEXTA acceſſit linguae paralyſis. SEPTIMA pectoris oppreſſio, et ſenſuum abolitio. OCTAVA mors ex metaſtaſi, vt videtur, ad cerebrum facta. Ex breui hac morbi deſcriptione eruitur, febris multiplicem originem fuiſſe, nempe ſaburram primarum viarum, lac repente repulſum et lochia imminuta. Febris ergo primum *gaſtrica* exſtitit, quam deinde lac repulſum, et lochia retenta funeſtiorem reddi-

Hiſtoria 2. derunt. Febris ſecundo loco deſcripta cauſſam proëgumenam habuit prauum humorum apparatum ex victu inſalubri, et vita deſide praecedente*). TERTIA die tantummodo acceſſit; cui mox diarrhoea ſuperuenit. Ad hanc ſiſtendam die SEXTA adhibita fuere remedia adſtringentia, quae aluum, vterique purgamenta imprudenter, et praepoſtere cohibuerunt. Hinc febris intenditur cum magnis, et crebris pectoris oppreſſionibus, atque hyſterico gutturis veluti praefocati ſenſu. SEPTIMA graviora omnia, licet aluus iterum laxaretur, et lochia, parca tamen, redirent. Demum acceſſerunt tinnitus aurium, ſenſus quidam capitis praeter modum turgentis, ſubſultus tendinum, ſubitae totius corporis concuſſiones conuulſiuae, et NONA die mors. Metaſtaſis ad praecordia primum, deinde ad caput.

Erat

Erat febris *gaſtrico-putrida*, quam diarrhoeae, et lochiorum ſuppreſſio lethalem fecit. Tertia obſeruatio eſt febris cuiuſdam, quae ſine vllo morbido apparatu veſpere diei QVARTAE, cum in prandio *ex carne pulli plus debito* puerpera comediſſet, eam inuaſit cum vomitu, et lochiorum ceſſatione. Die QVINTA ſoluta eſt aluus, et lochia copioſe iterum fluere coeperunt, ſic vt paucos intra dies aegra perfecte conualuerit. En exemplum febris gaſtricae purae, et benignae ex intempeſtiuo carnium eſu. *Hiſtoria 3.* Quartae vero aegrotae hiſtoria eſt huiuſmodi. A die partus vſque ad ſeptimam puerpera carnibus ſemper vſa eſt, et quotidie e lecto ſurrexit; SEPTIMA autem die febri corripitur. Hinc lochia imminuta. Nocte DECIMAE delirium; lochiorum ſuppreſſio; conuulſiones. Obiit die proxima poſt alvum ſponte laxatam. *Hiſtoria 4.* Cibi copia, frigus ſuſceptum, atque hinc tranſpiratio cohibita cauſſam febri dedere; quae a principio exigua fuit cum pulſu paruo, malignarum inſtar. Lochiorum accedens ſuppreſſio exitium attulit. Num haec *gaſtrico-lochialis* vocanda eſſet? Quinta in febrim incidit ex lochiis, et diarrhoea per adſtringentia temere vſurpata cohibitis: ſed vtraque euacuatione reuocata febris breui deſiit. *Hiſtoria 5.* Fuit ergo *gaſtrico-lochialis benigna.* Verum paullo fuſius exponenda eſt ſextae aegrotantis hiſtoria. Puerpera die a partu ALTERA cum ſe in pedes ſupra lectum erexiſſet, frigus ad pudenda admiſit. Hinc lochia continuo ſubſtitere ita, vt vix aliquid ſeroſi humoris ex vtero ſtillare pergeret. TERTIA acceſſit febris, et dolor pleuriticus cum ſputo cruento. Quarta cuncta verae pleuritidis ſymptomata. Tunc ſanguinis vnciae ſex e brachio detractae cum leuamine, quod decem horas continuaſſe dicitur. At nocte recruduit dolor pleuriticus. Mane QVINTAE iterum ſanguis ad vncias *Hiſtoria 6.*

quatuor e brachio missus. Dolor imminutus, et facilior respiratio. Remediis prolectus sudor est. Dormiuit. Sed post somnum pulsus inuenitur frequentior, et languidior. Superuenere subsultus tendinum cum delirio. Die QVINTA mors, viginti quatuor horis ab iterata phlebotomia. Dubium quodammodo videtur, num pleuritis gangraena terminata mortem sola attulerit, an vero etiam metastasis ad cerebrum aliqua eidem se adiunxerit. Illud omnino certum est, morbum fuisse pleuritidem ex lochiis repressis, atque aberrantibus; et propter humoris prauitatem, aut nimium retardatam sanguinis missionem, cito in gangraenam transiisse.

*) Febrem puerperalem ex morbido humorum apparatu, tempore grauiditatis acquisito natam describit etiam RAYM. IO. FORTIS (*l. c.*) et docte, vt solet, commentatur. Narratio sic habet: „Mulier grauida trigesimum annum „agens, hepatis calidioris, gracilis habitus, et potius ca„cochymica, toto gestationis tempore fructibus, et aliis „praui succi eduliis vsa, tandem nono mense peperit „filiam; et, purgationibus secundum rationem sequutis, „nihilominus tertia die, acuta febre correpta est cum hy„pochondriorum, et capitis doloribus, vigiliis, siti mole„sta. Cum vero obstetrix existimaret febrem hanc fuisse „lactis, cum tamen septima praeterierit dies a partu, qua „febris cum horroribus inualuit, adeo vt nocte elapsa de„lirauerit mulier, post diminutam lochiorum expurgatio„nem, mutata opinione, credidit, febrem aliunde pro„venire posse. Et ideo etc.“ In epicrisi vero ait: *putrida itaque censenda est, nec ex lochiorum retentione, verum potius a morboso apparatu, ab humoribus cacochymicis, crudis, et vtroque modo biliosis, a sanguine alienis, in venoso genere corruptis etc.* Ex apparatu etiam morboso praecedente videtur in febrim incidisse illa apud Hippocratem Epicratis vxor, quae, cum instaret partus, duobus diebus ante partum rigore vehementer correpta fuit, tertio peperit filiam feliciter cum ceteris omnibus secundum rationem; secundo vero a partu die febris vehemens cum oris ventriculi dolore, et muliebrium exacerbata est etc. *Epid. I. sect.*

sect. 3. *Aegr. V.* Nec fortasse aliam originem habuit febris, quae prehendit Dromeadae coniugem secunda die, postquam filiam enixa esset, et alia omnia secundum rationem euenissent. *Epid. lib.* 1. *sect.* 3. *Aegr. XI.*

§. CCCCLXXIII.

Ab obseruationibus WILLISII transeo ad eas, quas WHITEVS enarrauit ad calcem sui opusculi. Exstant ibi quidem complures, sed ex iis nouem solum vere pertinent ad febrem puerperalem; nam prima, decima, duodecima, et reliquae sequentes circa alios morbos versantur. His igitur, vti a nostro instituto alienis, praetermissis, incipiam mox a secunda, eamque in compendium redigam, sic tamen, vt quae origini, et naturae morbi significandae valent, minime omittantur; id quod etiam in ceteris deinceps recensendis ad amussim praestabo. *Obseruatae Whitei.*

Observ. 1. *Observ. II.* Mulieri cuidam post facilem, naturalemque partum, et post adhibitum regimen nimis calidum sine vlla aëris, in quo decumbebat, renouatione, et post obortos inde assiduos sudores, superuenit diarrhoea cum torminibus ventris, et signis acidae cruditatis circa ventriculum: idque contigit die a partu QVINTA. Eadem die febris; lochia copiosa, sed admodum foetentia; et lingua alba. Febris, diarrhoea, et tormina diu protrahuntur. Foetor ingens vndique erumpit. Regimine refrigerante, aëre cubiculi saepius renouato, ipecacuanha, et demum cortice peruuiano curata est. Caussa autem fuit cacochylia primarum viarum cum putrida sanguinis dissolutione. Febris inde genita cur non dicenda erit *gastrico-colliquans*, siue *gastrico-putrida*?

Observ. 2. *Observ. III.* Cubiculum nimis occlusum, et calens. Lochia foetida. Die QVINTA dolores vehementes in imo ventre. Abdominis tumor, inflatio, tensio, aucta sensibilitas; frequens deiiciendi desiderium; tenesmus permole-

ſtus, egeſtiones paucae; pulſus creber; lingua alba; demum cibi faſtidium, vomitus, atque alui profluuium. SEXTA primum lochia ſiſtuntur. Tum etiam lac in mammis minuitur. OCTAVA lac, et lochia redeunt, et febris deſinit. Cauſſa eadem cum priore, et idem morbi genus. *Obſeruatio IV.* Frigus in partu ſuſceptum. Die SECVNDA circa veſperam febris, et tormina ventris. TERTIA horror, calor, atque alui excrementa compacta. QVINTA horror vehementior; alui fluxus cum torminibus; deiectiones acres, calidae, exurentes. SEXTA alui excretio copioſior; lochia pallent, et mammae detumeſcunt; non tamen lac omnino euanuit. SEPTIMA idem alui profluuium. Febris minor. OCTAVA deiectiones rariores, parcioreſque. Hinc lac vberius in mammis. NONA morbi finis. Patet, febrem ex perſpiratione cohibita, et parua primarum viarum biliosa colluuie ortam eſſe. Itaque *gaſtrica pura*. *Obſerv. V.* exhibet hiſtoriam febris miliaris, ſiue morbi ex miaſmate miliari cum cacochylia gaſtrica complicati, qui non puerperam, ſed vtero gerentem iuuenculam ſexto geſtationis menſe corripuit, vnde abortum paſſa eſt. *Obſerv. VI.* oſtendit, quantum poſſit regimen refrigerans, abſtinentia ab omni victu animali, et fructuum acescentium vſus. His enim adiumentis *febris biliosa ardens*, quae prope imminebat, valide propulſata eſt. *Obſeruat. VII.* PRIMA a partu die circa veſperam horror, qui POSTERA etiam die rediit. TERTIA ingens vomitus, et diarrhoea cum dolore capitis, lumborum, ilium, et ea infimae partis abdominis tenſione, vt prae dolore non pateretur ſe tangi. QVARTA acceſſit ſitis, calorque. Pulſus erat celer, lingua alba, lac paucum, lochia ſuppreſſa. SEXTA ſolo regimine refrigerante, aëris puri, et recentis acceſſu, et vitato carnium iure febris cum

Obſerv. 3.

Obſerv. 4.

Obſerv. 5.

Obſerv. 6.

omni-

omnibus symptomatibus decessit. Sic in ipso ferme ortu repressa est febris, quam gastrica et putris saburra excitauerat. *Observ. VIII.* Magna haemorrhagia vteri ob placentam retentam. Quinque post horis ea manu chirurgi extracta est: hinc haemorrhagia illico cessauit. TERTIA primum horror; calor deinde; denique sudor. SEPTIMA accessio simili eodem ordine. NONA vomitus creber; nausea; sitis; cibi fastidium; pulsus paruus, celerrimus; lingua ad latera albicans, in medio fusca, et sicca. Aegra lactabat. Abdomen ita dolebat, vt tactum non ferret. Lochia satis copiose fluebant, sed putrida, et foetentia. A partu ad hanc vsque diem ex aluo nihil prodierat. Continuus lectuli calor, et feruidi potus vsus non modo eam adstrictiorem reddiderat, verum etiam excrementa ad putrescendum expeditiora, eoque magis, quod in palustri loco, atque obsoleta domuncula foemina haec ruri degebat. Curata est emeticis, et aluum laxantibus. Nulla hic lactis metastasis accusari potuit; nam vbera infanti porrigebantur. Neque lochiorum retentio, quia fluebant satis copiose. Igitur potius faecum intestinalium copia, et putrida cacochylia. An aliquid etiam corrupti in vtero? Longior placentae in eo mora, et subsequens lochiorum foetor suspicionem non leuem mouet. Neque ab hac dissimilis est *Obseruatio IX.* in qua eadem curatio morbum deuicit. *Obseru. XI.* Ex retenta per tres dies in vtero placenta, ibique corrupta, febris putridissima cum pustulis miliaribus orta est, quae die VIGESIMA SECVNDA a partu mulierem rapuit. *Observ. 7.* *Observ. 8.* *Observ. 9.*

§. CCCCLXXIV.

Hae quidem obseruationes proposito satis esse possent, nisi febri puerperali saepe, licet per epige- *Gastellerii Observationes.*

neſim, miliaria exanthemata adiungerentur, ita vt tum febris iſta *miliaris puerperarum* appellari ſoleat. Itaque non me pigebit ſeptem alias hiſtorias, quas nuperrime GASTELLERIVS *a*) edidit, ſuperioribus adiicere, quo melius varia huiuſce morbi origo, et natura expendatur. *Obſeruatio I.* Mane quaedam mulier peperit feliciter. Veſpere terrore repentino lochia ſuppreſſa. Hinc horror totius corporis, ſuffocatio, pectoris anguſtia. Nocte garrulitas; ſermo interciſus, dolor capitis, et lumborum; reſpiratio laborioſa; oculi rubri, ſcintillantes; pulſus durus, plenus, frequens; carotidum micatus validiores; cutis ardens, et latis maculis rubris notata; ſitis inexplebilis. Quae omnia partim terrori, partim calefacientibus, et vini potui, quibus ad diſcutiendum horrorem vſa eſt, accepta referri debebant. His acceſſit delirium ferox, et paullo poſt exanthemata etiam miliaria. Repetita ſanguinis miſſio opem tulit, ſic vt die *nona*, lochiis copioſe fluentibus, et mente omnino reſtituta, tres horas extra lectum ſine languore manere potuerit. Dubitari non poteſt, quin lochiis ſuppreſſis, et ſanguini vehementius, et copioſius ad caput irruenti tribuendum fuerit id febris genus, cui fortaſſe *phrenitidis lochialis* nomen non male conueniret.

Aegra 1.

§. CCCCLXXV.

Obſerv. II. Poſt partum vndique facilem, et naturalem, lochia admodum parce fluxerunt. Hinc non ſatis bene habuit puerpera vſque ad diem XIV. *); imo ſine euidenti alia cauſſa nocte huiuſce diei correpta eſt acutiſſimis doloribus imi ventris, quos comitabantur vomitus crebri, et vehementiſſimi. Mane poſtero alta voce conqueritur, atque eiulare cogitur. Pulſus erat paruus, tardus, et valde contractus; extrema frigida; vrina ſuppreſſa;

Aegra 2.

preſſa; venter ſubtumidus, non tamen tactu indoleſcens; magna ſpirandi difficultas, et demum veſiculis miliaribus, quae iam ab aliquot diebus eruperant, totum corpus conſperſum. Nihil lactis in mammis a partu ad hanc vſque diem apparuit, nec vlla febris, quam *lacteam* dicunt, praeceſſerat. Sanguinis miſſione bis in pede inſtituta, potu diluente, ſubacido, balneo tepido totius corporis diu, et pluries adhibito, tartaro deinde emetico, quo multum purgata eſt, et demum lochiis reuocatis, et abunde fluentibus breui conualuit. *Colicam nephriticam* auctor eam vocauit. Probabilius tamen videtur, morbi cauſſam fuiſſe lochiorum parcitatem, atque aberrationem, ſaburramque inteſtinalem.

*) HIPPOCRATES *in* I. *epid. ſect.* 3. *aegrot.* IV. hiſtoriam puerperae, quae decima quarta die febri prehenſa eſt, laconice, vt ſolet, ſed accuratiſſime refert. Quam, cum ſimilitudinem habeat quamdam cum modo expoſita, non erit inutile totam tranſcribere: *In Thaſo Philini vxorem, quae filiam peperierat, quum purgatio ſecundum naturam facta eſſet, et alias leuiter degeret,* DECIMA QVARTA *a partu die febris vehemens corripuit cum rigore. Ab initio vero cor* (id eſt ſcrobiculus cordis) *dolebat, et circa praecordium dextrum; muliebrium partium dolores: purgatio ceſſauit. Vbi vero glandem ſubdidiſſet, haec quidem leuiora facta ſunt. Capitis autem, colli, et lumborum dolores permanebant. Somni non aderant. Extremitates frigidae. Siticuloſa erat; alnus combuſta, pauca egerebat. Vrinae tenues, ab initio decolores.* SEXTA DIE *ad noctem multum delirauit, et rurſus reſipiſcebat.* SEPTIMA *ſiticuloſa, ſeceſſus bilioſi, abunde colorati.* OCTAVA *ſuperriguit: febris acuta, conuulſiones multae cum dolore; multum delirabat. Glande ſubdita exſurgebat, multaque cum fluxione bilioſa prodibant. Somni non aderant.* NONA *conuulſiones.* DECIMA *parum reſipiſcebat.* VNDECIMA *dormiuit; omnium recordata eſt. Statim autem rurſus delirauit. Vrinam autem reddebat cum conuulſionibus, aceruatam; multam: illis autem parum admonentibus, craſſam albam, qualis eſt ex his, quae ſubſiderunt, vbi multo tempore ſitae, fuerint conturbatae;*

tae; non subsidebat, color, et crassitudo talis, qualis est in vrinis iumentorum. Talia mingebat, quae et ego vidi. Circa DECIMVM QVARTVM *diem palpitationes per totum corpus; sermones multi; parum respiscebat: verum statim rursus delirabat. Circa* DECIMVM SEPTIMVM *voce destituebatur.* VIGESIMA *mortua est.* Cl. MERCVRIALIS in commentario ad hanc historiam putat, purgationem statim a partu secundum naturam quidem factam fuisse, sed subsequentibus diebus iusto parciorem, sic vt non sufficerit. Ex ea itaque deficiente mulierem demum in febrim incidisse, quae caussam haberet inflammationem vteri, atque hepatis, a lochiis retentis, et aberrantibus profectam. Hemitritaeae ei nomen dedit. Verum non defuit biliosorum humorum apparatus, ex quo febris ista magnam partem deriuari posset.

§. CCCCLXXVI.

Aegra 3. *Obseruatio III.* Toto grauiditatis tempore valetudo aduersa, praua victus ratio, febricula diuturna. Post partum lochia primum copiosa, deinde parca, et lenta *). Lac vix vllum, etsi vbera ab infante sugerentur. Plerumque extra lectum puerpera exstitit, sic vt lecti, aut cubiculi calor ei certe non nocuerit. Die DECIMA a partu aëri humido, licet breui tempore, corpus exposuit. Mox nocte insequenti vehemens febris eam inuasit. Hinc lochia, quae adhuc stillabant, omnino supprimuntur. Die POSTERO omnia ingrauescunt: pulsus paruus, durus, frequens, obscurus, compressus; cutis ardens, quamuis assiduo madore perfusa; paruis vesiculis crystallinis distincta; caput in latus reuolutum; oculi squalidi; lingua arida; mammae flaccidae; respiratio anxia; subobscurum delirium; difficilis loquela; pectus oppressum; brachia huc illuc iactantur; et manus floccos conquirunt. Inter haec abdomen molle erat, et doloris expers. Pectori, et capiti egregie succurrit sanguinis e pede missio, qua pulsus etiam elatiores maioresque facti sunt. Reliquam curationem perfecit purgatio, qua

multa

multa biliosa, et putrida educta fuerunt, et sudor largus, et lochiorum fluxus, qui breui reuersus est. Sic paucos intra dies sanitatem omnibus numeris absolutam consecuta est, si lactis prouentum excipias, qui nullo modo restitui potuit. Corpus pravis humoribus iamdiu scatebat *); neque lochiorum copia, aut alui fluxu, aut sudoribus post partum satis expurgatum est. Accessit ex aëre humido, et frigido insensibilis perspirationis interceptio, qua febris illico mota est. Nec est, vt opinor, cur aliae caussae dubiae, aut incertae arguantur.

Febris a prauo humorum apparatu, et lochiis immissis.

*) Apud HIPPOCRATEM (epid. III. sect. 3. aegr. 2.) extat historia puerperae, quae tempore gestationis *febriculosa* fuit, et post partum, *cum purgatio facta non esset, acuta, horrida febre tertia die* correpta est. Caussae fere eaedem fuerunt ac in modo exposita, sed grauiores, et perniciosiores, ita vt non modo diu febribus *continuis, acutis, horridis* cum pessimis symptomatibus conflictata sit, verum etiam post varias in melius, et peius mutationes octogesima tandem die obierit.

§. CCCCLXXVII.

Observ. IV. SEXTA a partu die ita res se habebant: pulsus plenus, durus, frequens, inaequalis, lingua aspera, et sicca; cutis madida cum pustulis vbique miliaribus albis; pectus non nihil impeditum; abdomen praeter modum distentum, et summopere tactum prae dolore refugiens; vrinae paucae, et rubrae; aluus adstricta, sitis ingens; horrores, et accessiones crebrae in primis post febris lacteae inuasionem. Lochia primis diebus parca, tunc penitus deficientia. Caput tamen liberum. Lactis exigua in mammis secretio. Ex his acceptis medicus coniecit, morbum principem esse vteri inflammationem. Itaque sanguinem bis intra paucas horas ex brachio mittendum curauit, et potui serum lactis dedit. Hinc citissime abdomen detumuit,

Aegra 4.

aluus

aluus laxata eſt, bilioſis multis deiectis; lochia iterum abunde fluxerunt, et omnia ad priſtinum ſecundae valetudinis ſtatum intra tres, vel quatuor dies redierunt. Non equidem hic diſceptabo, vteruſne ſolus, an etiam inteſtina inflammationis ſuſpicione laborarent; nec vtrum aluina excrementa aliquid tam lochiis retardandis, ſiſtendiſque, quam febri inferendae contulerint, vel dumtaxat cum ea complicarentur. Sed id vnum manifeſtum exiſtimo, ex lochiis ſuppreſſis, et aluo adſtricta febrem iſtam ortam eſſe.

Febris ab aluo adſtricta, et lochiis ſuppreſſis.

§. CCCCLXXVIII.

Aegra 5. *Obſerv. V.* Lochia nimis cito imminuta. Lactea febris fuit admodum procelloſa. Nox intra tertium, et quartum a partu diem inſomnis cum ſumma anxietate, et delirio. QVARTA die mane omnia aliquantum remiſſa; veſperi vero exaſperata vehementer. Magnae tum querelae de dolore capitis lancinanti, et acutiſſimo, oculi mobiles valde, et coruſcantes; facilis ſine cauſſa riſus; lingua ſicca, et nigra; ſitis inexplebilis; pectus praefocatum; reſpiratio ſummopere impedita; mammae vacuae, et flaccidae; nullus lochiorum fluxus, venter mollis; cutis humida cum puſtulis miliaribus albis hic illic conſpicuis; pulſus valde plenus, intermittens, et creberrimus; et ſubinde mentis aberrationes. Omiſſa eſt ſanguinis miſſio, quae maxime neceſſaria videbatur. Hinc omnia in praeceps ruunt. Circa OCTAVAM diem fato ceſſit ex metaſtaſi ad cerebrum.

Phrenitis ex Lochiorum metaſtaſi.

§. CCCCLXXIX.

Aegra 6. *Obſerv. VI.* Partus labores biduum continuati, nec niſi forcipe adiutus infans in lucem prodiit. Inter pariendi conatus febris acceſſit. Sex horis a partu lochia penitus ceſſant. Tempore febris lacteae omnia ingraueſcunt. Caput dolet atrociter

cum

cum pulſu duro, frequenti, contracto; venter et lumbi vehementi dolore torquentur. Facies liuet; reſpiratio anxietatibus praecordiorum ſaepe intercipitur; calor cutis exurens eſt; abdomen tumet, tactus impatiens. Vteri moles praeter modum aucta amplius occupat ſpatium, quam cum grauidus eſſet. Laſſitudine languent membra. Nihil ex alvo egeritur. Examine inſtituto conſtitit, mulierem ab imperita obſtetrice plurimum in partu paſſam, vinoque, vt lochia promouerentur, abuſam fuiſſe. Regimine antiphlogiſtico, atque iteratis ſanguinis miſſionibus primum aegrae ſubuentum eſt, deinde ſaburra verminoſa, quae progrediente morbo ſe prodidit, opportune ſubducta, ſicque exanthemata miliaria, quae ſuperuenerant, euanuere. Princeps morbus, vt auctoris verbis vtar, vtero inſedit, qui in grauiditate, et multo magis in partu vehementer diſtentus, et vexatus fuit. Hinc in flammatio eum occupauit, ſed cum putrida tum primarum viarum, tum humorum omnium diatheſi complicata. Retenta lochia, aluus adſtricta, humorum corruptio cauſſas primarias ſuppeditarunt, quae febrim anomalam, et diuturnam, quadrageſima tantum die ex toto deſinentem *) excitauerunt.

Vteri inflammatio complicata cum cacochylia, et diatheſi putrida.

*) Digniſſimae ſunt, quae hic inferantur binae hiſtoriae mulierum ex partu laborioſo vehementiſſima, et lethifera febre correptarum, quarum altera eſt duodecima *lib. 3. epid. ſect. 2.* apud Hippocratem, altera quarta decima *eiuſd. libri ſect. 3.* En primam: *Mulierem, quae decumbebat in Mendacium foro, primum tunc enixam doloroſe maſculum, febris corripuit. Statim ab initio ſiticuloſa, anxia, cor dolebat, lingua arida, venter turbatus eſt tenuibus, paucis, non dormiuit. Secunda die parum riguit, febris acuta, parum circa caput ſudauit frigidum. Tertia laborioſe ab aluo cruda, tenuia, multa prodierunt. Quarta riguit. Omnia exacerbata ſunt. Inſomnis. Quinta laborioſe tulit, ſexta per eadem. Ab aluo vero prodierunt liquida multa. Septima riguit, febris acuta, ſitis multa, iactatio. Circa veſperam*

veſperam frigidum ſudorem per totum ſudauit, frigiditas, extremitates frigidae non amplius recaleſcebant, et rurſus ad noctem riguit. Extremae partes non recaleſcebant; non dormiuit, parum mente mota eſt, et rurſus breui reſipuit. Octaua circa meridiem recalefacta eſt; ſiticuloſa, ſoporoſa, faſtidioſa, ac nauſeabunda. Vomuit bilioſa, pauca, ſubflaua. Noctem moleſte tulit, non dormiuit. Vrinam minxit multam accruatam inſcia. Nona remiſerunt omnia, ſoporoſa. Ad veſperam parum riguit. Vomuit pauca bilioſa. Decima rigor, febris exacerbata eſt, nihil dormiuit. Mane multam vrinam ſubſidentiam habentem minxit, extremitates recalefactae ſunt. Vndecima vomuit viroſa, bilioſa. Non ita longe poſtea ſuperriguit, et rurſus extremitates frigidae. Ad veſperam ſudor, rigor. Vomuit multum, noctem laborioſe tranſegit. Duodecima vomuit multa, nigra, graueolentia; ſingultus multus, ſitis laborioſa. Decima tertia nigra, graueolentia multa vomuit, rigor. Circa meridiem voce deſtituta. Decima quarta, ſanguis per nares. Mortua eſt. Huic perpetuo aluus lubrica, horrida. Aetas circa annum decimum ſeptimum. GALENVS in hanc hiſtoriam nihil ſcitu dignum protulit; imo quid de cauſſis huiuſce pernicioſiſſimae febris, eiuſque natura, et nomine ſenſerit, ne verbum quidem fecit. Videtur tamen eam ardentibus adnumeraſſe. MERCVRIALIS vero in commentario coniecturis tantum vtitur, et valde inclinat ad ſuſpicandum, a lochiorum meraſtaſi ad ventriculum, atque inteſtina eſſe repetendam; fluxumque ventris colliquantem procreaſſe, genere autem horrificam, et *hemitritaeam Galeni* fuiſſe. Vtcunque ſit, probabile eſt non modo ex retentis, aberrantibuſque lochiis, verum etiam ex apparatu bilioſorum humorum natam eſſe, atque ad Tritaeophyas ardentes, malignas, colliquantes, putridas, in lipyriam deſinentes quamproxime acceſſiſſe. Fortaſſe vterus etiam ex laborioſo partu inflammationem paſſus eſt. Altera HIPPOCRATIS hiſtoria eſt huiuſmodi: *In Cyzico mulieri filias enixae gemellas, et quae difficulter pepercrat, et non admodum purgata fuerat, primum quidem contigit febris horrida, acuta: capitis et colli grauitas cum dolore; vigil ab initio: taciturna autem, et triſtis, et non obſequens: vrinae tenues, et decolores: ſitibunda: anxioſa multum: aluus erratico modo turbata: et rurſus conſiſtens: ſexta ad noctem multa obloquebatur, nihil dormiuit. Circa vero vndecimam exiſtens furore correpta eſt: et rurſum ad mentem rediit: vrinae nigrae,*

grae, tenues: et rursum deficientes, oleosae, et aluus multis, tenuibus, turbulentis. Decima quarta conuulsiones multae, extrema frigida; nihil amplius intelligebat, vrinae substiterunt. Decima sexta sine voce. Decima septima mortua est, phrenitis. GALENVS et MERCVRIALIS hanc historiam exponentes non solum purgamentorum defectum, vterique inflammationem ex laborioso partu, verum etiam prauorum humorum in caput metastasim causantur; vnde phrenitica mulier occubuerit. Morbum vero Phrenitidem ipse HIPPOCRATES appellauit.

§. CCCCLXXX.

Obsrv. VII. Moeror diuturnus, et praua victus ratio anteceſſit per totum geſtationis tempus. Hinc febricula duos menſes moleſta mulierem afflixit. Demum partus facilis. Lochiorum fluxus, et lactis ſecretio ſecundum naturam. Haec rite, obſeruato etiam recto vitae regimine, ad octauam vſque diem. Sed tum repente ex filii conuulſi intuitu graui animi pathemate correpta eſt. Mox lochia ſupprimuntur. Veſperi febris inceſſit cum capitis dolore, ſiti, et calore; quae quotidie mane aliquantum remittebat, veſpere vero intendebatur. Oris ſapor deprauatus, lingua lurida, moeror praegreſſus, et praua victus ratio, qua antea vſa erat, indicabant cacochyliam primarum viarum. His ſupervenere puſtulae miliares, ex prauis tum gaſtricis, tum venoſis humoribus procul dubio genitae. Curata eſt catharticis, quibus bilioſa, viſcida, putridiſſima deiecta ſunt cum cita febris, omniumque ſymptomatum ceſſatione. Fortaſſe his etiam factum eſt, vt lochiorum defectus ſuppleretur; nam lochia nullo modo reuocari vnquam potuerunt. Gaſtrica igitur ſaburra, et repentina lochiorum ſuppreſſio febrem exciuit. Hinc mixta quodammodo febris *gaſtrico-lochialis* non inepte dici poſſet. *Aegra 7.* *Febris gaſtrico lochialis.*

§. CCCCLXXXI.

§. CCCCLXXXI.

Cauſſae manifeſtae complures.

Quas ſingulas obſeruationes ſi quis ſine praeiudicata opinione conſideraverit, atque ad cauſſas manifeſtas, ex quibus puerperae tot febribus, maliſque implicari ſolent, reſpexerit, cogetur, niſi inſaniverit, confiteri, illarum praecipuas, frequentioreſque non vnas eſſe, ſed alias, atque alias, nimirum modo lochia retenta, ſuppreſſa, corrupta, aberrantia, modo placentam, aut ſecundinarum reliquias in vtero relictas, et putreſcentes, modo pravum humorum antecedentem apparatum, modo cacochyliam putridam, aut biliosam, aut cuiuſque alterius generis primis viis inſidentem, aut copiam aluinarum faecum diu retentam, modo ſanguinis alkaleſcentiam, aut putridam liquationem, ſive haec ſit a calefaciente regimine, ſive a nimio lecti, et cubiculi calore, ſive ab aëre phlogiſticato, et mephitico, ſive quocunque putri miaſmate infecto, modo partum laborioſum, vterique offenſionem, modo etiam, ſed rarius, ſubitam lactis e mammis retroceſſionem, et metaſtaſim, aut eiuſdem iam corruptionem, aut aciditatem mora, et ſtagnatione adepti in ſanguinem refluxum, aut plures ex hiſce cauſſis ſimul iunctas, et complicatas, quod frequentius eſt.

Pro cauſſarum varietate differre febres puerperales.

Pro varietate vero cauſſarum, earumque noxia poteſtate, varia etiam febrium, et morborum genera neceſſario conſequi, nimirum, vt ſupra comperimus, modo hyſteritides, enteritides, pleuritides, peripneumonias, phrenitides; modo febres *gaſtricas acutas;* modo *gaſtrico-putridas*, vel *gaſtrico-lochiales;* vel etiam *lochiales* ſimplices, modo *tritaeophyas biliosas ardentes*, aut *colliquantes*, ſive *putridas*, atque ex his omnibus alias *benignas*, et *puras*; alias *malignas*, *pernicioſas*, et *complicatas*, hemitritaeique naturam ſaepe aemulantes. Prae ceteris vero crebrius occurrere *gaſtricas*, et *lochiales* ſimplices,

ſimplices, aut ex his complicatas et coaleſcentes, vt *gaſtrico-lochiales*: et *gaſtrico-putridas*, vel *gaſtrico-inflammatorias*, nemo poterit inficiari.

§. CCCCLXXXII.

Hinc conſequitur, ſummo in errore verſari illos, qui vel lactis tantum retentionem, aut repulſionem, vel lochiorum aberrationem, vel vteri phlegmonen, vel peculiarem aliam huiuſmodi cauſſam in febri puerperali accuſandam duxerunt; rectiſſime vero iudicaſſe, qui cum RIVERIO, et WILLISIO modo vnam, modo aliam, atque adeo multiplicem eius originem ſtatuerunt. Quo fit etiam, vt non ſolum prognoſis, ſed curatio ipſa pro cauſſarum natura, aut complicatione variare plane debeat: quod a nuperioribus nequaquam ſatis animaduerſum videtur. Hi enim, prout praeconcepta opinione ſeducti ſunt, vel prout epidemicam aliquam conſtitutionem, in qua puerperae eodem ferme morbo paſſim, aut multo magis in Noſocomiis aërem miaſmatibus impurum habentibus conflictatae fuerunt, tantummodo obſeruarunt, hoc, vel illud febrium genus puerperarum proprium eſſe, ſibi perſuaſerunt, et ſuam quiſque deſcriptionem, vt naturae, et veritati magis conſentaneam, reliquis praetulerunt; vnde intelligitur, cur iure Cl. WHITEVS conqueſtus ſit, vix duos auctores inueniri, qui in febri puerperali deſcribenda conſentiant, quamquam ipſe concedat, vnumquemque eorum id fideliter ſcripſiſſe, quod ipſis in medicinae exercitio obſeruare contigerit.

Recte Riverius, et Willisius ſentiunt.

Nuperiores decepti.

§. CCCCLXXXIII.

Quae hactenus expoſita a nobis ſunt, et ſucceſſive ex aliorum obſeruationibus *a poſteriori*, quod aiunt, modeſte deducta, ſufficerent plane tum ad cauſſas, et naturam huiuſmodi febrium cognoſcen-

das, tum ad earumdem curationem opportune instituendam, sic vt superuacaneum prope esset vlterius in his aut indagandis, aut tradendis tempus impendere. At quoniam nuperi quidam scriptores, vti HVLMIVS, LEAKE, WHITEVS, aliique puerperalem febrem pro peculiari morbo, puerperarum proprio, atque ab aliis omnibus morbis, quibus eae obnoxiae esse possunt, omnino diuerso habent, non omittam, vt supra (§. CCCCLIX.) pollicitus sum, illius descriptionem tradere, cuiusmodi eam aut in Nosocomiis puerperarum, aut sparsim, sed epidemice puerperas infectantem *a*) ipsi viderunt; ne quidquam hac super re clinices studiosis optandum superfit; daboque operam, vt quae de eius cauſſis, de prognosticis signis, et de curandi ratione comperta ab illis, et praecepta sunt, in vnum contracta prae oculis cuique obuersentur.

Morbus puerperis proprius.

a) LEAKE, qui suum Tractatum anno 1772. primum, deinde ann. 1774. recusum edidit, febrem hanc in Nosocomio Londinensi WESTMINSTER, et per vrbem etiam epidemice diffusam, in primis mense Ianuario an. 1769. itemque ann. 1770. et 1771. saeuientem vidit. Plurimae rum puerperae, praesertim Maio anni 1770, perierunt. Ideo aëris noxiam constitutionem causatus est. Similem malignam constitutionem obseruarunt quoque HVLMIVS, et WHITEVS. JOHNSONIVS quoque (Art. obstetric. pag. 253.) cognouit, hanc febrem speciatim in Nosocomiis puerperarum desaeuire solitam, frequentioremque deprehendi, quia in iis aër miasmatis putridis, quae ex aegrarum corporibus manant, diffunduntur, et lectulis, stragulis, parietibusque adhaerescunt, plus minus contaminatus, infectusque esse consueuit.

Descriptio morbi ex Neotericis.

§. CCCCLXXXIV.

Febris haec quando, et quomodo inuadit.

Vespere secundae, vel tertiae a partu diei vehementer, et plerumque repente puerperae horrescunt, diuque horror iste aut rigor eas tenet. Quandoque

citius

citius id incidit, quandoque ſerius, raro tamen quinta, aut ſexta a partu die *). Horrorem comitantur capitis dolor, anxietates, nauſeae, vomitus bilioſi, et virium proſtratio *a*). Horror, WHITEO referente *b*), interdum reuertitur more febrium intermittentium, ſed erraticarum, et irregularium, donec breui in continuam febris deſinat remittentem, quotidianam, aut tertianam, ſiue ſimplicem, ſiue duplicem. In quibuſdam, eodem teſte, nullus horror praecedit febrem, ſed ea paullatim aggreditur, et gradatim inualeſcit, mox ſudoribus ſe prodens putridis, quos ſuſpectos, pernicioſoſque reddunt nauſeae, vomitus porracei, et alui fluxus. Horrori autem calor ingens **) ſuccedit. In pulſu magnam varietatem ſiue roboris, ſiue celeritatis notauit LEAKIVS. Plerumque intra minutum numerantur a 90 ad 137 micatus. Sed WHITEVS monet, ab initio pulſum parum a naturali recedere, eſſeque tantum paullo pleniorem, et velociorem; progrediente vero malo fieri celerem, et paruum, cum anxietate, et oppreſſione praecordiorum, ſuſpiriis, deiecto animo, laſſitudine, et magna debilitate ***). Die ſecunda a febris ingreſſu aegrota queritur de dolore vehementi circa epigaſtrium, qui ad coſtas ſpurias, atque vmbilicum protenditur; quin imo interdum ad ſcapulas vſque. Interea abdomen intumeſcit, et eleuatur. Si haec abdominis tenſio diarrhoeae ceſſanti, et deſiſtenti ſuperuenit, et ſimul regio epigaſtrica, et reliquae partes dolent, venterque attollitur, ſignum lethale eſt. Tunc vultus feritatem neſcio quam prae ſe fert, artus tremunt, genae rubent, labia caeruleo colore liueſcunt, pinnae narium diductae cernuntur Quo in caſu nullum ab arte iuuamen. Lochia interim rite fluere a LEAKIO dicuntur, quamquam id HVLMIVS neget, et, ſi quando ſubſiſtant, non exinde

Horror.

Nauſea, Vomitus, Diarrhoea.

Calor.

Pulſus qualis?

Dolor Epigaſtrii.

Abdomen tumidum.

Adſpectus ferox, tremor artuum, caeruleus color labiorum.

Lochia.

maligniora, ſymptomata inſurgere, nec delirium, nec ſigna hyſteritidis vlla apparere. Saepe lochia non minui, etiam WHITEVS affirmat; interdum tamen concedit, parciora eſſe, et quidquid exſtillat, valde foetere; fierique quandoque, vt omnino ſuprimantur ****). Lacte mammae in iis, quibus adſtitit, LEAKIVS, turgebant ad mortem vſque; contra, ſi WHITEO credendum eſt, in aliquibus eae flacceſcunt; lac minuitur, et ſaepe, ſi malum trahitur, omnino euaneſcit; quamquam hoc non perpetuum eſſe, palam ipſe profiteatur. Decolorari, ſin minus minui, huiuſmodi purgamenta viſa ſunt RVLMIO, aliis contra negantibus. Ab eodem celebri viro vt pathognomonica ſigna habentur vehemens epigaſtrii cruciatus, febris cum ingenti horrore ſuccedens, et frontis plerumque dolor; quae ſymptomata mox a partu aggrediantur.

Lac in mammis.

Pathognomonica ſigna.

*) Interdum ante partum, aut in ipſo partu febrim hanc incipere, interdum etiam decimaquarta tantum die acceſſiſſe, hiſtoriae ſupra expoſitae euincunt.

a) Pleraque ex LEAKII deſcriptione depromta ſcito.

b) *L. c.*

**) Horrorem excipit calor, et poſtea ſudor. WILLISIVS.

***) Quando acutiſſimus morbus eſt, ad ἀκμὴν die tertio, aut quarto peruenit. Tunc calor intenſior eſt, et *pulſus* vehemens, et citatus. WILLIS. Ingraueſcente morbo, et ad exitium tendente, fieri debilem, et inaequalem *pulſum*, idem concedit. *Vires* fere ſemper ſubito proſternuntur. *Id.*

****) Febre vniuerſo corpore expanſa, *lochia*, ſi non prius fuerint ſuppreſſa, ſupprimuntur, aut parciora fiunt. *Id.* Lochia in puerperali febre plerumque ſiſti, tradit RIVERIVS.

§. CCCCLXXXV.

Lingua qualis.

Lingua illico, vt adnotat WHITEVS, alba eſt, et humida; ſed breui cruſta contegitur mucoſa, aut exſiccatur, indureſcit, nigricat, aut etiam cruſta, qua obducebatur, in fuſcam commutatur. Similis

fuſca

fusca materies, quae putridorum halituum erumpentium effectus creditur, dentibus etiam adhaeret, eosque inquinat. Alimenta quaecunque, et quaecunque potiones vt plurimum vomitu reiiciuntur, exceptis frigidis, atque acidulatis. Alui deiectiones quandoque ita copiosae sunt, frequentes, et putridae, vt foetore totam domum inficiant, contagionemque in vniuersam familiam diffundant. Alias aegrotae torquentur assiduo, et molesto tenesmo, crebroque mingendi pruritu, quem comitantur ventris dolores, et permolestae inflationes *). Dolent interim caput, dorsum, pectus, latera, coxendices, ilia, nec abest tussis, et spiritus difficultas. Post quamlibet egestionem plerumque sibi videntur releuari; sed paullatim incipiunt excrementa, vrinaeque contra voluntatem demitti; accedunt sudores colliquatiui, singultus, conuulsiones, et tandem mors ipsa, modo citius, modo serius. Plerumque dies vndecima exitium affert, quamquam non desint exempla aliquarum, quae intra quatuor, et viginti horas vitam amiserint, aut vltra vndecimam etiam diem produxerint. Vrinae generatim faturatissimae **) perhibentur, quandoque tamen pallent, aut turbantur, cum filamentis quibusdam innatantibus. Nec rarum est, in primis vbi regimen, et medicamenta calefacientia adhibentur, aut sudoribus nimium promouendis indulgetur, peticulas erumpere ***), aut pustulas miliares albas, aut rubras, aut mixtas, quae primum circa collum, et pectus apparent, deinde per totum corpus diffeminantur, et nouae prioribus subinde succedunt, donec vires exhauriantur. Nihil enim huiusmodi eruptionibus aegrotantes leuantur, cum symptomaticae esse soleant. Reapse, addit WHITEVS, in hac febre nihil critici occurrit *a*), nisi sit diarrhoea.

Vomitus alimentorum. Foetor deiectionum.

Tenesmus, et alia symptomata circa ventrem.

Deiectiones inuoluntariae.

Quae mortem antecedant.

Vrinae.

Peticulae, et Miliaria.

Nihil critici praeter diarrhoeam.

*) Circa

*) Circa ventrem mirae *inflationes* et *tenſiones* excitantur, quae paſſionem hyſtericam aemulantur. WILLIS.

**) *Vrina* craſſa, rubra. WILLIS.

***) Maculas in non nullis purpureas, aliaque malignitatem indicantia obſeruauit quoque idem WILLISIVS.

a) WILLISIVS id ante WHITEVM docuit; nam, inquit, dum calor intenſior, ſitis moleſta, pulſus vehemens, et citatus, vigiliae pertinaces, iactatio aſſidua, atque alia grauia ſymptomata vrgent, et vrina craſſa et rubra eſt, nunquam vlla criſis accidit, ſed paullo poſt metaſtaſis ad caput fit, vnde cerebri, et neruorum functiones laeduntur, tendines ſubſiliunt, hyſteriſmi inualeſcunt, quandoque phrenitis accedit, delirium, ſtupor, aphonia etc.

§. CCCCLXXXVI.

Deſcriptio Cl. Le Roy. Ab horum (§. CCCCLXXXIII.) deſcriptione non diſſentit Cl. LE ROY, qui breuiſſime omnia complectens, multum, inquit, haec febris habet affinitatis cum aliis febribus ſymptomaticis puerperarum. Primis ſtatim a partu diebus corripit; raro ſerius quarto, aut quinto. Mammae molles, et flaccidae, ſed ſolitum volumen ſeruant. Mox plerumque ſymptomata periculoſiſſima ſe exſerunt; nec vllum tam malignum exiſtit, quod aliquando eidem non ſuperueniat. Frequentiora ſunt pulſus debilis, inaequalis, interdum durus, et vehemens, aluus liquida, lochia ſuppreſſa, abdomen tumidum reſonans, delirium, ſtupor, ſopor, tendinum ſubſultus, motus conuulſiui capitis, oculorum, manuum, quandoque etiam epileptici, paralyſes, et ſaepiſſime ſigna inflammationis in viſceribus imi ventris, aut alicuius congeſtionis in pectore. Nec deſunt exanthemata *) miliaria: quandoque, in quibuſdam praeſertim regionibus, aut tempeſtatibus, aut ſaltem ſub morbi finem, quando in mortem terminatur, erumpunt circa collum, et pectus exiguae phlyctaenae, caput aciculae aequantes, ſero limpido plenae, quae a minus attentis pro ſudoris guttulis

guttulis accipi poſſunt. Rapidiſſime ſuum curſum perſoluit morbus, tantoque celerius, quo lethalior eſt.

*) Non ideo febris iſta confundi debet cum *Nouo morbo puerperarum* a GODOFRIDO WELSCHIO accuratiſſime deſcripto, qui Lipſiae anno 1655. epidemicus fuit, puerperis exitioſiſſimus. Nam in eo exanthemata miliaria omnibus communia erant, et primarium morbum conſtituebant, diuerſum profecto ab exanthematis hiſce ſymptomaticis, aut epigenomenis, quae febri puerperali interdum ſuperueniunt, aut admiſcentur.

§. CCCCLXXXVII.

Quid ſectiones cadauerum HVLMIO, et LEAKIO oſtenderint, ſupra (§. CCCCLXVIII.) iam retuli. Cum vero ibi generatim de iis actum ſit, liceat modo eas aliquanto diffuſius exponere, vt de puerperali febre neotericorum, cuius hic peculiariter hiſtoria traditur, ſpeciatim differentem decet. Itaque HVLMIVS vterum in hac febre illaeſum inuenit, ſed inflammata inteſtina, et omentum, imo ſaepe gangraenoſa, et corrupta, atque in abdominis cauo pus, aut ichorem effuſum ex ſuppurato, et diſrupto omento. Omentum quoque LEAKIVS *Extiſpicia.* vidit vel penitus abſumtum, et corruptum, vel in pus lacti corrupto perſimile conuerſum, vel partim inflammatum, partim ſuppuratum: inteſtina extrinſecus inflammationis notas habentia: in abdominis cauo purulentam materiam ſero lactis affinem, atque aliam craſſiorem admixtam, quae lac coagulatum referebat. Fereque eadem, aut non abſimi- *Dubitatio Mezae.* lia reperit THEOPHILVS DE MEZA *a*), ſed praecipue abdominis cauum pure plenum, et variam viſcerum in eo contentorum corruptionem. Is vero addit, praeter omentum, atque inteſtina, vterum quoque inflammatione tentatum inueniri. Non audet tamen definire, vtrum inflammationes huiuſmodi,

modi, atque abſceſſus pro cauſſa febris, aut pro eius effectis haberi debeant. At audentius negat WHITEVS, vitia, quae abdominis viſcera offerunt, cauſſam harum febrium eſſe, nec dubitat, quin illa vere ſint earumdem effecta. Quod ſatis comprobatum credit ex obſeruationibus PRINGLII, CHICOYNEAVII, LINDII, et LEGATI, ex quibus elucet, in cadaueribus eorum omnium, qui *febre putrida maligna* occubuerunt, inteſtina, omentumque corrupta exſtitiſſe, quamuis certe, vt patet, eo in caſu nec inflammatio febrem efficeret, nec febris inflammatoriam diatheſim oſtentaret.

Whitei aſſertio.

a) *Compend. Medic. Faſcic.* I. *de febrib. cap. XXIV.*

§. CCCCLXXXVIII.

Cauſſa proxima, proëgumena, et procatarctica iuxta Hulmium.

Nihilo tamen minus, vt iam innui, HVLMIVS tanti facit memoratas cadauerum ſectiones, vt ſine vlla dubitatione *cauſſam proximam* febris puerperalis ponat in omenti, atque inteſtinorum inflammatione; *proëgumenam* vero in preſſione, quam hae partes ab vtero grauido, et tumente patiuntur, vnde ſanguinis circuitus in iis non modo retardetur, ſed etiam ſiſtatur; in quo cum pleriſque inflammationis naturam ſitam exiſtimat. Quaerit demum *procatarcticam*, ſiue occaſionalem eius cauſſam in iterata omenti, inteſtinorumque irritatione, et valido, reciprocoque affrictu, cui neceſſario ſubiiciuntur, dum vterus, muſculi abdominales, et diaphragma inter partus dolores, parturiendique conatus multimodis vim, actionemque ſuam exercent. Neque ab HVLMIO in eo, quod ad *cauſſam proximam* attinet, quidquam diſſentit LEAKIVS; quoniam, vt iam diximus, eadem propemodum vitia in cadaueribus puerperarum deprehendit. Verum, vt prudentiſſime praeter ea, quae ſupra (§. CCCCLXIX.) contra huiuſmodi opinionem protulimus

Obiectiones.

tulimus, animaduertit WHITEVS, ſi res ita haberet, ſequeretur etiam, vt multo frequentius tempore grauiditatis omentum, atque inteſtina huiuſmodi inflammationi obnoxia eſſent, et grauidae mulieres potius in febrim hanc inciderent, quam enixae, et poſt editum infantem, cum ſcilicet vterus vacuus, et detumeſcens non amplius memoratam preſſionem facit, liberamque ſanguinis per vicina viſcera traiectionem permittit; vel primiparae huic malo crebrius obiicerentur, quam quae pluries pepererunt; dum tamen experientia contrarium commonſtrare poſſet. Nec porro, conceſſa Hulmiana pathologia, ſatis intelligitur, cur iſtud febris genus frequentius, funeſtiuſque in noſocomiis obſtetriciis, vrbibuſque populoſioribus occurrat, quam in priuatis, peculiaribuſque domibus, aut in pagis, aut ruri; cum tamen nemo ignoret, morbos inflammatorios ſaepius, et facilius vagari inter mulieres agreſtes, et ruricolas, quae duriori vitae generi, vehementioribuſque corporis exercitationibus deditae ſunt, quam inter illas, quae in vrbibus maioribus degentes otio, et deſidia languere *a*) ſolent. Demum ſi ab inflammatione omenti, atque inteſtinorum febris iſta vere naſceretur, cur, quaeſo, ſanguinis miſſio, quae alioquin inflammationis praecipuum, et fere vnicum remedium eſt, in ea ab HVLMIO, ſi non reiicitur, aegre tantummodo admittitur? cur ab aliis non neceſſaria reputatur? cur etiam a quibuſdam, vt noxia reapſe reperta, damnatur? Cur puerperae, quibus in Noſocomio mammae exulcerabantur, obſeruante LEAKIO, multo mitiori febre laborarunt, minuſque periclitatae fuerunt, ita vt nulla earum alui profluuium perpeſſa ſit, aut vi morbi oppreſſa interierit? Cur in cadaueribus earum, quae ex hac puerperali febre mortuae ſunt, omentum aliquando illaeſum, in-

taminatumque apparuit, vt LEAKIVS ipſe, etſi id ſibi, ſuaeque ſententiae aduerſari videret, ingenue tamen, et ſincere faſſus eſt?

a) *L. c. in poſtſcript.*

§. CCCCLXXXIX.

Cauſſae remotae.

Reliqua, quae a WHITEO, aliiſue de cauſſa proxima, et vera morbi natura excogitata ſunt, cum ſupra (§. CCCCLXIX. ad CCCCLXXII.) ſatis expoſita nobis videantur, modo non repetam, ne crambe recocta ſtomachum moueam. Non reticebo tamen, vnumquemque pro ſuae opinionis ratione eas cauſſas remotas enumerare, quas ſibi magis fauere crediderit. Sic HVLMIVS nimios labores tempore geſtationis toleratos accuſat, vtpote, niſi male ego interpretor, diatheſi inflammatoriae gignendae magis idoneos. Contra WHITEVS ea cuncta recenſet, quae alkaleſcentiam, aut putridam corruptionem promouent; cuiuſmodi ſunt aër impurus, alimenta ex animali genere, potus calidus, calefacientia quaeque, aſſiduus in lecto decubitus, ſtragulorum multitudo, cubiculum anguſtum, atque occluſum, et calefactum nimis, regimen ſudoriferum, et prae ceteris liquorum vinoſorum, et rerum aromaticarum imprudens vſus, quo frigus, aut horror abigatur. His enim notum eſt, ſanguinis motum, et calorem augeri, ſudores prolici, et putredinem excitari, in qua intimam huiuſce febris naturam conſiſtere ipſe retur. Haſque cauſſas grauiores, et pernicioſiores euadere exiſtimat, ſi violenta acceſſerit placentae extractio, ſi vterus immaturis conatibus, aut praepropera in eius orificium manus introductione, aut laborioſo, et difficili partu vexatus fuerit, ſic vt inflammatione tentetur; ſi lochia accumulentur, reſtitent, et computreſcant, atque alia

huiuſ-

huiusmodi concurrerint, quae putredinem promoueant.

Prognosis.

§. CCCCXC.

Quicunque tamen sit de istis dissensus, quo in varias abeunt sententias memorati scriptores; is non eos ita diuisit, quo minus cum veteribus omnes iudicent, grauissimum, et periculosissimum hunc morbum esse. Nam recte dictum a RIVERIO, experientiaque confirmatum fatentur, prognosim eius haud differre a prognosi aliarum febrium acutarum, nisi quod puerperalis haec ob virium a partu maiorem debilitatem, et lochiorum interdum suppressionem, aliaque puerperarum incommoda multo acutior, et pernicioſior existat, maiusque vt plurimum afferat periculum, quo citius a partu mulierem *a*) corripuerit. Generatim ergo periculosissima est. Si tamen inter initia rectum diaetae regimen instituatur, lochia rite fluant, aut cito reuocentur, et apta curatio adhibita sit, aliquando in salutem *b*) finitur. Contra si febris iam processerit, atque ab initio neglecta fuerit, timendum plane exitium est, eoque certius, quo puerpera, dum toto corpore fernet, crebrius rigoribus quibusdam afficitur *c*).

Non differt a prognosi aliarum febrium.

Periculosissima quando sit.

a) HVLM. *l. c.* LE ROY *l. c.* *b*) WILLIS. *l. c.*
c) *Idem ib.*

§. CCCCXCI.

Speciatim malum exitum praedicunt dolor ventris acerbus; inflatio; spirandi difficultas; vigiliae; lingua arida, aspera, et variegata; genarum liuidus color; cruditas vrinae; vomitus virides, aut nigri; pulsus celerrimus, atque humilis, vt vix pulsationes numerari queant; deiectiones inuoluntariae; sudores viscidi, et frigidi, praecipue circa extremi-

Signa praui exitus.

extremitates *a*). WILLISIVS pernicioſis hiſce ſignis adiicit quoque inquietudines, ſubitas corporis concuſſiones, aut tendinum ſubſultus, aurium tinnitum tertia die ſuperuenientem, capitis quamdam, neſcio quam plenitudinem, de qua aegrae queruntur, praecordiorum oppreſſiones, pectoris pondus, reſpirationem impeditiorem, breuem, altam, crebram, ſuſpirioſam, orthopnoicam, anxiam, aitque, ſi peiores capitis, neruoſique generis affectus cum pulſu debili, inaequalique inſurgant, deſperatam rem eſſe. Inter infauſta, et funeſta ſigna a THEODORO DE MEZA *b*) refertur, os, denteſque in decurſu ſordeſcere, dyſphagiam pati, peticulas, et miliaria non critica prodire, animo deiici, angi, mente aberrare, et ſpaſmis conuelli.

a) HVLM. *ibid.* *b*) *L. c. cap.* 24. §. 255.

§. CCCCXCII.

Signa fauſti exitus. Bene ſperare iubent facilis in vtrumque latus converſio; commodus, et tranquillus corporis poſitus; lingua humida, mollis, rubra; ſudores vniverſales pulſui lentiori facto ſuccedentes; moderatus, et perennis lochiorum fluxus; vrina turbida cum ſedimento flaueſcente, aut leuiter rubro. Sed praecipue pulſus animaduerſionem meretur. Is, ſi ex celerrimo, qui in minuto temporis centum, et viginti octo, aut centum et triginta micatus edebat, ſenſim fiat tardior, tardior, et moderatior, optimum indicium praebet: contra, ſi pergit aeque vehemens eſſe, et frequens, et mutabilis, periculum ingens oſtendit. Imo licet alia ſymptomata videantur ceſſaſſe, ſi tamen pulſus perſiſtat valde frequens, et celer, et non remittat febris proportionate, haud fidendum ſane eſt; nam breui ingraveſcere, atque exacerbari tunc omnia ſolent *a*). Sin vero lochiorum fluxus, qui ſubſtiterat, reuertatur,

tatur, aut diarrhoea leuans accedat, interdum ſpem aliquam facit *b*). At diarrhoea vt ſalutaris et leuans ſit, pulſum debet tardiorem, rarioremque efficere: alias noxia, periculoſa, et ſymptomatica eſt *c*). Generatim quae primis diebus, ſecundo nempe, aut tertio, aut quarto prorumpit, vt advertit RIVERIVS, lethalis eſſe conſueuit; contra quae poſt ſeptimum, aut nonum lochiis deficientibus ſuccedit, plerumque vtilis. Bonum etiam eſt, ventris cruciatus imminui, abdomen detumeſcere, et molliri, ſudores aequaliter calidos vndique manare, reſpirationem liberiorem fieri, tendinum ſubſultus ſedari, atque aegram mente conſtare, et placidius morbum ſuſtinere.

a) HVLM. *l. c.* *b*) WILLIS. *l. c.* *c*) HVLMIVS *ibid.*

Curatio.

§. CCCCXCIII.

Quemadmodum de natura, et cauſſis febris puerperarum inter neotericos, vt oſtendimus, variae exſtant ſententiae; ſic non facile conuenit inter eos, qua *potiſſimum ratione curari debeat.* Non leuis in primis eſt eorum de ſanguinis miſſione altercatio. LEAKIVS, qui febrem hanc omenti, et inteſtinorum inflammationi tribuit, vt inflammatoriam tractandam eſſe docet, ſymptomata, ſi qua acceſſerint putridae naturae, a pure dumtaxat reſorpto permanare ratus. Quapropter copioſas ſanguinis miſſiones mature inſtitutas commendat tam praeſeruandi, quam curandi conſilio, habita tamen pulſuum, et aegrotantis prudenti ratione. Contra WHITEVS, cui febris putridae omnino indolis iſta videtur, a phlebotomia religioſiſſime abſtinet. Media autem via ſe continet HVLMIVS, qui nullam perpetuam legem hic ſtatui poſſe arbitratur. Nam etſi cum LEAKIO eam ab inflammatione omenti, atque

Sanguinis miſſio.

atque inteſtinorum repetat, ſanguinis tamen miſſionem non ſemper neceſſariam, aut opportunam ducit. Itaque ſymptomatum conſiderationem maxime inculcat, et pro eorum varietate vt in aliis morbis, ſic etiam in iſto deliberationem ineundam eſſe, exiſtimat. Hinc ad febris, et doloris magnitudinem, ad morbi ſtadium, ad ſanguinis fluxum, qui partum anteceſſit, aut ſubſequutus eſt, atque ad alia reſpicit huiuſmodi. Tunc autem ſanguinis miſſionem non reprobat, cum pulſus plenus, vehemens, et vibratus, aut dolores ventris, epigaſtrii, laterumue acerbiores, et lancinantes eam expoſcere videntur: ſed inter initia tantum, et parciori manu vult ſanguinem detrahi. Fortaſſe experientia eum docuit, in puerperis, quas curandas in noſocomiis, aut malignis quibuſdam conſtitutionibus ſuſcepit, non admodum ſalutarem fuiſſe phlebotomiam.

§. CCCCXCIV.

Purgatio. Pleriſque tamen ſaburra gaſtrica videtur primam indicationem exhibere; ideoque quam primum eam educi oportere, vnanimi ferme conſenſu decernunt. Inchoant igitur ab enematibus, quae molliunt, aluumque laxant. Si haec non ſatis eam euocauerint, tranſeunt ad blanda eccoprotica, ſpeciatim ad ſalem catharticum amarum, multa aqua dilutum, ad oleum ſeminum *Ricini americani fructu racemoſo hiſpido* *), ad tartarum emeticum, aut vinum antimoniale, quod ex croco antimonii, ſiue metallorum, et vino albo hiſpanico paratur. Expiatis primis viis, ſicque ſedatis abdominis doloribus, diaphoreſi promouendae animum applicant. Id autem medicamentis moliuntur, quae nequaquam calefaciant, nec aluum adſtringant. Quare omnibus aliis praeferunt exiguas, et partitas doſes ipeca-

ipecacuanhae, aut tartari emetici, aut vini antimonii **), addito tantillo opii, vt minus inteſtina ad egerendum proritent, magiſque adiuuent perſpirationem. WHITEO plurimum arridet ſpiritus Mindereri, qui egregie huic indicationi facit ſatis. Si vomitus excitetur, leniter eum promouere ſtudent potu largo et tepido ex diluto florum chamaemeli. His etiam interponere ſubinde non omittunt *mixturam ſalinam* RIVERII ***) tamquam antiphlogiſticam, et diureticam, aut, vt aliis videtur, tamquam ad bilem viſcidam incidendam, emendandamque maxime accommodatam, putredinique obſiſtentem. Sed plerique hodie mixturam hanc in *actu efferueſcentiae* propinandam volunt, vt *aëris fixi* erumpentis vis, quae antiſeptica valde eſt, non deſideretur. Valet etiam ſic propinata ad vomitum ipſum, quando pertinacius vexat, refrenandum; hinc non immerito *antiemetica* etiam appellatur. Praeterea potum commendant, qui temperet, diluat, et refrigeret *a*); ſuadentque, vt puerpera faſcias, quibus ventrem conſtringere ſolent, diligenter vitet; lac infanti praebeat; in cubiculo amplo, et temperato degat; aërem renouandum curet, ſed caute, ne frigus repente ſuſceptum noceat; munditiei quam maxime ſtudeat; frequenter reſideat, et cito, quoad fieri poteſt, e lecto ſurgat, vt lochia facilius deſcendant, nec mora putreſcant.

Mixtura ſalina Riverii.

Regimen dieteticum.

*) LEAKIVS huiuſmodi oleum adhibet in hunc modum: *Rec. olei Ricini vitello oui ſubacti vnciam vnam, Magneſiae albae drachmas duas, Mann. Calabrin. drachmas tres, aquae hyſſopi vncias octo. M. dentur omni bihorio, aut trihorio duo, vel tria cochlearia.* Loco olei Ricini nos pari, ni fallor, emolumento vti poſſumus oleo ex amygdalis dulcibus, non rancidis ſine ignis ope expreſſo, aut oleo ſeminum lini recenti, aut oliuarum optimae notae.

**) LEA-

**) LEAKIVS in eum finem vtitur sequenti formula: *Rec. Tartari emetici granum vnum cum dimidio, Magnesiae albae drachmam vnam. M. f. pulvis diuidendus in sex partes aequales; quarum vna detur quouis horae quadrante ex iulapio, quod habet aquae cinnamomi simplic., menthae, vel aquae commun. ana vncias quatuor, syrupi croci drachmas tres.* Quod si tartarus emeticus, etsi tam exigua dosi, nimis irritet, et aluum immodice soluat, *Iulapio* addit ipse *tincturae thebaicae*, siue Laudani liquidi *guttulas quinque;* simulque suadet copiosum potum, quo sudor a tartaro excitatus prouide sustineatur. Varium emeticorum vsum, qui fieri potest vtiliter in compluribus morbis, vide sis in *Dissertatione inaugurali medica de eximio Ipecacuanhae, nec non aliorum quorundam emeticorum refracta dosi exhibitorum vsu, quam in Academia Goettingensi defendit anno* 1779. CAROLVS ARNOLDVS MEYER *Hannouerianus.*

***) Mixtura salina Riverii constat sale alkalino fixo absinthii, et succo citri, aut limonum ad saturationem addito, aqua aliqua dilutis. Eidem, vt blandior, temperatiorque euadat, adiicere solet LEAKIVS sperma ceti, et gummi arabicum. Post emesin ea vtitur ad bilem crassam et viscidam, quam in cysti fellea cadauerum sectione deprehenderat, emendandam, leniterque subducendam.

a) WHITEVS laudat dilutum aliquod theiforme, aut decoctum tenue hordei, aut auenae, aut tamarindorum, aut herbarum pectoralium, aut serum lactis, aut similem aliam potionem, sed vix egelidam, aut interdum etiam frigidam.

§. CCCCXCV.

Symptomatum curatio.

Sic vniuersim medentur morbo simplici. At si symptomata, cum quibus complicatur, grauiter vrgeant, peculiarem his quoque adhibent curationem. Saepe alui fluxus, vt iam narrauimus, cum huiusmodi febre occurrit. Hunc HVLMIVS salutarem pronuntiat, non ideo sistendum. Imo si diluentibus copiose sumtis non satis abstergi, repurgarique intestina videantur, emeticis, et eccoproticis, vt supra propositum est, sordes excutere tentat; qua in re non dissentientem habet LEAKIVM, qui eadem omnino probat, vbi scilicet bilis copia exuberet, aut corruptionem subierit.

Is

Is tamen prudenter animaduertit, ab eorum vſu, quoniam ventriculi, et inteſtinorum vis irritabilis, et ſenſibilitas aucta eſt, atque excedit, haſce partes iam irritatas nimium exaſperari; turbas, et ſpaſmos augeri; euacuationeſque immodicas reddi. Quam ob rem ſi alui profluuium iuſto copioſius euadat, ipſe ſuaſor eſt, vt clyſteribus demulcentibus, et ſimul medicamentis leniter diaphoreticis reprimatur. At ſi vires huiuſmodi euacuationibus deiiciantur, non dubitat ad ea, quae opium habent, et adſtringunt, etiam confugere, vt cito aluus compreſſa conquieſcat. WHITEVS quoque, ſi inteſtina non ſatis repurgata videantur, diarrhoeamque idcirco protrahant, auctor eſt, vt ſalibus neutris diu inſiſtamus, aut his pro quauis doſi addamus ſemidrachmam puluerís radicis *colombo*. Laudat etiam exiguas rhabarbari doſes ad iuſta interualla datas. Sed ſi abſint irritationis tantum ſigna, tuto, et vtiliter, dummodo delirium deſit, ad medicamenta, quae opium habent, properare aequum eſt, praeſertim ſi cuique opiati medicamenti doſi adiiciatur pauxillum Ipecacuanhae. Vbi autem LEAKIVS de putrida timet humorum liquatione, quam, ſuppuratione in viſceribus facta, demum ceteris malis ſuperaddi ex reſorpto pure exiſtimat, mature eidem, quaecumque ſit eius cauſſa, obſiſtere nititur antiſepticis; et praecipue cortice peruuiano omnium efficaciſſimo.

§. CCCCXCVI.

Non raro peripneumoniae metus oboritur. Tunc cantharidum applicationem non nulli cum HVLMIO proponunt. At, quoniam earum vis ſuſpecta quibuſdam in puerperis videtur, *ſinapiſmos* ſubſtituere ſatius iudicat LEAKIVS. Quod ſi eo in caſu pulſus langueat, et putrida humorum diatheſis propius inſtet, cardiacorum vſum non praetermittendum

In peripneumoniae metu. *Veſicantia.* *Cardiaca.*

dum cenſet. Dolori pleuritico, aut cuicumque alii pectus occupanti ſaepe ſemidrachmam pulueris *Polygalae Virginianae*, ſiue *Senekae* ter vel quater in die datam opitulari vidit Cl. WHITEVS. Dolo-

Dolores ventris. ribus ventris a flatibus, et a ſpaſmis ortis ſuccurrunt enematibus opportunis, et mixtura quadam, cui aliquid aſſae foetidae, et opii adiectum ſit. Si vero abdominis cruciatus praeſcriptae methodo non auſcultent, fomenta, et cataplaſmata ventri admouent, imo etiam amplum ex cantharidibus

Lochia. emplaſtrum. Lochiorum ſuppreſſionem, quia febri ſuperuenire ſolet, pro eius effectu habent; et reapſe, febre ceſſante, ea iterum profluunt. Sed ſupra patuit, non raro, lochia ſuppreſſa cauſſam

Horror. etiam eſſe. Sed inter ſymptomata, quae puerperas ab initio vehementer exagitant, fere proprium huiuſce febris eſt frigus, et horror, quandoque etiam rigor, ad horas aliquot eas affligens. Huic diſcutiendo nihil opportunius poſt ſanguinis miſſionem LEAKIO videtur, quam potu calido ſaepius vti, et veſicas aqua calente ſemiplenas axillis, et plantis pedum admouere. Interdum euenit, vt vomitus, et nauſea neque emeticis, neque aliis medicamentis etiam iterato adhibitis ſedentur. Iure tunc ſuſpicari licet, bilem adhuc acrem, et corruptam in cauſſa eſſe, cur haec ſymptomata perſeuerent. Quo in caſu ter, aut quater in die ſcrupulum, aut ſemidrachmam radicis *columbo*, aut eius extracti, aut aliquot cochlearia eius diluti dari iubent, vt bilis vitioſa indoles emendetur. Verum ſi ſola irritatio vomitum producat, paregoricis nihil

Sub morbi finem quae conueniant? praeſtantius eſſe perhibent. Morbo demum ad finem tendente non modo aluum apertam ſeruandam praecipiunt, verum dandum potui dilutum florum chamaemeli cum elixirio vitrioli acido; et corticem peruuianum, vt corruptioni antiſeptica

ſua

ſua vi obnitantur; dein corpus moderate exercendum, vt viſcera paullatim firmentur.

§. CCCCXCVII.

Monet demum WHITEVS, ſigna, quae primis diebus inflammatoriam diatheſim indicant, aut alicuius alicubi inflammationis ſuſpicionem iniiciunt, non diu perdurare, et mox commutari in ea, quae veram putridam naturam oſtendunt. Quam ob cauſſam difficillime ipſe inducitur, vt ſanguinis miſſionem admittat, quemadmodum ex hiſtoriis aegrarum ſupra recenſitis apparet; in quibus nunquam ſanguinem mittendum curauit, ſed vtilius duxit regimine refrigerante, potu acidulato, atque antiſeptico, victuque vegetabili febrem, eiuſque ſymptomata paullatim coërcere. Morbus etiam ille, qui anno 1770. in Noſocomio ſancti Marci Viennae puerperis omnibus infenſiſſimus fuit (§. CCCCLXVIII.), ab initio pro inflammatorio habebatur, atque adeo ſanguinis miſſionibus, at infelici ſemper euentu, oppugnabatur. Erat autem natura putridus, nataeque ex eo inflammationes in gangraenam citiſſime deſinebant. Inflammationes vero huiuſmodi, manifeſto malignae, et putridae ſanguinis miſſionem nequaquam ferunt. Itaque morbo accuratius examinato, et recognito, ſuaſu Cl. STÖRCKII omitti coepta eſt ſanguinis miſſio, et eius loco dari camphora ad magnam doſim cum cortice peruuiano, itemque in clyſmatibus ad drachmam vnam pro qualibet iniectione cum drachmis duabus gummi arabici ſubacta, et deinde vnciis octo aquae ſoluta adhiberi. Hac methodo antiſeptica plures, quam quadraginta ſeruatae dicuntur.

Whitei monitum.

Inflammationi putridae nocet ſanguinis miſſio.

§. CCCCXCVIII.

Iam vero ſi omnia, quae de *febre puerperali Neotericorum* fideliter expoſuimus, aequa lance expendantur,

Concluſio.

dantur, si ad bilem crassam, et corruptam, quam in cysti fellea sectione demortuarum reperit LEAKIVS, si ad vomitus bilioſos, virides, porraceos, ad nauseas, ad tormina, ad ventris inflationem, ad alui fluxum, ad teneſmum, quibus puerperas hoc in morbo affligi tradunt, animus aduertatur; et simul consideremus, quibus auxiliis potissimum subleuari, et cum sanitate in gratiam redire soleant, videlicet emeticis, eccoproticis, bilem emendantibus, acescentibus, et antiputridis cuiusque generis: profecto concludendum erit, febrem hanc non nouum, nec distinctum morbi genus esse, quod seorsum pertractari debeat, sed speciem quamdam *febris gastricae acutae* habendam esse, plus minus malignam, putridam, et complicatam; eamdemque curationem expoſcere, quam reliquae gastricae febres, in primis malignae, et putridae; de quibus fusius (§. CCCLXXIII.) actum est. Rem ita se habere, nuperrimae Cl. DOVLCETI *) obseruationes, de quarum veritate nemo dubitauerit, inuictum nobis exhibent documentum.

Febris gastrica maligna est.

*) Anno 1782. proxime elapso cum febres puerperales in Nosocomio *Hôtel-Dieu* complures foeminas a partu corriperent, et cito necarent, quod ibi saepe accidit ob aërem fortasse noxiis aegrotantium halitibus contaminatum, vt in Nosocomiis crebro fieri solet, nec ratio vlla inueniretur, quae tantam morbi perniciem auerteret, Cl. DOVLCETVS vtilissimam demum iis medendi methodum excogitauit, qua omnes, vt fertur, seruatae sunt deinceps. Nempe mox in ipsa morbi inuasione dabat grana quindecim radicis Ipecacuanhae in duas doses diuisa, interuallo vnius horae cum dimidia sumendas. Repetebat remedium eadem dosi, et ratione mane postero, siue imminuta essent symptomata, siue non. Redibat ad idem medicamenti genus tertio, et etiam quarto, prout e re videbatur. Interuallis intermediis mixturam cochleatim porrigebat ex duabus vnciis olei amygdalarum dulcium, vna syrupi althaeae, et granis duobus kermes mineralis. Potui vero dabat liberaliter decoctum seminis lini,

lini, aut radicis ſcorzonerae ſyrupo althaeae edulcatum. Circa ſeptimam, vel octauam diem propinabat eccoproticum, idque iterabat deinceps, prout opus erat, ter, vel quater. *Vid. Journ. de Médéc. de Paris T. LVIII. p.* 448. Quae medendi ratio, ſi vere adeo feliciter ceſſit, vt perhibent Galli, nullibi magis conuenientior videtur, quam in febre gaſtrica acuta, ſiue hanc a ſordibus primarum viarum, ſiue ab receptis, et deglutitis miaſmatibus venenatis natam volueris. Tota enim curatio eo ſpectat, vt quidquid noxii in ventriculo, atque inteſtinis inſidet, cito, et valide eiiciatur, acre omne obuoluatur, et ſpaſmi laxentur, quod facile cuiquam patet eam conſideranti. Nec quidquam obſtant ea, quae auctor de humore lacteo retento, et in cauum abdominis effuſo ſub caſei, et ſeri forma, vt ipſe ſibi ſuadet, et de peculiari Ipecacuanhae vaſa lymphatica roborandi facultate commentatur, vt hypotheſi praeconceptae ſubſeruiat. Effuſiones enim hiſce perſimiles in abdomine etiam eorum, qui alui fluxu, aut febre flaua, aut alia maligna, et contagioſa perierunt, inuenit Cl. LINDIVS; *Mémoir. ſur le fievr. et ſur la contagion p.* 44. *et p.* 157. 158. 159. 160. *etc.* Obſeruationes autem iſtae non in foeminis, ſed in maribus habitae fuerunt. Videatur epiſtola noſtra ad Cl. Med. CVRTIVM R. Poloniae Archiatrum, quae exſtat in Vol. VIII. *degli Avviſi ſopra la ſalute umana pag.* 488.

§. CCCCXCIX.

Verum non hac vna puerperae laborant. Supra (§. CCCCLXXII. et ſeqq.) oſtenſum eſt, eas in ſe brem incidere ab vteri inflammatione, modo a lochiis ſuppreſſis, modo a lactis aberratione, et metaſtaſi, modo a bilioſo, aut prauo humorum apparatu, modo ab aëre putridis miaſmatis infecto, modo a perſpiratione cohibita, modo a retentis, corruptiſque in vtero fecundinis, modo a cacochylia gaſtrica, modo a pluribus huiuſmodi cauſſis ſimul iunctis; ac proinde varia, multipliciaque febrium genera eſſe (§. CCCCLXXXI.), quibus illae perſaepe corripiuntur. Qui ergo omnia, quae *de febre lactea puerperarum* (§. CCCLVII.) et *de febre gaſtri-* *Febris puerperalis multiplex.*

ca acuta (§. CCCLXXIII.) et *de tertiana continua*, *et cauſo* (§. CCCCXIX.) alibi tradita fuere, mente tenuerit; nouerit etiam ſigna, quibus intelligat, quando ex vna cauſſa, quando ex alia, quando vno genere febris, quando alio puerperae aegrotent, et qualis curatio ſingulis adhiberi debeat.

Curatio idea varia.

QVARTANA CONTINVA, SIVE TERTARTOPHYA.

§. D.

Tertartophya vt differat a Quartana intermittenti.

Hoc nomine illud febrium remittentium genus deſignatur, in quo acceſſiones ſimiles, et ſibi in omnibus notis reſpondentes quarto quouis die tantum fiunt, nulla intermediis diebus ſubſequente apyrexia. Differt a quartanis intermittentibus, quod ſine frigore, horrore, aut rigore exacerbatur, atque inualeſcit, et citra ſudorem ſe ſe remittit, nec vnquam peruenit ad integritatem. Rara adeo haec febris eſt, vt JOELI, medico ſeptuagenario, numquam eam videre contigerit *a*). Plerumque diuturna, et periculoſa eſſe conſueuit; imo ſaepe, vt teſtatur SAVVAGESIVS *b*), in mortem terminatur. Quandoque ex quartana intermittenti originem ducit. Ceterum ab iiſdem cauſſis videtur deriuanda, a quibus reliquae continuae remittentes gignuntur. Neque equidem dubito, quin eiſdem omnino differentiis, quibus illae, ſubiiciatur.

a) CVLLEN. *Gen. morb. ord.* 1. *Febr. ſect.* 1. *gen.* 2. *N. ad quart. contin.* 3. *vbi oper.* JOELIS *T. V.* allegatur.
b) *Noſolog. cl.* 2. *ord.* 2. *gen. VIII.*

Tertartho-

Tetartophya ſimplex Sauvageſii a).

§. DI.

Quartanam continuam *ſimplicem* vocat SAVVAGESIVS *a*) eam, quae *nullius viſceris ſpeciatim affecti ſigna praebet. Huic*, inquit, *calor obtuſus eſt, ſed acer, pulſus paruus, et tardus initio paroxyſmi, dein plenior, velocior, quam in quartana, exſpuitio frequens, temperamentum melancholicum: extenditur ad ſex ſeptimanas, niſi aeſtiua ſit. Paroxyſmi ſunt typici citra frigus, et ſudorem; curatur aperientibus, incidentibus, antiſcorbuticis, praemiſſis generalibus*; nempe ſanguinis miſſione, emeſi, aut alui ductione, prout aut plethora, aut diatheſis inflammatoria, aut gaſtrica cacochylia poſtulauerint. At in huius quoque curatione multa eorum, quae ſupra pluribus in locis pro rerum, et cauſſarum ratione commendauimus, locum habere poterunt; et praecipue, vbi de generali febrium omnium curatione egimus, aut intermittentium particularem therapeuticen perſecuti ſumus.

Deſcriptio.

Curatio.

§. DII.

Sed praeter *tetartophyam ſimplicem* non paucas alias ſpecies idem SAVVAGESIVS commemorat, quae tamen ab hoc febris genere omnino ſeiungendae erant, vti ab eodem alieniſſimae. Nam primum *tetartophya ſplenalgica a*), qua dicitur FERNELIVS occubuiſſe, non fuit *quartana continua*, vt perperam putauit, ſed acuta continua ſimpliciter, et, ni fallor, ſymptomatica, vtpote quae ſplenitidis ſuppuratae comes erat, et die decima octaua eum rapuit. A multis quidem annis FERNELIO lien intumuerat, et fortaſſe poſt quartanam intermittentem, qua iam pridem laborauerat, ſed morbus, quo tandem deceſſit, nec *intermittens*, nec *continua* quartana exſtitit, vt ex PLANTIO *in* FERNELII

Species quaedam a Sauvageſio conſtitutae reprobantur.

vita colligitur. Neque *tetartophya carotica*, quam ex WERLHOFIO quarto loco ibi *b*) recenſet, ad hoc genus febris pertinet, cum ea, cuius meminit WERLHOFIVS *c*), *intermittens*, et plerumque *tertiana* fuerit. Sub eadem ſpecie complexus etiam eſt idem SAVVAGESIVS febrem, quae in *obſeruatione trigeſima nona libri tertii* a FORESTO refertur; ſed quartana ibidem deſcripta nec carotica, nec comatoſa eſt. Neque huc referri poteſt *tetartophya maligna d*), quam ex MARCELLO DONATO *e*), et HORSTIO *f*) adducit, cum vtramque quartanam intermittentem, non continuam, fuiſſe, apud eoſdem videre eſt. Quae vero quinto loco *tetartophya ſemitertiana*, ſiue *Hemitritaeus maior* SCHENCKII *g*) ponitur, rectius ad febres complicatas, et proportionatas, quam ad quartanas continuas reuocanda eſt.

a) *Spec.* 2. *b*) *Spec.* 4. *c*) *Obſerv. de febr. p.* 17. *d*) *Spec.* 6. *e*) *L.* 3. *cap.* 14. *et l.* 7. *c.* 6. *f*) *L.* 1. *obſerv. XV.* *g*) *Spec.* 5.

Tetartophya ſoporoſa.

§. DIII.

Aequiori iure *tetartophyae* differentia haberi debet *quartana continua ſoporoſa* CAROLI PISONIS *a*), cuius deſcriptio haec eſt: *Ex quartanariis autem memini Nobilem virum Ioannem de Reins D. de Brenecourt ante tres hyemes ſibi gratulantem, quod tempus rigoris, et acerbationis moleſtiſſimum caeteroqui, et grauiſſimum ſine ſenſu tranſigeret: alto quippe ſopore* Vir *ſplendidus, eoque duodecim horarum, et amplius tenebatur, ſed indolentiam ab hac cauſa in malis rebus potius ponebam in febre, quae ad apyrexiam non perueniret; et non temere: nam quinta circiter menſe ſoporem illum cum aeterna nocte commutauit.*

mutauit. Huic paullo poſt ſubnectit aliam obſervationem haud diſſimilem *quartanae continuae comatoſae*, quam *tetartophyam hepatalgicam*, quia cum hepatis phlegmone complicabatur, nominauit SAVVAGESIVS *b*). En eius hiſtoriam: *Poſtremo mihi ſubit in memoriam pene intermortuam febris quartanae continuae longe memorabilior caeteris hiſtoria, quae in Ampliſſimo Praeſide Michaële Bouveto ad hepatis phlegmonen ad annum vertentem exporrectam acceſſit, quartumque intra menſem aegrum confecit: principium enim cuiuſque exacerbationis ſe pulſu admodum paruo, ſimulque raro, vt quandoque pluſculas horas penitus lateret, ſe ſe prodens comate ſupra modum graui, niſi quando deliriis interturbaretur, et eo vt plurimum quindecim, et amplius horas continuo vrgente fuit inſigne c*). Inter vtraſque iſtas obſeruationes binae aliae apud eumdem exſtant quartanae ſoporoſae, quas ſilentio praeterire *d*) ſatius duco, quia non ſatis liquet, intermittenteſne, an continuae eſſent, quam dubia pro certis afferre.

a) *Select. obſerv. et conſil. de praeteruiſ. hactenus etc. obſerv.* 166. *p.* 492. *b*) *L. c. ſpec.* 3. *c*) *L. c. obſerv.* 169. *d*) *Obſerv.* 167. *et* 168.

§. DIV.

Quae curatio Quartanae continuae ſimplici opportuna ſit, iam paullo ante (§. DI.) indicauimus. Iam vero aliquid dicere oportet de ea, quam peculiare aliquod ſymptoma, quocum complicata ſit, veluti ſopor, aut coma, requirere videatur. Si temperamentum, aetas, habitus, et vires ferant, primum ſanguis mittatur, deinde ſaburra primarum viarum melanagogo aliquo medicamento deturbetur, aut ſi habitu cachectico, et pituitoſo ſit aeger, hydragogo, ſed mitiori, et temperato. Poſtea ſucci herbarum recentium, vti cichorei, ta- *Curatio.*

raxaci, agrimoniae, fumariae, naſturtii aquatici, aut earum decocta, aut dilùta propinentur, interpoſitis ad interualla blandis eccoproticis, nec omiſſis veſicatoriis, cucurbitulis, ſinapiſmis, aliiſque reuulſionum generibus, de quibus pluries iam mentionem fecimus. Soporem egregie etiam diſcutiunt volatilia, vt ſpiritus cornu cerui tam ſimplex, quam ſuccinatus, tinctura caſtorei, ſpiritus ſalis ammoniaci caute adhibitus. Verum ſi his non ceſſerit malum; ſopore perſeuerante, et periodice redeunte, et diſcedente; non aliter curanda eſt, quam ſi intermitteret, cortice nimirum peruuiano, cuius vim, et efficacitatem praeſtat experiri, quam aegrotantem incerto naturae conatui dumtaxat concredere.

PARS QVARTA.

DE FEBRIBVS CONTINVIS COMPOSITIS, SIVE PROPORTIONATIS.

§. DV.

In generali febrium diuiſione de quarta quadam earum differentia (§. LXII.) mentio facta eſt, quae febres *compoſitas*, ſiue, vt alii vocant, *proportionatas*, item *complexas*, aut *complicatas* comprehenderet. Abſoluta igitur *intermittentium*, et *continuarum* omnium tam *continentium*, quam *remittentium* recenſione, locus admonet, vt de *compoſitis* aliquid dicere non obliuiſcar. *Compoſitas* autem hic voco eas febres, quae ex plurium generum diuerſorum mixtione coaleſcunt, et quodammodo componuntur. Harum vero multiplex, et varia compoſitio, ſiue complicatio eſſe poteſt, cuius praecipuas tantum differentias exponam; nam ſingulas, quae mente confingi poſſunt, perquirere non modo longum eſſet, ſed etiam ſuperuacaneum, atque inutile. Prima igitur compoſitio eſt, quando febres intermittentes inter ſe commiſcentur; veluti quando quotidiana intermittens cum tertiana, aut quartana, aut quintana, aut aliis huiuſmodi intermittentibus implicatur *); aut etiam quando plures quotidianae, aut tertianae, aut quartanae vna concurrunt, vt duplices, aut triplices, aut quadruplices fiant, quemadmodum alibi ſuo loco a nobis dictum eſt, cum de intermittentibus ex profeſſo ageretur. Altera compoſitio ſe ſiſtit, quando intermittentes

Triplex compoſitarum genus.

cuiuſ-

cuiuſuis generis complicantur cum febribus quomodocumque continuis, ſiue hae continentes fuerint, ſiue remittentes **). Tertiam demum faciunt febres continuae vniformes, ſiue continentes cum continuis remittentibus coniunctae, vti quando ephemera, aut ſynochus ſimplex, aut putris, aut aliud quoduis continentium genus ***) cum quotidiana, aut tertiana, aut quotidiana continua copulatur. Atque in his fere omnes febres, quas *compoſitas*, ſiue *proportionatas* appellamus, contineri videntur. Reliquae vero, ſi quae ab auctoribus referuntur, quoniam confictae magis, aut ſubtilius excogitatae ſunt, ab ipſa natura, atque ab vſu ipſo reiiciuntur.

*) Quando acceſſiones huiuſmodi intermittentium horis diuerſis fiunt, vt ſingulae diſtingui poſſint, *complexae*, ſiue compoſitae a GALENO dicuntur. Si vero acceſſiones diuerſarum intermittentium in eamdem horam cadunt, ſic vt vnam ferme acceſſionem efficiant, quia non facile diſcerni poſſunt, *confuſae* ab eodem vocantur. *De Febr. different. lib. 2. cap. VII.*

**) Cl. STÖRCKIVS ſaepe vidit quotidianam intermittentem, quae cum febre petechiali, et miliari complicabatur. Id in primis contigit menſe Septembri an. 1758. Quotidiana citam corticis adminiſtrationem poſtulabat, et ſic fugata intermittenti mitior euadebat, procedebatque exanthematica febris. *Ann. medic. I. menſ. Septembr.* 1758. Idem in febribus vernalibus acutis obſeruauit crebras horripilationes, quae morbum turbabant, et cortice peruviano ſedabantur. Hinc ſcripſit: *An tempore vernali diuerſae febres intermittentes febribus acutis ſaepe iunguntur, atque eas turbant? Lib. cit. menſ. Mart.* Ibidem *menſe Aprili* narrat, febres acutas die decima quarta in intermittentem quotidianam, aut tertianam deſinentes, a ſe viſas. Probabile eſt, intermittentes cum Synocho putri compoſitas tunc fuiſſe, qua abſoluta, intermittentes perſpicuae, et ſolitariae poſtea proſequerentur. Cl. MARTINVS GHISIVS, Medicus Cremonenſis, in proprio filiolo, qui ex angina vlceroſa epidemica laborabat, febrem acutam ſymptomaticam, ſiue febrem continuam anginoſam cum

cum tertiana ſubintrante, quam cortice peruuiano ſuſtulit, complicatam obſeruauit. *Lettere med. Lett.* 2. *p.* 8. *Crem.* 1759.

***) GALENVS (*De different. febr. l.* 1. *cap.* 10.) mulieris meminit, quae *hectica marasmode* cum *quotidiana putrida* coniuncta laborabat. In *comment.* ad hunc locum MONTIVS docet, poſſe hecticam permiſceri cum febre cholerica, cum phlegmatica, cum melancholica, et cum ſanguinea, ſiue Synocho, quemadmodum hae ipſae permiſceri inter ſe poſſunt, et reuera interdum permiſcentur. Ibidem GALENVS tradit ſigna, quibus dignoſcantur huiuſmodi complicationes. Nec ſolum hectica cum putridis, verum cum ephemeris ipſis complicata interdum occurrere dicitur. *Ibid. l. c. p.* 385.

SEMITERTIANA, SIVE HEMITRITAEVS.

§. DVI.

Celebre apud Scriptores, et frequens eſt, illud *compoſitarum* genus, quod Graeci *Hemitritaeum*, noſtri *Semitertianam* vocant. Hoc nomine comprehenditur febris continua, quae, etſi tertianae intermittentis, aut remittentis naturam, et morem redoleat, ab vtraque tamen differt, quod dimidiam tantum leuaminis, et remiſſionis partem prae illis experiatur. Deſcriptiones vero eius adeo variant, vt modo neceſſe ſit ſingulis adiicere auctoris nomen, quo a reliquis opportune diſtinguantur. GALENVS *a*) duas peculiares notas, ſiue proprietates vero *Hemitritaeo* aſſignat, vt nimirum febris *continua* ſit, et ſimul *horrifica*. Si careat alterutra conditione, negat, *ſemitertianam* dici poſſe. Non ergo ex eius ſententia duae intermittentes, quotidiana nempe, et tertiana vna complicatae, ſemitertianam efficient, quia *continua* ſit, oportet; neque ex duabus continuis confici, et conſtare poterit, quia tunc *horrifica* eſſe nequit. Sed iam ad varias hemitritaei ſpecies deſcribendas progrediamur.

Galeni hemitritaeus qualis?

§. DVII.

§. DVII.

Variae hemitritaei species.

Vt igitur hemitritaeus suis non careat proprietatibus, componi debet ex tertiana, et quotidiana, altera continua; intermittente altera; et praecipue ex tertiana intermittente, et quotidiana continua; aut etiam ex quotidiana intermittente, et tertiana continua, sic vt alternis, siue imparibus diebus binae fiant accessiones, vel vna eaedem concurrant, et confundantur: paribus vero vnica dumtaxat, sed sine vlla continuitatis intermissione. Prior *semitertiana* GALENI dici solet; posterior illa esse videtur, quae a RIVERIO secundo loco describitur, quaeque a TORTIO etiam in *semitertianarum* numerum co-

Celsi semitertiana.

optatur. A cl. viris SWIETENIO, atque HAENIO binae aliae species hemitritaei memorantur; quarum vna fit ex tertiana accessiones adeo protractas habente, vt nullam, aut sane exiguam relinquant integritatem. Haec *Hemitritaeus* CELSI esse dicitur. Qui CELSI auctoritatem sequuntur, ad hanc febrem referunt tam ardentem periodicam, quam tertianam duplicem ex productis accessionibus, siue circuitibus continuam factam; de quibus alibi rectius a nobis dictum est. Altera vero conflatur ex febre *continua acuta*, et *tertiana intermittenti* commixtis. Hanc admittere videtur SENNERTVS, quando non absurdum existimat eas quoque febres appellare *semitertianas*, quae sua natura sunt tertianae intermittentes, sed cum inflammatione alicuius visceris coniunctae, a qua inflammatione febris continua symptomatica excitetur, sic vt ex vtriusque mixtione quoddam *hemitritaei*, siue *semitertianae* genus exsurgat. Nec desunt, qui *semitertianam* eam quoque febrim esse dicant, quae saepius, aut pluries intra nychthemerum horrore, et frigore exacerbatur, nullum accessionum ordinem seruans: ex quo ab aliis etiam *horrifica* nuncupatur.

§. DVIII.

§. DVIII.

Quod ſpectat ad CELSI *ſemitertianam*, eiuſque affines modo memoratas; ea vel ad tertianas *extenſas*, et *ſpurias*, vel ad *ſubintrantes*, aut *ſubcontinuas* TORTII, vel ad *Tritaeophyas* referenda eſt, neque hic locum mereri videtur. Neque huc pertinet fortaſſe illa SENNERTI, quae ex continua ſymptomatica ab inflammatione alicuius viſceris, et ex intermittente coaleſcit; nam ad *comitatas pernicioſas* TORTII reuocanda plerumque eſt. Quae vero horrore pluries in die redeunte exacerbantur, rectius ad *Symptomaticas*, inflammatorias, hyſtericas, ſcorbuticas, ſuppuratorias, vlceroſaſque, vel ad *gaſtricas acutas*, putridas malignaſque ablegantur, in quibus ab acribus humoribus, aut malignis, putridiſque halitibus ſenſibiles, irritabileſque partes affectae, et vellicatae horrores illos ſpaſticos exſuſcitant. Reliquum igitur eſt, vt vere, et proprie *Hemitritaeus* ſit ea febris, quae ex tertiana intermittente cum quotidiana continua, aut ex quotidiana intermittente cum tertiana continua componitur. *Celſi hemitritaeus non eſt huius loci.*

§. DIX.

Legitimum, et verum, ſiue exquiſitum hemitritaeum vocant, in quo tertianae, et quotidianae aequalis ratio eſt; nothum, ſiue illegitimum, in quo ſymptomata tertianae, aut quotidianae manifeſtiora ſe produnt. Hinc hemitritaeus illegitimus duplex eſt, prout vel tertiana quotidianam, vel quotidiana tertianam grauitate, et magnitudine exſuperat. Si tertiana praeualeat, tota febris horridior eſt, et quandoque rigorem ſibi etiam adſciſcit. Tum quoque magis aeſtuat, et feruet, bilioſique aliquid aut vomitu, aut alui fluxu, aut ſudoribus excernit. Si quotidiana vero tertianam excedat, et ſuperet; frigus intenſius extremas afficit partes; rariores, minoreſque horrores inci- *Hemitritaeus legitimus et illegitimus.* *Illegitimus duplex.*

incidunt; pulſus non valde efferuntur; acceſſio lentius increſcit, atque ad ſtatum tardius pertingit, nec admodum magna ſiti, nec ingenti calore moleſta eſſe ſolet. Alii *legitimum hemitritaeum* dicunt eſſe acutum, et breuem; diuturnum et lentum alterum, ſiue *nothum*. Prior a SCHENCKIO *hemitritaeus maior*, poſterior *minor* appellatur. Ad hoc febris genus reuocanda eſt *Amphimerina hemitritaeus* SAVVAGESII (*ſpec.* 7.) itemque *Amphimerina pſeudohemitritaeus* eiuſdem (*ſpec.* 8.), nec non *Tetartophya ſemitertiana* SAVVAGESII (*ſpec.* 5.), vtpote febres compoſitae, et complicatae, perperam Amphemerinis, et Tetartophyis adnumeratae.

Hemitritaeus maior, et minor.

§. DX.

Si quis velit etiam cum SWIETENIO, HAENIQVE *ſemitertianae*, ſiue *hemitritaei* nomine appellare eam febrem, quae ex continua continenti acuta, vti Synocho ſimplici, aut putri, et tertiana intermittenti copulatis conſurgit, non ſane quidquam repugnauero, dummodo ille cogitet, concedatque hanc ſuam ſemitertianam a vero hemitritaeo GALENI non parum differre. Nam in vero hemitritaeo non modo continuitas febris, et horrifica natura attendenda eſt, verum etiam alternis diebus duplex acceſſio, vnica vero intermediis, requiritur. Diagnoſis ex dictis facile patet. Quod ad prognoſim attinet, omnis ſemitertiana periculoſa eſt tam ratione continuitatis, et complicationis, quam ratione ſymptomatum, aut malignitatis, aut interiorum partium inflammationis, in quam ſaepe ipſa terminatur. Curatio vero omnis petenda eſt ex iis, quae de curatione febrium intermittentium, et continuarum remittentium alibi vberrime tradita, et praecepta fuerunt.

Semitertianae Swietenii.

Diagnoſis.

Prognoſis.

Curatio.

PROPOR-

PROPORTIONATA EX SYNOCHO ET INTERMITTENTE.

§. DXI.

Non semel, cum de Quotidianis, et Tertianis continuis supra ageremus, a nobis animaduersum fuit, saepe earum non nullas, etsi a principio continuas, progressu deinde, et sensim in intermittentes commutari; idque interdum fieri, quod febris composita, siue proportionata esset, id est, ex continua, et ex intermittente iunctis coalita. Priore enim desinente, aut soluta, quid mirum, si altera suos circuitus manifestius obeat, veramque se intermittentem ostendat? Hoc in primis sae- *Quando haec frequentior?*
pissime accedit, cum febres intermittentes, vt alias docuimus, epidemice peruagantur, vel saltem morbum praedominantem, et stationarium efficiunt. Nam tum omnes fere morbi aliquid similitudinis cum intermittentibus habent, vel quaecunque etiam aliae febres sporadicae, aut intercurrentes cum intermittentibus ipsis complicantur. Sed nunquam id frequentius Clinicis occurrit, quam in vernalibus, atque aestiuis febribus, aut autumnalibus citius solito, nempe mense Iulio *a*) ingruentibus; quod pluries variis in regionibus, diuersisque temporibus egomet ipse obseruaui; nec puto quemquam ex clinicis esse posse, qui illud aliquando non obseruauerit.

a) SWIETENIVS *in Boerhaav.* §. 727.

§. DXII.

Febris autem ista iam ab initio continua est, in- *Descriptio.*
cipitque a leui frigore, aut horrore, deinde inualescit, et cum symptomatibus ferme iisdem, quibus stipatur synochus simplex, aut putris, progreditur, continentis plerumque in modum, nisi quod aut

quotidie, aut alternis diebus aliquanto ingraueſcat, vel veſperi, vel mane, et poſt aliquot horas miteſcens, ſudore aut madore exiguo oborto, ad ſolitum gradum, et tenorem, qui continentium proprius eſt, redeat. Saepe tamen primis diebus nulla huiuſmodi incrementi, aut decrementi indicia, ſatis manifeſta, aut diſtincta exhibet, nec vllo vnquam aut frigore, aut horrore exacerbatur, ſed vehemens et aſſidua tenet, donec exacto quatuor, vel ſeptem vt plurimum dierum ſpatio, vel, quod ſummum eſt, vndecim, vel quatuordecim dierum curriculo, paullatim continuitate illa vniformi deperdita, remittat primum periodice, deinde etiam deſinat in quotidianam, aut tertianam intermittentem, quae modo cum frigore aut horrore, modo prorſus ſine his ſuas acceſſiones repetat, ſtatiſque horis ſudore, aut vrina ſedimentoſa, aut alui fluxu, aut omnibus iſtis euacuationibus ſuperuenientibus ſenſim ſoluatur, et decedat.

§. DXIII.

Signa diagnoſtica, vbi frigus deeſt. Videtur ergo tum ſolum in intermittentem deſinere, cum ſynochus ſiue ſimplex, ſiue putris, cum qua complicatur, ſanguinis miſſionibus, alui expiatione, diaeta, quiete, et diluentibus diſcuſſa fuerit. Quando vero nec frigus, nec horror acceſſiones antecedit, nec eas praemonſtrat; illud ſaltem euenit, quod ingruente paroxyſmo ſitire intenſius aeger ſoleat, de grauitate, et pondere circa epigaſtrium, et pectus conqueri, anxietatibus premi, dorſi, et artuum dolore quaſi contundi, nauſea, aut vomitu corripi, irrequietus eſſe, agrypnia cruciari; procedente vero ad augmentum febre, et his ſymptomatibus aliquantum remittentibus ſuccedat atrox cephalalgia, vrens calor, faciei rubor, atque interdum delirium; quae tamen, inclinata acceſſione, vt dixi, euaneſcunt; laxatur cutis, molleſcit, ſudor erumpit,

pit, vrinae craſſae, aut croceae prodeunt, mens reſipiſcit, et quies, aut ſomnus aliquis obrepit.

§. DXIV.

Attenta horum conſideratio, nota ſynochorum, et intermittentium febrium phaenomena, conſtitutio epidemica, anni tempus, aliaque huiuſmodi pluries alibi explicata ad diagnoſim facile ducunt. Diſtinguitur a *ſubcontinua* TORTII, quod ab initio nullo modo intermiſerit, nec ab intermittente in continuam migrauerit: a *ſubintrante* vero, quod eius continuitas primis ſaltem diebus magis vniformis ſit, neque vllo frigore, aut horrore, qui in ſubintrantibus deficere non ſolet, ingraueſcat. Iiſdem propemodum de cauſſis differt etiam a vera *ſemitertiana*. Plerumque periculi expers eſt, ſi rite curetur; neglecta, aut male curata in inflammatoriam alicuius viſceris, in ardentem, in malignam, pernicioſamque degenerat. *Quomodo differat a ſubcontinuis, a ſubintrantibus et hemitritaeis.*

Curatio.

§. DXV.

Ab initio ſanguis mittatur, etiam iterato pro gradus, et ſymptomatum grauitate, atque ea omnia adminiſtrentur, quae vſui eſſe in Synocho ſimplici, et putri ſupra indicauimus. Si ſaburra biliosa, aut gaſtrica ſuis ſignis ſe prodat, haec expurganda, ſimul ac febris impetus aliquantum reſederit, medicamento eccoprotico, et refrigerante. Interdum etiam emetico locus eſſe poteſt, in primis biliosa colluuie primas vias infeſtante, aut tempeſtate anni, et regione, aut cauſſis remotis illud exigentibus. Quando iam ad intermiſſionem peruenerit; quid tum facto opus ſit, non attinet dicere, poſtquam praecipue de Intermittentium curatione tam generatim, quam ſpeciatim multis verbis pertractauerim. Summum praeſidium cuique erit pe- *S. miſſio et purgatio.*

ruuianus cortex, qui etiam, vbi febris nondum vere intermittens euaſerit, ſed continua remittens dumtaxat facta ſit, vt *ſubintrantis*, aut *communicantis*, vt vocant, aut *coalternae* ſpeciem referat, quamquam ſine frigore, aut horrore exacerbatur, certiſſime eam debellare poterit; dummodo reliquas intermittentium notas, et proprietates acquiſiuerit.

§. DXVI.

Quando non intermittit. Interdum euenit, vt febris proportionata diutius trahatur, quin ad intermiſſionem pertingat, aut acceſſionibus irregularibus, atque anomalis continuitatem ſuam inſtauret, ita vt nullum ad typum adſtringatur. Tunc regularem reddi, atque ad intermittentis manifeſtae naturam reduci poſſe, non deſperant PRINGLIVS *a*), et BVCHANIVS *b*), ni ſanguinis miſſio, aut alui purgatio id iam praeſtiterit, datis pluries in die ſalibus mediis, aut emetico dato, iteratoue. Ille hunc in finem bis in die mixturam RIVERII, quae ſalis abſinthii habeat ſcrupulum, ſucci limonum ſemunciam, et ſacchari albi drachmam, propinandam iubet, aut eius loco, quarta, vel ſexta quaque hora, haurienda cochlearia quatuor ex alia ſimili mixtura, quae eſt huiuſmodi: *Rec. Sal abſinthii drachmam vnam. Sol. in aqu. font. vnciis decem; et inſtill. ſpirit. vitriol. q. s. ad ſaturat. deind. add. aquae cinnam. ſpirituoſ. ſeſquiunciam, ſyrup. cortic. aurant. vnciam.* Ac ſi, remittente acceſſione, ſudores deficiant, aut parcius, quam opus eſt, erumpant, eos promouere annititur ſpiritus Mindereri vncia, in duas, aut tres partes tributa, et potui addita. Alter vero, videlicet BVCHANIVS, vomitum ciet quindecim, aut viginti Ipecacuanhae granis, aut tartaro emetico magna aquae vi diluto, et paruis hauſtibus praebito, donec votis reſpondeat.

Quae intermiſſionem accelerent.

a) *Malattie delle Armate P. 2. c. 4.*

b) *Médecin. Domeſtiq. T. 2. chap. XI. p. 215.*

§. DXVII.

§. DXVII.

Huiuſce generis videntur fuiſſe febres illae continuae remittentes, quas cortice peruuiano ſanabiles literis prodidit MORTONVS *a*); itemque illae malignae, et pernicioſae, quarum meminit LAPIVS, tamquam aëris, et ruris romani *b*) propriarum, atque eidem remedio obtemperantium. Neque ab his valde differentem crediderim *febrim biliosam*, ſiue *remittentem* PRINGLII, de qua doctiſſime ipſe ſcripſit *c*); ſicuti etiam illam alteram, quam *remittentem* vocauit BVCHANIVS *d*), febrem ſcilicet multiplicis naturae, et modo *regularem*, modo *irregularem*, ſaepe *biliosae*, aut *neruosae*, aut *putridae* ſpeciem referentem, et facile in *inflammatoriam*, aut *malignam* mutabilem, ſi tamen hoc titulo cl. Auctor multa, et varia febrium genera, vt ſuſpicor, in vnum non congeſſerit, ſimulque conſarcinauerit. Poſſem equidem plures alias febres huc ſpectantes ex ſcriptoribus commemorare, ſi res ipſa poſtularet, aut adducta exempla non ſufficere viderentur. At, cum neutrum ex his appareat, tempus iam eſt, vt, illis praeteritis, neglectiſque, non modo compoſitarum febrium, ſed ceterarum etiam vniuerſa tractatio hic finem faciat. Illud vnum optandum remanet, vt ſtudium, laboremque noſtrum, quo omnia iſta collegimus, excuſſimus, digeſſimus et diſpoſuimus, par quoque fructus, iſque vtinam vberrimus, conſequatur diſcipulorum. Vtcunque tamen euenerit, auſui tamen, et conſilii rationi non deerit ſua laus. De Morbis demum exanthematicis febrilibus, qui proxime veniunt, dicam in volumine ſequenti.

Quae febres huc ſpectant.

a) *De febr. exercit.* 2. *b*) *Ragionamento contro la volg. opinion. di non poter venir a Roma nella ſtate p.* 13. 45-47. *Rom.* 1749. *c*) *L. c.* *d*) *L. c.*

APPENDIX
AD FEBRES REMITTENTES, QVAE MODO QVOTIDIANAE, MODO TERTIANAE TYPVM SERVANT *).

FEBRIS COLLIQVATIVA PRIMARIA, SIVE ESSENTIALIS.

§. DXVIII.

Quid colliquatio, et febris colliquatiua?

Si quando corpus nimiis alui, vrinae, sudorisue euacuationibus extenuatur, atque emacescit, *colliquari* tunc illud dicitur, *febris* vero, si qua est, vnaque concurrit, *colliquatiua*, siue *colliquans*. Corpus autem sic colliquescit, quod sanguis, et reliqui humores nimium soluti, et propemodum corrupti sub varia euacuationum specie vndique effluunt.

Quot modis liquari corpus possit.

Id communiter a principio quodam heterogeneo, acri, fundente, alcalino, septico, siue putrefaciente, fieri creditur. Sed non semper ab eiusmodi caussa liquationis genus istud originem ducit. Interdum enim satis est, humores spontanea degeneratione sic immutari, vt naturalem crasim, cohaerendique vim amittant, rarescant, et disiecta elementorum mixtione fere corrumpantur; et solidas simul partes, in primis organa secretionibus, excretionibusque dicata laxari, diduci, et praeter naturae morem hiare, vt quidquid appellit, qua data porta, ruat.

*) §. CCCCXXXVI.

§. DXIX.

Quinam morbi huic colliquationi obnoxii?

Plerumque ad liquescendum, effluendumque omnia parata esse solent in morbis lentis, et diuturnis, potissimumque in iis, qui phthisim, tabemque subsequuntur. Interdum etiam in liquationem quam

maxime

maxime inclinant morbi acuti, praesertim maligni, ardentes, aut putridi, vt passim; plurieſque adnotauimus. Speciatim vero traditum, animaduerſumque a nobis est, liquationem istam non raro in *Febre gastrica acuta a)* deprehendi, quandoque *Tritaeophyis bilioſis*, siue *Tertianis continuis b)*, multoque frequentius *Cauſis* tam continentibus *c)*, quam periodicis *d)* ipsam accedere; idque tum cognoſci *ex superuenientibus die quarta crudis, liquidis, ſince-ris, ſpumoſis, foetidis, pinguibus, biliosisque deiectionibus nihil conferentibus, nec iudicantibus; circa vero ſeptimam vrinis copioſioribus, in quibus liquata pinguedo ſupernatat, et demum ex ſubita totius corporis macie.* Verum, quoniam haec liquationum genera morbis, aut febribus superueniunt, aut, vt rectius dicam, ab eisdem quodammodo profluunt, secundaria omnino a nobis habentur, ac proinde vti morbi symptoma, aut symptoma symptomatis consideranda videntur, nec peculiarem tractationem requirunt. *Signa liquationis.* *Liquationes ſecundariae.*

a) §. *CCCCXXXVI. b)* §. *CCCCXXI. c)* §. *CCLXII. d)* §. *CCCCXXII.*

§. DXX.

At praeter haſce colliquationes, febreſque colliquatiuas secundarias, quas modo (§. DXIX.) innui, dantur etiam primariae, siue essentiales, quae nimirum nec ab aliis morbis, nec a febre vlla degenerata proficiscuntur. Tales quippe vel ab initio se se offerunt Clinicis inter medendum, quamuis non ita facile primis saltem diebus internoscantur, et saepe a multis cum secundariis, aut congeneribus, affinibusque febribus confundi soleant. Has igitur non modo Neoterici, verum Antiquiores etiam obseruarunt, et *colliquatiuis febribus* nomen indiderunt, vt apud QVESNAEVM *a)*, IO. RAYMVNDVM FORTIS *b)*, MICHAELEM ETTMVLLERVM *c)*, aliosque *Febres colliquatiuae primariae.* *Saepe cum gaſtricis confunduntur.*

que videre est. Speciem quamdam ego quidem *febris colliquatiuae* pluries offendi, quae vere ad hoc genus *) spectat, alui fluxu speciatim comitatam, cuius causa pro gastrica, quae pariter cum alui plerumque fluxu coniungitur, facile sumi solet, eoque magis, quod ipsa quoque, vti *gastrica*, continua remittens sit, quotidianae modo, modo tertianae periodum tenens. Attamen differt a gastrica, quod manifesta cacochyliae signa non habeat; lingua non foedetur; neque os amarescat; neque vomituritio, aut vomitus aegrum ita exerceat, vt in gastrica, in qua fomes febrilis primas vias occupat, nec sanguinem subit, nisi secundario: dum contra in colliquatiua sanguini, reliquisque humoribus primario insidet, nec ad primas vias, siue intestina fertur, nisi secundario. Vtramque enim causa colliquans, et corrumpens gignit, vt videtur, sed diuerso in loco sita, diuersoque modo agens.

Qua ratione differat.

a) *Febris colliquatiua putrefaciens* QVESNAEI, *Des Fievr. T. 2. p.* 391.

b) *Febris colliquatiua* JO. RAYM. FORTIS, *de febrib. et* ETTMVLLERI, *oper. T. 2, P. I. p.* 337. *Febris Tropica* VETERVM, *Quesnaeus l. c.*

*) In prima huius Libri editione sciens, volensque omisi de Febre colliquatiua hac verba facere, quamquam in academicis praelectionibus eam explicare consueuissem. Timui enim, ne quis rem superuacuam putaret, postquam de colliquatione humorum, et de febribus colliquatiuis pluribus in locis quodammodo iam actum esset, nec praetermissum, vbi de gastrica febre sermonem habui, non omnem alui fluxum, qui eam persaepe comitatur, a gastrica colluuie, sed interdum ab humorum prauorum e toro habitu ad intestina confluxu (§. CCCLXXIV.) pendere. Sed, re melius perpensa, satius consultiusque duxi in hac altera editione peculiare de ea caput adiicere, vt quidquid attentior morborum obseruatio in medici commodum, eruditionemque protulit, a nemine desideretur.

§. DXXI.

§. DXXI.

Insuper non solum discrepant gastrica, et colliquatiua inter se morbidi fomitis sede, verum etiam effectibus, et curationis modo. Nam etsi in ambabus liquidae deiectiones non absint, nec supprimi sine nocumento queant; hoc tamen interest discrimen, quod gastrica alui ductionem et postulat, et bene sustinet, atque inde mitescit, minuitur, et breui iudicatur; in colliquatiua vero aluum ducentia, nisi quam leniſſima fuerint, et cautissime adhibita, plurimum nocent, morbum nec minuunt, nec breuiorem reddunt, imo vires, et corpus inducto immodico, profusoque fluxu exhauriunt. In illa quippe sordes, quae in intestinis stagnantes, ac putrescentes morbum faciunt, vtiliter, et tuto purgatione egeruntur, sicque febris, subtracto fomite, minuatur necesse est: in hac contra quidquid sanguinis, reliquorumque humorum corrumpitur, et colliquatur, paullatim quidem magna ex parte in aluum descendit, debetque vtique, vt noxium, et vitiatum expelli; sed non ideo causſa colliquans et corrumpens, quae in venis est, febremque efficit, quidquam decrescit, aut emendatur; nec quidquam de eius grauitate, et duratione demitur; nisi postquam colliquatio finem attigerit; id quod sensim, et longo tantum spatio natura assequitur. Quod si in hac summa ad colliquescendum, putrescendumque humorum procliuitate purgantia improuide, inconsultoque dentur, ita dissolutionem augent, humoresque ex aluo immodice exprimunt, vt euacuationes inde natae vix comprimi, continerique possint. *Non solum sede, sed effectibus etiam differunt.*

§. DXXII.

Praemonstrata vtriusque febris differentia, reliquum est, vt colliquatiuam, qualem vt plurimum se Clinicis ostendit, per suas notas describam. Dixi supra, *Describitur febris colliquatiua, prout Clinicis se exhibet.*

ſupra, eam eſſe continuam remittentem, quotidianae, aut tertianae continuae ordinem ſeruantem. Nunc addo, interdum, ſed raro, ardentis ſymptomata ſibi aſſumere, et ſua natura in longum trahi, hincque *tropicam* a Veteribus appellatam fuiſſe: quo maxime a gaſtrica iterum diſtinguitur, quae breuiori tempore ſolet finiri. Initio febris colliquatiua haec vtplurimum non valde acuta eſt, nec vehemens, et paullatim, morbo progrediente, quando ſimplex, pura, et benigna eſt, mitior, et tolerabilior adhuc euadit. *Pulſus.* Pulſus in ea molles, crebri, et debiles plerumque inueniuntur. *Alui fluxus.* Fereque alui fluxus cum ea iungitur, tenuis, foetidus, crudus, non admodum variegatus, pinguis, ſmegmatis ſoluti ſaepe ſimilis, concrementa quaedam, minuta, albicantia, ſeui indurati inſtar, aut ſabuli craſſioris ſpecie ad fundum vaſis deponens, ſed ſine ſignis, vt paullo ante admonui, manifeſtae cacochyliae primarum viarum. *Sudores.* Praeter alui fluxum, quae ſolemnior, frequentiorque euacuatio mihi ſemper viſa eſt, non deſunt plerumque ſudores aſſidui, viſcidi, pinguiuſculi, foetidi, aliaeque diſſolutionis notae. *Vapor olidus.* Minimum vapor olidus, foetenſque o corpore emanat. *Vires.* Vires pro euacuationum frequentia, ac ratione magis, magiſque infirmantur. *Vrinae.* Ad vrinas vero quod attinet, hae primis ſtatim diebus nec valde ſaturae ſunt, nec confuſae, nec turbidae; ſed nubeculam quamdam plerumque prae ſe ferunt, aut enaeorema exhibent rarum, diuulſum, ſuſpenſumque, aut pellicula pingui in ſummitate operiuntur. Senſim deinde ſaturatiores fiunt, ex rubro obſcurae, et confuſae, ſedimentumque dimittunt eiuſdem coloris, vix cohaerens, et inaequale, quod demum furfuri, aut farinae ſimile euadit, aut in mucoſum, et viſcidum, variumque colore permutatur. Id ſaepe non totum matulae fundum petit, ſed partim eius lateribus

ribus adhaereſcit, partim vrinae ipſi intermiſcetur, eiuſque pelluciditatem obſcurat, et tollit. Cum primum tamen vrinae redduntur, vtplurimum clarae, et perſpicuae ſunt; paullo poſt vero, ſimul ac refrixerint, intime perturbantur, quia ſuccos cohaerere aptos frigus cogit, et condenſat. Subinde iterum clareſcunt, tenues, crudaeque factae, deinde iterum turbidae, et confuſae redeunt; ſicque varias vices toto morbi curſu ſubeunt. Interdum nihil horum accidit. Tanta quandoque eſt humorum attenuatio, ac ſolutio, vt cum vrinis nihil communicetur, quod frigore accedente lenteſcere, et compingi iterum poſſit.

§. DXXIII.

Vrina certiſſimum colliquationis ſignum.

Tanti vero vrinarum inſpectio facienda hic eſt, vt nihil certius, euidentiuſque colliquationem praeſentem, aut abſolutam, et ad ſuum terminum perductam ſignificet. Nunquam enim ſanis reuera ſimiles ſe oſtendunt, niſi colliquatione omnino finita; ita vt earum variatio, et frequens viciſſitudo certiſſimum indicium porrigat, morbum nondum ex toto deſiiſſe, etiamſi alui fluxus, ſudoreſque penitus ſubſtiterint, et febris prorſus conquieuiſſe videatur. Non nunquam enim, praeſertim quando morbus diu iam excucurrerit, febris ceſſat, quanquam colliquatio, et corruptio humorum ex toto nondum finem attigerit. Tunc, quoniam febris abeſt, et virium languor ſui rationem expoſcit, ſaepe maturius, quam decet, largior cibus conceditur; ſed male aegri rebus conſulitur, nam praepropera eiuſmodi cura febris illico reuiuiſcit. Igitur vrinarum, et faecum aluinarum naturalis et conſtans conſtitutio, atque integritas exſpectanda eſt, ex qua ſola certo noſcitur, omnem liquationem exſtinctam, finitamque eſſe. Si contra in his aliquid

Interdum ceſſante febre non ceſſat colliquatio.

Qua ratione id cognoſcatur.

praeter

praeter naturam adhuc ſupereſt, ſi excrementa liquida, aut mollia prodeunt, ſi vrinae quodammodo turbantur, ſi malus odor inde exhalat; liquationem adhucdum proſerpere, non dubitaueris.

§. DXXIV.

Morbi duratio. Longum eſſe morbum, praemonui. Enimuero ad triginta, aut quadraginta, imo ad ſexaginta dies, et vltra ſaepenumero protrahitur, ſic vt frequentius ad *acutos ex decidentia*, quod aiunt, pertineat, quam ad acutos ſimpliciter. Quibuſdam viſa eſt febris iſta ad plures menſes extendi. Sed tunc e chronicarum, lentarumque genere fuiſſe dicenda eſt. QVESNAEVS narrat, ſe eam vidiſſe adeo diutinam, ac contumacem, vt aegrum non reliquerit, niſi poſt ſex menſes exactos: quem demum macie prope confectum lacte aſinino reſtituit, Nec ſolum continuae remittentes, verum etiam intermittentes febres ipſae colliquatiuarum effecta edere, imo colliquatiuae interdum eſſe poſſunt. In quibuſdam febrium intermittentium conſtitutionibus, praeſertim pernicioſarum non raro euenit, vt iis correpti intra breue temporis interuallum ad ſummam maciem peruenerint. Id quidem fieri nequit, niſi ſoluta per vim fermenti febrilis vniuerſa pinguedine. Idem QVESNAEVS modo memoratus tertianae meminit intermittentis colliquatiuae, quae tres menſes perdurauit. In hac certe colliquationis ratio mitior, et lentior fuiſſe videtur, quam in pernicioſis a me obſeruata, in quibus aegri poſt aliquot acceſſiones ſic extenuabantur, vt e febre per corticem domita conualeſcentes ſceleti potius, quam hominis formam, effigiemque referrent.

Praeter continuas febres colliquatiuas, dantur etiam intermittentes tales.

§. DXXV.

Deſcripta benigna hactenus. Hactenus colliquatiuam febrem benignam expoſui, nimirum neruorum affectionibus, ac ſpaſmis caren-

carentem; quo a maligna distinguendam QVESNAEVS autumat. Is enim etiam malignam ponit, dicitque eam esse, quae caput, neruosque afficit; functiones animales potissimum laedit; spasmos inducit, indeque lethales gangraenas, aut sphacelos parit; aut prauo humore alicubi depositio partes, in quas ipse procubuit, sensu, ac vita repente exuit. Nec desunt in hac specie subsultus tendinum, motus conuulsiui membrorum, inaequales pulsuum micatus, atque inordinati, capitis et pectoris dolores spastici, quos demum excipit mors. Pro varia vero acrimoniae colliquantis vi, et pro vario colliquationis gradu effecta etiam plus minus variari dicuntur, ita vt non modo humores, verum etiam solidae ipsae partes liquentur. In vtraque vero, videlicet tam benigna, quam maligna colliquatiua huiusmodi febre videtur vna, eademque causa gradu solum, et prauitate differens. Cl. Vir paulo ante laudatus, qui peculiari capite eam commentatus est, eo adducitur, vt putet, vnum aliquem ex humoribus putrefieri, et dissolui, qui fermenti in modum se se paullatim diffundit, et successiue de vno in alios proserpens, prout eos ad putrescendum procliuiores reperit, contaminat, corrumpit, liquatque, donec finem colliquationis faciat recentium succorum accessio, acescensque natura: quamquam non adeo planum est intellectu, quo modo humor aliquis seorsum corrumpi, colliquarique possit, reliquis intactis. Fortasse vero similius est, sanguinem ipsum late sumtum non omnem, neque vniuersum, sed in aliqua tantum eius parte vitiari, corrumpi, dissoluique, idque lente, et successiue fieri, donec omnis humor eamdem vicem subierit; excretus paullatim, et paullatim nouo succo, siue chylo refectus sit. Quod si peculiaris aliquis humor accusandus vnquam videatur, non alius aequiore iure

Nunc de maligna.

In vtraque vna causa, gradu tantum differens.

Opinio Quesnaei.

Probabilior coniectura.

Fortasse adeps primum vitiatur.

iure accusari posse videtur, quam oleosus ille, atque inflammabilis, cui adeps, siue pinguedo nomen est. Is enim stagnatione, et mora, aut spontanea degeneratione, aut quacunque alia ex caussa accedente deprauari, rancescere, paullatim corrumpi, et liquari potest, et reliquos humores sic peruertere, vt non modo febrim cieat, verum euacuationes quasque, et prae ceteris copiam bilis hepaticae, et cysticae adaugeat, et corpus vniuersum emungat, nec prius oeconomiam animalem pessumdare desistat, quam totus excretus fuerit: quemadmodum macies summa, et cita insequens, deiectiones foetidae, et pingues, vrinae oleosae, sudoresque olidi, et crassi, quibus febris comitatur, satis ostendere videntur.

Curatio.

§. DXXVI.

Indicationes in benigna. In benignae colliquantis febris (§. DXXV.) curatione duo maxime obseruanda sunt, nempe vt quidquid quotidie corrumpitur, naturaeque alienum fit, e corpore excernatur, ne retentum caussam morbi, liquationemque intendat, et fomitis corrumpentis, liquantisque acrimonia corrigatur. Primae indicationi in primis satisfaciunt ea, quae prauos humores ad intestina delatos cito, et blandissime educunt; vti sunt serum lactis leuiter tamarindis incoctum, aut aliud leuissimum eccoproticum opportune, et quotidie propinatum, sed prae ceteris crebri, et mites clysteres; alteri vero diluentia, acescentia, acida, subaustera, farinosa, et inuolventia. Prudenti manu modo hoc, modo illud auxilii genus adhiberi debet, quousque tota sanguinis labes elota sit. Nam ad rem maxime scripsit GORTERIVS *a*): *Corrupti humores emendari nequeunt, neque omnes simul eiici; retenti in deteriorem corrupte-*

Quibus vt satisfiat?

corruptelam abeunt. Quare moderata euacuatio eſt facienda per conueniens organum, dum antiſepticis vlterior progreſſus prohibetur. Quae vero hac facultate praedita ſint, quaeque huc opportuna eſſe queant, non eſt, vt pluribus verbis explicetur, cum de his alibi iam ſatis ſuperque actum ſit.

§. DXXVII.

In maligna vero ſpecie, cum liquatio non ſolum liquidis, verum etiam ſolidis partibus vim inferat, maius periculum, imo certum fere exitium impendet. Pro varia autem partium ſolidarum paſſione varii quoque gradus morbi, et periculi conſequuntur, ita vt non defuerint, qui eam talia ſibi aſſumere poſſe epiphaenomena crediderint, quibus non modo malignae febris, verum etiam peſtilentis, et quidem ferociſſimae formam, et ſpeciem indueret. Quod ad eius curationem attinet, haec fere perficitur iis, quibus benignam curandam tradidimus; hoc ſolo diſcrimine, quod antiſepticis acidis magis opus ſit, cautiuſque leniri aluus debeat. Periculum enim maius eſt, ne euacuationes leui negotio enormes excitentur, vitalemque vim omnem exſtinguant. Neruorum diſtentionibus, ſpaſmiſque iis occurrendum eſt, quae anodyna ſimul, et ſubacida facultate pollent, cuiuſmodi ſunt ſal volatile ſuccini, eiuſque ſpiritus, ſal ſedatiuum HOMBERGII, ſal volatile cornu cerui aceto ſaturatum, liquor anodynus mineralis HOFFMANNI; liquor cornu cerui ſuccinatus, ſed cum praedominio acidi; et ſimilia. Quod ſi ſpaſmi vitales actiones inhibeant, aegrumque proſternant, anodynis, antiſpaſmodiciſque recenſitis adiicere oportet cardiaca, quae opium recipiunt, vti laudanum liquidum, theriaca, diaſcordium, mithridatium, et alia huius generis. Neque tunc camphora aliena erit, maxime aceto ſoluta.

In maligna cur maius periculum.

Curatio fere eadem.

Spaſmis quo modo occurrendum.

Quando cardiaca anodynis addenda.

Interea

Enematum vſus continuandus. Interea non omittenda ſunt blanda enemata, quae excrementa ex aluo leniter auferant. Dubitari poteſt, an veſicantia locum hic habeant ob timorem, ne diſſolutioni humorum augendae faueant. Quia vero extrorſum vim morbi deletricem auocare poſſunt, non omitti prorſus debent, in primis vbi et vitalis facultas languet, et ſtupor, et ſopor tenet, et vires omnes deficiunt. In caſu magis dubio epiſpaſtica ſine cantharidibus tutiora erunt. Antiſepticis ſupra laudatis adnumeranda quoque ſunt corticis peruuiani decoctum vitrioli ſpiritu acidulatum, et dilutum ſaturatius radicis Arnicae, quod a COLLINIO, STOLLIO, aliiſque medicis Vindobonenſibus ſummopere excellere aſſeritur. Sanguinis miſſio, vt patet, locum non habet generatim; et, ſi quando admittenda ſit, id protinus ab initio tantum erit, et cum vehementiſſima febris motu, et calore acrimoniam intendere, atque exaltare magis poſſit. Alimenta ſint iuſcula oryzae, auenae, hordei, horumque cremores, gelatinae vituli acido citri conditae, emulſa ſeminum melonum, amygdalarumque dulcium, poma aurantia, fructus acidiuſculi, pruna, fraga, ceraſa, pyra cocta, et ſimilia. Potui vero aqua frigida, et in maiore humorum liquatione, et ſolidorum laxitate, et atonia etiam niuata dari poterit. Aër cubiculi ſaepe renouetur, et ad frigidum inclinet; cautione tamen adhibita, ne euacuationes intempeſtiuius cohibitae metaſtaſes ad interiora lethales pariant.

Dubitatio de veſicantibus.

Epiſpaſtica tutiora.

Alia antiſeptica.

Sanguinis miſſio vbi conueniat.

Alimenta.

Potus.

Aër qualis.

Cautio.